

# **scantoweb Demoportel**

**Digitalisierung von Drucken des 17. Jahrhunderts**

**Philosophia Curiosa, Quae Pro Oblectandis Animis Viam  
pandit, ad Novam, sive Novo-veterem Rerum naturalium  
Disquisitionem, atque ex realibus Principiis, realem  
omnium Cognitionem parere conatur**

Cum Indice duplici, Capitem, & Rerum notabilium


**Luci Publicae Tradita per P. F. Bernhardum a S. Theresia, Ordinis  
Eremit: S. Augustini Discalceat: p.t. Germanico-Bohemicae  
Provinciae Definitorem ...**

**Bernardus <a Sancta Theresia>**

**Francofurti, 1698**

**VD17 1:065587F**


**urn:nbn:de:s2w-480**







26.

163057







# PHILOSOPHIA CURIOSA,

Quæ

Pro oblectandis Animis Viam pandit,  
ad Novam, sive Novo-veterem Rerum natura-  
lium Disquisitionem, atque ex realibus Princi-  
piis, realem omnium Cognitionem parere  
conatur,

LUCI PUBLICÆ TRADITA

per

P. F. BERNHARDUM A S. THERESIA,  
ORDINIS EREMIT: S. AUGUSTINI DISCALCEAT:  
p. t. GERMANICO-BOHEMICÆ PROVINCIAE  
DEFINITOREM,

ET

SACR. CÆSAR. MAJESTATIS  
THEOLOGUM ACTUALEM.

*Cum Indice duplici, Capitulorum,  
& Rerum notabilium,*

---

Prostat FRANCOFURTI, apud FRIDERIC. KNOCHIIUM  
Item VIENNÆ, in Conventu Cæsareo S. Augustin.  
Nec non PRAGÆ, in Conventu S. Wenceslai,



AUGUSTISSIMO,  
POTENTISSIMO, ET INVICTISSIMO  
ROMANORUM IMPERATORI,

LEOPOLDO I.

REGI

GERMANIÆ, HUNGARIÆ

AC BOHEMIÆ,

ARCHI-DUCI AUSTRIÆ,

DUCE

BURGUNDIÆ, STYRIÆ, CARINTHIÆ,

CARNIOLÆ, WÜRTEMBERGÆ,

SUPERIORIS ET INFERIORIS SILESIAE,

MARCHIONI

MORAVIÆ, SUPER. ET INFERIORIS LUSATIÆ,

COMITI

HABSPURGI, TYROLIS ET GORITIÆ,  
ETC. ETC.

DOMINO, DOMINO  
CLEMENTISSIMO.

AUGUSTISSIME,  
POTENTISSIME, ET INVICTISSIME  
ROMANORUM IMPERATOR,  
GERMANIÆ, HUNGARIÆ, BOHEMIÆ REX,  
ARCHI-DUX AUSTRIÆ, &c.

DOMINE, DOMINE  
CLEMENTISSIME.

**N**otum Terrarum Orbem SACRATISSI-  
MÆ MAJESTATIS SUÆ *Pedibus sub-*  
*stratum esse meritò credendum censeo.*  
*Cum enim MAJESTATI SUÆ hoc unum*  
*solenne sit, CONSILIO & INDUSTRIA Rerum tenere*  
*Gubernacula; quis dubitet SACRATISSIMAM MA-*  
*JESTATEM SUAM Sibi jam dudum Omnia subjecisse.*  
*Nam, ubi non penetravit Gladius; Virtus CONSILII &*  
*INDUSTRIÆ Sibi omnia pervia fecit, & effecit; ut*  
*qui olim PRIMUS, nunc meritò dicatur MAGNUS*  
*LEOPOLDUS, ROMANORUM IMPERATOR, &c.*  
*MAGNUS Imperio, MAGNUS Consilio, MAGNUS*  
*Industria, MAGNUS Clementiâ, MAGNUS Potentiâ,*  
*&c. quod non Magnum; sed Maximum quilibet suspiciat,*  
MAXI-

MAXIMUS PIETATE, & *Benedictione* DOMINI;  
*Qui* MAJESTATEM SUAM SACRATISSIMAM ele-  
vavit, ut Cedros Libani, quarum Folia non defluxerunt;  
sed Fructum suum dederunt in Tempore suo, pro Solatio  
& Utilitate totius Christianitatis, Inclytæ Germaniæ, &  
Provinciarum omnium nostrarum.

*Ex hoc Terrarum Orbe minimus ego compareo, & ad*  
SACRATISSIMÆ CÆSAREÆ MAJESTATIS SUÆ  
*Pedes quoq̄, prostratus, humillimè hanc Philosophiam of-*  
*fero, & submississimè dedico; quam Curiosam indigito:*  
*cum, præter communem aliorum Philosophorum Opi-*  
*nionem, aliam præ se ferat, quæ Facunditati Ingenio-*  
*rum Materiam subministret, ut non Platonis, aut*  
*Aristotelis, aut cujuscunq̄ Viri celebris Opinioni; sed*  
*purissimæ Veritati perquirenda incumbere valeat.*  
SACRATISSIMAM MAJESTATEM SUAM humil-  
limè rogo, ut hanc Paginam intra Gazophylacium Gra-  
tiarum clementissimè admittere dignetur, & dum illa  
eò pervenerit, ex his mihi, meoq̄ Ordini ulteriores Gra-  
tias delibare liceat: qui me de novo ad Thronum Impe-  
rialem prosterno

AUGUSTISSIMÆ MAJESTATIS  
SUÆ CÆSAREÆ,

*Infimus Capellanus & Vasallus,*

P. BERNARDUS à S. THERES

# Censura Theologorum.

**P**HILOSOPHIAM CURIOSAM, ex Mandato Admodum Reverendi Patris Callisti, à S. Innocentio, Commissarii Provincialis, affabrè à Reverendo P. Bernardo à S. Theresia, Definitoro Provinciali, & Sacræ Cæsareæ Majestatis Theologo, concinnatam perlegi. Et quia nihil bonis Moribus adversum, nihil Catholicæ Fidei contrarium in se continet, ut Ingenia Antiquitatum rememorantia, & Novitatum Amantia acuantur, & exerceantur, (quarum cum Subtilitate est abundans) dignam judico, ut in publicam Lucem prodeat. Vienna, Die 30. Maij, Anno 1698.

P. F. Maximilianus Antonius  
à Jesu, Definitor Provincialis, &  
SStæ Theologiæ Lector Frat.  
Erem. discal. S. P. Augustini.

---

**S**Cio, quòd Author PHILOSOPHIÆ hujus CURIOSÆ Dogmaticè, & verè docuerit, Præloq; dare intendat Philosophiam Augustiniano-Thomisticam; hanc verò præcisè Ingeniositatis Causa proponat. Cum igitur hæc nihil bonis Moribus, nihil Fidei contrarium in se contineat, neqve etiam cujuscunqve docti Viri Opinioni præjudicare intendat; judico posse publicæ Luci exponi. Vienna Die 30. Maij, Anno 1698.

P. F. Sigefriedus à S. Christina,  
SStæ Theologiæ Lector, Frat.  
Erem. discal. S. P. Augustini.

Licen

# Licentia Admodum Reverendi

Patris, Commissarii Provincialis.

**N**Os P. F. Callistus à S. Innocentio, Frat. Erem. discal. Ordinis S. P. Augustini, per Germaniam, & Boemiam Commissarius Provincialis. Attentâ Approbatione factâ à duobus R. R. P. P. nostræ Congregationis, SStæ Theologiæ Lectoribus, Licentiam concedimus R. P. Bernardo à S. Theresia ejusdem Congregationis, SACRÆ CÆSARÆ MAJESTATIS Theologo Actuali, ut Librum, cui Titulus, PHILOSOPHIA CURIOSA, Typis mandare possit. Datum in Conventu nostro, Viennæ, Die 31. Maij, Anno 1698.

P. F. Callistus à S. Innocentio,  
qui supra.

L.S.

P. F. Antoninus à S. Guilhelmo  
Pro-Secretarius.

## Ad Lectorem Benevolum.



Charissime Lector. Tritum notumq; Omnibus esse autumo, Mundum hunc Disputationi Hominum expositum esse. Non ergò miraberis, me in hoc Opere, cum quibusdam insolitis comparere Doctrinis. Hoc me fecisse credas, non litigandi Studio, sed Veritatem eruendi Desiderio. Nulli vellem obtrusam esse Opinionem meam, aut Authoritati alterius vel quicquam derogatum; Sed Libertati Philosophandi, Exemplo aliorum magnorum doctorumque Virorum consultum. Nam, ut Clemens Alexandrinus rectè censet: *Philosophia non est Stoica, aut Platonica, aut Epicurea, aut Aristotelica; Sed quaecunqve ab his Sectis rectè dicta sunt.* Hinc, cum Seneca, in Philosophia non me cuiquam mancipavi, nullius Nomen fero: Multum magnorum Virorum Judicio credo, aliquid & meo vendico. Non omnia apud Veteres meliora; sed nostra quoque Ætas multa Laudis & Artium imitanda Posteris tulit. Patebit proximè, quam Philosophiam dogmaticè teneam, cum Aurum Philosophicum, ad Lydium Lapidem Doctrinæ Augustiniano - Thomisticæ, publicæ Luci proferam.

Suscipias ergò, bono Animo, hoc Opusculum, charissime Lector, & dum Ingenium satiaveris, non intermitte mihi Benevolentiam tuam impertiri, ut & hac ego satiari, & tibi ad Servitia vivere valeam. Tu autem ex Voto Vale & Fave.

Immò - - - *Si quid nosti rectius istis,  
Candidus imperti: Si non, his utere mecum.*

*Me, certè, ut cum S. P. Augustino nostro loquar, non pigebit,  
sicubi hesito quarere: Nec pudebit me, sicubi erro, discere.*



*CAPUT I.*  
**DE LOGICA ARISTOTELIS.**



Copus quidem noster principalis est Physica. Prælibabimus tamen etiam aliqua ex Logica. Prædicant hanc ad omnes Scientias esse Matrem necessariam, & clavem ad omnes requisitissimam.

Quare? quia putatur omnium rerum creatarum subministrare Definitiones quidditativas, essentielles, earundemque Divisiones essentielles, & Argumentationes: Habitus denique omnes humanos dirigere & ducere ad veram rerum Cognitionem. Et quia Definitio, Divisio, & Argumentatio constant ex Propositionibus, hæc verò ex Terminis, Prædicamentis, Prædicabilibus, Subjecto, Copula, Prædicato, Veritate aut falsitate, Universalitate, Affirmatione, Negatione, ex diversis figurarum & formarum modis &c. Hinc tota Logica Aristotelica, occupatur, in his singulis explicandis, substantialiter tamen hæc omnia reducuntur & ordinantur unicè, ad hæc tria principalia & cardinalia Logica Membra & Fulcra, nimirum ad Definitiones, Divisiones & Argumentationes discursivas, subministrandas aliis cunctis Habitibus & Scientiis humanis, sinè quibus clavibus alias nulla scientia comparari possit, ita sentiunt Aristotelici; An verè? nunc paucis discutiemus,

## SECTIO I.

*De rerum Definitione essentiali.*

**A**ristoteles vult, ut omnis Definitio constet ex Genere definiti & ex Differentia specifica rei constitutiva. Atqui cum vix Differentia specifica seu Speciei constitutiva, alia, nobis sit nota, in tota rerum Natura, præter illam unicam, *Rationale & Irrationale* (hæc enim per totam Philosophiam Aristotelicam unice personat) quæ sit specifica & individuis proxima &c.

I. Cum & harum duarum Differentiarum unicarum, altera, id est *irrationale*, sit negativa, seu non realis (adeoque ut sola negatio, Scientiam veram dare nequeat) altera verò, id est *Rationale* pro Hominis à brutis distinctione & differentia essentiali, valde appareat manea, frivola, irrationabilis, ut paulo post videbimus: Hinc necessario sequi videtur, uno hoc primario Fulcro & pede Logices sublato ab hoc Aristotelico Logico Tripode, simul cum eo corruere Logicam Aristotelicam sedi illi tam infirmæ innixam.

Deinde vera Naturæ rerum Cognitio realis, essentialis tantum desumi debet ex eo, quod est in actu, & re ipsa, non verò quod extrinsecè tantum à Conceptu Mentis alterius dependet. Unde à reali Naturæ Cognitione & Definitionibus rerum removenda sunt necessario omnia, quæ sunt à sola Mente speculantis conficta. Atqui Genus (& Universale) non datur à parte rei, sed est merus Conceptus mentis abstractivus ab ipsis rebus, existens solum in abstrahentis Intellectu, & ab ipso Intellectu totus dependens?

Differentia verò pari modo est mera Relatio & respectus unius rei ad alteram, dependens tota ab Intellectu unam rem ad alteram referente & comparante. Unde negandum est, veram rerum Definitionem essentialem realem debere constare

ex Genere & Differentia, quæ non dantur nisi in solo Intellectu discurrentis.

Tandem hæc ambo, id est Genus & Differentia rerum singularum, nobis, & ipsi Aristoteli sunt incognita, Nemo enim hactenus designavit omnium & singularum rerum Genera & Differentias específicas: *sed omnis Definitio rerum essentialis, unicè petenda est à Causis rerum intrinsicis, rem in esse reali & quidditate sua constituentibus & conservantibus, id est à Causa, materiali & efficiente intrinseca, quia hæc causæ revera totam Rei essentiam & quidditatem in se constituunt & componunt, independenter ab omni speculatione, mentis, hominisq; cujuscunq;.* Unde ipsummet Productum harum causarum naturalium, rei internarum, seu Effectus realis nihil est aliud præter ipsas causas internas rem componentes, connexas, prout infra in Physicis ex professo clare ostendetur. Ergo falsa est & inanis Definitio Aristotelica ex Genere & Differentia conflanda. Adeoque ruit Primum Logices ipsius Fulcrum.

Quod autem & illa ipsa Definitio primaria Hominis tradita ab Aristotele, per Genus animalitatis, & Differentiam rationalitatis, sit irrationabilis, manca, & frivola, si propriè, loquæ velimus, ubi hic debemus, paucis nunc probabimus, uno vel altero §. §. intermedio.

## §. I.

*An Homo revera sit Animal? & quidem rationale?*

Negatur utrumque absolutè. Probatur, quia certum est, quod illa quidditas Hominis & essentia fuerit vera, in quæ DEUS ipsum primitus creavit, prout idem de aliis omnibus rebus creatis indubium est.

Certum pariter est, per peccatum Adæ, naturalia essentialia non fuisse ei ablata, sed tantum vulnerata, quod idem in Dæmonibus post eorum peccatum evenit, & quod nemo negat. Atqui in prima Mundi creatione Homo non fuit creatus in ani-

mal brutis simile, sed in Animam viventem, ad Imaginem & similitudinem DEI immortalem, in æternam beatitudinem destinatus. Sic enim Fides Divina nos expressè docet. Ergo brutalis Animalitas non est de essentia quidditativa, de Genere aut Specie naturali Hominis. Ergo manca, frivola & falsa est Definitio Aristotelica Hominis. Nam hæc desumi debet necessaria ex essentialibus Hominis.

Idem facilè probatur de altero membro *rationalitatis*, quia hæc non est Differentia specifica distingvens Hominem à Brutis. Multa enim bruta sunt sat rationalia, sagacia & discursiva, licet imperfectius discurrant, prout §. seqv. probabimus. Ergo Rationalitas non separat Hominem essentialiter ab aliis Creaturis aut Brutis, nec ponit eum in speciem propriam, sed id potius præstat ratio Imaginis DEI & immortalitatis, præcipuè, cum magis vel minus rationale, non mutet speciem, sicut omnes fatentur. Idem patet 2do *Quia præter hanc unicam Differentiam rationalitatis specificam, nulla alia hæctenus assignatur à Philosophis, pro aliis aliarum Creaturarum Differentiis specificis: cur ergo pro solo Homine, solitaria hæc est admittenda, absq. urgenti rationabili fundamento?* Cur ex hac sola privata Speculatione Aristotelis, statim acceptari debet Regula generalis pro omnium rerum Definitione, singulis improporcionata, inepta?

Afferta ista sic declaramus, confirmamus. Adam cum sit creatus in possessione Immortalitatis, sicut Fides nos docet, videtur, DEUM non intendisse, quod Homo esset Animal, nec quod nasceretur seu conciperetur ut Animal. Creatus est enim in animam viventem, ut esset Imago DEI proxima. Ita est de Fide. Distabat enim Homo tam procul ab Animali, brutali Natura, quantum mortale ab immortali, & quantum DEI formis Creatura à bruto. Quod certe est amplius differre vel distare, quam toto Prædicamento. Ergo indignè ferendum est, quod nos Christiani hæc omnia credamus & quotidie confiteamur,

nihilomi-

nihilominus tamen cum Ethnicis occæcatis, adhuc hodie Hominis essentiam desumere velimus quidditativam ab Animali brutali genere & natura essentialiter.

Licet enim Homo deinde per Peccatum sibi Mortem conciverit, & ideò naturæ Animantium vicinior videatur, non tamen stetit in sua manu posse Divinæ Imaginis Speciem, & differentiam essentialem, in se invertere in Animal. Sic nec Dæmon per Peccatum, factus est Animal, licet odio vitiisque brutalibus multo propinquior animantibus evaserit. Certum ergo apparet quod Homo post peccatum, manserit in sua prima specie in qua fuerat creatus in DEI imaginem immortalem.

Unde quotiescunque Homo vocatur animal, & quidem seriò existimatur, toties falsificatur Textus Generis dicens: sed & serpens callidior erat cunctis animantibus Terræ quæ fecerat Dominus DEUS; ubi loquitur Textus de calliditate naturali Serpentis. Ergo si Homo esset animal, Serpens naturaliter esset callidior etiam Homine, quod est manifestè falsum.

An autem hæc Animalitatis brutalis similitudo, quæ post Peccatum in Homine apparet, latuerit ante Peccatum in Homine, velut dormiens & ligata? an vero per esum Pomi prohibiti, primum in Hominem transierit? & quomodo? hic nolimus disputare.

Sed quicquid sit de hac quæstione sat difficili, hic tamen certum videtur brutalem istam Animalitatem post Adæ peccatum in nobis apparentem, sive animum, seu gradum, seu potentiam sensitivam, nominemus, *non esse speciei brutalis, quia in Homine excitata est per semen humanum proprium, carens origine, destinatione ac determinatione alicujus animalis speciei*; nam de hac nihil constat ex Sacris Literis, nec aliunde. Adeoque sicut hæc anima sensitiva (vel appellemus eam quomodocunque) prater intentum Creatoris & Naturæ, in Homine post lapsum, primum insurrexit, modo quocumq; ita & nullius est, vel unquam fuit speciei

*brutalis, nec subsistere per se potest, nisi continuo sit alligata menti nostra immortalis, à qua etiam in vita tota sustentatur, servatur, movetur &c. Ergo cum homo nullius sit speciei brutalis animalis, non potest esse animal, non quidem ex parte Mentis immortalis, ut per se patet, multò minus ex parte potentiae seu animae sensitivae, quia hæc in homine nullius est speciei brutalis, prout jam probavimus. Absit ergo nobis Christianis Catholicis, Hominem, adeo excellentem creaturam, cui omnia animantia, creata subiecta sunt à Creatore, inter animalia locatum esse, plura de his vide in Helmont §. 27. n. 75.*

*Interim fatentur Scholæ Christianæ, Vitam & sensum Humanum, immediate à manu DEI infundi. Fatentur etiam conditiones essendi, & vivendi & sentiendi in Homine, tota sorte distare à Natura animali, eo quod sequantur hæc, vim formæ principalis i. e. mentis immortalis, si ita credunt, quomodo ergo, his iisdem in contrarium, turpiter asserunt, hominem tam primæ constitutionis, quam nunc per Sacramenta divinitus regeneratum à Creatore Christo, nihilominus esse animal brutale essentiali.*

*An forsan nesciunt amplius, nec Hominem, nec Dæmonem, nec totam simul naturam, mutare posse essentiam Hominis ab æterna Creatoris Præsentia sibi destinata, & in Creatione sibi datam, quin continuò maneat qualis fuit creatus? licet sibi alienas interim proprietates induerit tanquam naturales, ex vitio sui Arbitrii, hoc enim ad Rei statum essentialem immutandum nihil facit. Præsertim cum nihilominus semper adhuc repariantur aliqui Homines & ab initio mundi fuerint aliqui, ita recti, boni, sancti, Justi, ut præter Affectum Mortis & Morborum, à peccato Adæ descendente vix in ipsis appareat aliqua inordinatio hominis inferioris ad superiorem, aut saltem brutalis illa animalitas, de qua nunc loquimur.*

*Unde illud frequens proverbium de bonis: in hoc Homine non videtur Adam peccasse, &: est bonus Israelita, in quo non est*

est dolus. Et sicut absurdo non caret, hominem Beatum, glorificatum inter Animalia numerare, quia non est, aut erit absque Sensu; sic etiam esse sensitivum non dicit vel importat inseparabilem essentiam Animalis. Imo ipsimet Protoparentes, ante lapsum, indubiè habebant suos sensus & sensationes, & tamen non erat Animalia brutalia bestiis similia, sed ipsis dominabantur, Ergo sensus non infert Animalitatem in suo subiecto. Quod bene est notandum. Nam ex hoc Capite videtur principaliter prodiisse error iste Aristotelis, ejusque sequacium, quod Hominem essentialiter definiant Animal.

Cum ergo cujuslibet rei Definitio desumenda sit ab ipsa essentia Rerum, (sicut Scholæ omnes fatentur) Homo verò ex sui essentia, factus sit in plena possessione imaginis DEI, ac deinceps æternæ sit durationis secundum Animam, prout de Fide est credendum, hinc, in contrarium huic, credi non potest, rebus ita certò stantibus, Hominem ad solam sensitivam animam, seu potentiam seu gradum (vocetur quomodocunqve) esse animal essentialiter, præsertim cum ejus essentiam credamus pendere, ab æterna duratione & incorruptibili anima seu forma. *Et præcipuè dum ferè omnes tenent, solam Animam immortalem, esse unicam in hominè, eminenter in se continentem omnes gradus inferiores, sensitivam, vegetativam &c. si ita est, in quo ergo Homo conveniet essentialiter, & genericè cum brutis animantibus? præcipuè cum Homines plures inveniantur, in quibus nihil prorsus brutale appareat, vel apparuerit, & tamen tales sunt, & fuerunt verè homines essentialiter. Vg. Immaculatissima Virgo DEI Genitrix MARIA, S. Josephus, S. Joannes Baptista, & innumeri Sancti, Justi, Innocentes, ut Beatos in Cælo hic taceamus.* His ergo brutalem hanc Animalitatis Definitionem attribuere, summum nefas esse videtur, maximè cum vix ejusdem essentiæ brutalis effectus ullus, aut indicium, in talibus deprehendi possit. Et quid si, Christum DEUM hic in probam adduceremus, quem Fides

des docet verum esse Hominem & DEUM? quæ blasphemia esse videretur, si hoc prædicatem de ipso affirmaretur, tanquam vera & essentialis ejus Natura. Imò si in nostra Vernacula Germanica lingua, Vulgò prædicaretur: daß ein Mensch ein Thier sey: haud dubiè, omnes talem Prædicantem esse brutum Animal clamarent, aut eum lapidaret populus.

Nec obstat dicere in illis Hominibus Sanctis, Justis, Innocentibus obstare brutali animalitati, Gratiam divinitus acceptam, quæ hos brutales effectus tollat aut coerceat. Nam in contrarium, est certum & ab omnibus concessum, quod Gratia divina non destruat, aut transmutet hominis Naturam & Essentiam, quin potius eam perficit. Ergo frivola est hæc Excusatio.

Nec valet alterum illud effugium, saltem in illis Sanctis adhuc deprehendi Sensus & Sensationes, Naturæ animalis brutalis testimonia. Nam paulò ante ostendimus, Sensus defactò dari, & dari posse, absque Animalitate brutali. Ergo & hoc effugium est nullum. Et hæc contra primam Definitionis humanæ, animalis genericæ Partem sufficiant.

§. 2.

*An revera per Rationalitatem Homo distingvatur à brutis essentialiter.*

Hanc ponunt Ethnici & Aristotelici pro sola Differentia Specifica Hominis, à brutis, sed vix probabiliter. Nos eam multò probabilius, si non certò, negamus. Ratio nostra est, quia & in Brutis apparet vigere aliqua Ratio & Discursus, Nam quod anosa Vulpes callidior sit juniore Vulpe per discursum aliquem rationalem, experientiæ prioris reminiscentiâ confirmatum, id accidit. Imo & Apes numerant sua Alvearia ex ordine posita, & Domum regressæ non intrant, nisi quælibet prius renumeret Ordinem illorum Domiciliorum, in quo suum Alveare erat repositum. Vide Virgilium de horum Animalculorum

mira

mira Solertia, Sagacitate, prudenti Republica. Idem ferè occurrit in omni ferè Animalium Specie, ubi aliquod singulare documentum elucet Discursus cujuscunq; Hoc Argumentum ex professo fusissimè pertractat Casparus Schottus Jesuita, Part. 2. Lib. 7. 8. 9. 10. Physicæ curiosæ; ubi miranda refert & examinat, de Sagacitate, Discursu, Ratione, Memoria &c. Animalium brutorum, Volatilium, Aquatilium, ferè omnium, imo Lib. 7. 8. Cap. 19. adducit plures Authores, Plutarchum, Anaxagoram, Platonem, Pythagoram, Diogenem, Justum Lipsium, asserentes, quod Bruta sint Mente prædita, id est, Ratione, Intellectu, Discursu, Voluntate &c. Unde ipsemet Schottus tot Argumentis constrictus, concedit Brutis, Rationem saltem belluinam, Rationi humanæ analogam, sive hæc Facultas vocetur postea, Mens, sive Ratio, sive quomodocunq;. *Hinc ipsa Mater Ecclesia, dicit Serpentes prudentes & Columbas simplices, quod sine Discursu rationali esse non potest. Videantur tantum historiarum Animalium passim, ubi mira narrantur de Apibus, Formicis, Avibus, Philomelis, Equis. Lipsium præcipuè lege de Elephantis Sagacitate, Cent. 1. Ep. 50. item de Canibus, de Equis, Cent. 3. ad Belgas Ep. 55. item de Simiis. Consulamus etiam Experientiam nostram quotidianam, cum Felibus, Canibus, Avibus, Sciuris, in quibus sæpè Discursus vix non humanus apparet.*

Narrat Helmontius §. 5. n. 34. Historiam miram, quæ instar mille confirmat Discursum rationalem in Bestiis. Villicus quidam Vicinus, inquit, alebat Canem venaticum, Custodiæ nocturnæ præsidii Præfectum: accidit autem, quod in Plenilunio Lupus circa Villam discurreret, quem Canis ille confestim allatrabat, & seqvebatur fugientem Lupum: Hic vero famis impatiens, retorsit se in Canem, illumq; inseqvitur. At Canis aufugiens insiliensq; in suum Furnum, se in tutum recepit, indeq; continuò latravit, Herum excitans, & Lupi præsentiam

sentiam docuit. Seqventi verò die rediit Lupus, quem Canis ut heri latrando adorſus, Lupus autem fugam fingens, donec ſuum comitem Lupum, quem ſecum adduxerat, conjecturà ſci- ret ſe ſubter Furnum occultâſſe: Tum itaq; ſe convertit ad Canem, qui profugus ab inſeqvente Lupo, putans ad Furnum, velut tutiſſimum ſuum Caſtrum refugere, ibi ergo prodiit alter occultatus Lupus ſubſidiarius, Canem rictu apprehendit & ſaltum ad Furnum præpediuit. Itaq; inſignem Solertiam (concludit Author) in cunctis brutis notavi, etiam in Inſectis plurimis. Similia Exempla innumera invenies apud Schottum hac cit. Parte ſecunda per totum. Male ergò, & indignè, definitur hætenus Homo, Animal eſſe rationale. Quin potius ex Fine ultimato Creatoris, & deſtinationum Proprietatibus in Creando definiendus erat, ſi Finis ſit Cauſarum prima ex Mente Ariſtotelis; & ejus ſeqvaces doceant idem.

Confirmantur hæc Aſſertio noſtra, ex Historia S. Antonii, per S. Hieronymum deſcripta, ubi S. Paulus Eremita Teſtimonio S. Antonii vidit Faunum Animal rationale, loqvens, imò DEUM Naturæ & Chriſtianorum agnoſcens, colens & ſupplicans, ut Vir DEI, pro ſe, ſuiſq; DEUM oraret. Ubi conſtat, imprimis, hunc Faunum non fuiſſe Hominem, ex Authoris aſſertione & ex monſtroſa Figura. Nec Dæmonem fuiſſe colligitur, quia hic adeò ſuperbus eſt, ut licet ſciſet ſe poſſe ſalvâri, non tamen vellet rogare, ut Homo aliquis pro ſe oraret, neq; ſe proſternere pro Venia impetranda. Hæc omnia ſunt manifeſta, nec S. Hieronymus vocat illum Hominem, aut Dæmonem, ſed Faunum. Ergo Faunus neuter horum eſt: Ergo Faunus eſt Animal rationale, ſeu utens Ratione, loqvens Idioma Patrium, non tamen eſt Homo. Huc etiam ſpectant Satyri, quorum plures viſi ſunt à diverſis Teſtibus, & hodiè adhuc plures, poſt Mortem, ſale conditi aſſervantur & oſtenduntur. Idem eſt de Sirenibus, quarum unius manum, Pragæ in Gazophylacio

zophylacio Cæsareo Arcis, conservant. Sic etiam plura adhuc hodie in Mari & Aquis reperiuntur Monstra, sæpeq; capiuntur, Semihumana Figura, Ratione utentia, imò & Artes Mechanicas exercentia. Id quod etiam nuper nostris Temporibus accidit in Norvegia: de his vide singularia in Chronicis nostrorum Temporum, in Theatro Europæo Meriani, Helvici & aliis Historicis.

Homo autem solus est factus ad DEI Imaginem, exclusis omnibus aliis: enarrata verò ista Animalia bruta, in suis Elementis etiam inter se diversa, sunt quidem nostri Simulacra, sed non Imagines DEI. Hæc enim differentia Specifica competit soli Homini, non verò Rationalitas brutalis communis.

## §. 3.

*Proponitur verior Hominis Definitio, descriptiva tamen.*

Ex dictis ergo melius & ut ita dicam, Christianius definiri debet Homo, sic: *Homo est Creatura, vivens in Corpore per Animam immortalem, ad Honorem DEI, secundum Lumen, & ad Imaginem Verbi, primi Exemplaris omnium Causarum, sigillata.* Unde Anima nostra sinè Imagine Dei considerari non potest, dum Regnum DEI cum omnibus suis Charismatibus, sit intimius Animæ, quam ipsamet est sibi intima. Qui ergo definiunt Hominem esse Animal rationale, *meditantur tantum Hominem juxta ejus Corticem Exteriorem, Corpus, aut juxta ejus Cadaver, non autem juxta Creatoris seu Cause primæ efficientis Intentionem, & juxta Hominis fines ac Destinationes à DEO impositas.* Alias enim Creator in creando declinasset à suo Scopò (si *Causa finalis sit omnium Causarum prima, sitq; aliquid considerabile ut primum in rerum adorabili Authore*) adeoq; *Creatura definienda erat ex Intentione Creatoris efficientis & ex Quiditate ac Constitutione rei intrinseca.* Ille

enim DEUS in suis Finibus non errat, qui ipsas rerum Proprietates fabricat fluentes ex Finibus ipsis destinationum.

*Igitur licet Homo ex parte Corporis, Animales aliquot & Corporeas Conditiones habeat, ex Intentione tamen DEI Creatoris, creatus est in Imaginem DEI viventem, in Substantia immortalis, ut Deum cognoscat, amet & adoret, secundum Lumen Typi sibi impressum.* Sed postquam vixit Homo in Carne, ut Animal, dixit DEUS: Spiritus meus non permanebit in Homine, quia Caro est. Genus enim definiti proprium, quod Aristotelici Ethnici vocant Animal, id ipsum vocat DEUS Degenerationem, Aversionem Viarum, Naturæ Corruptionem & Destructionem Intentionis suæ in creando.

Differentiam verò Hominis, quam Ethnici isti dicunt Rationale, jam supra demonstratum est, brutis competere etiam, *magis vel minus*; Hæc autem *magis vel minus*, Speciem nequaquam mutant, prout est apud omnes in confesso. Consequenter ex his patet Logices Aristotelicæ magna Penuria, quæ hac Ratione destituitur omni prorsus Definitione, & Differentia constitutiva rerum essentiali. Nam præter hanc unicum Rationalem pro Hominis Differentia essentiali, aliam hæcenus vix produxit Aristoteles.

Et tamen idem Aristoteles, hanc unicum Hominis Definitionem erroneam ubique pro primo, omnium Definitionum essentialium Fundamento & Exemplo Universalis, per omnes Paginas, proclamat, ex qua omnes aliæ rerum Definitiones sunt fabricandæ & assumendæ, tanquam ex Norma essentiali.

Unde si Aristoteles in hoc universalis suo primario Principio errat, quales, quæso Errores graviores sequentur in aliarum singularum rerum Definitionibus essentialibus, quas tamen nullibi alibi adducit.

Hi quidem Errores Ethnico-Aristotelici facilius sunt condonandi, ignaro Fidei veritatum; In Homine verò Christiano Catho-

Catholico vix sunt tolerandi, aut excusandi. Igitur *Primum* Logices Aristotelicæ fulcrum Definitio, si non corrui, saltem valde titubare videtur. Nunc alterum Pedem examinemus.

## SECTIO II.

### *De Divisione Aristotelica.*

**H**Oc secundum Logicæ Membrum, pariter adeo miserum est, ut ob ridiculam sui Sterilitatem, ab ipsis Scholis Aristotelicis ferè totum manserit neglectum. In Summa loquendo: Putant per hoc Membrum substantiale Logicum, se, dividendo Universalia in particularia, seu totum in suas Partes, propinare Mundo miras Scientias Rerum omnium.

Et tamen è contra certum est, quod prior sit cognitio, Universalis, totius integri, quam Particularium & suarum Partium. Et de Essentia est Universalis, esse unum in multis, & ideò Universale est magis scibile. Qui enim novit Unum & Universale, is novit etiam plura & particularia: Non è converso, qui novit Plura & Particularia, novit simul etiam Universale, & Unum in genere, eo quod Unum & Universale sit in Intellectu, Pluralitas verò seu Divisio sit in Sensu. Nam quantò magis aliquid dividitur in Partes, tantò magis appropinquat infinitis, ideoque sic minus est scibile labens ad irregularitatem, magisque obnoxium est mutationi & oppositioni. Igitur cum Logica agit de Universalibus, & dicatur apud Aristotelem I. Poster: quod minus erramus in Universalibus, quam in Particularibus, certè *Logica, nos ducens ad Divisionem per singularia, tantum abest, quod nos ducat ad Scientias, quin potius nos in Errores & Confusiones majores inducere & intrudere videtur.* Profectò si rem penitus inspiciamus, & hoc Divisionis Membrum attendamus, nullam Philosophiæ partem complere potest, nuda quædam dividendi Methodus, (quam Aristoteles subinde attingit) tam rudis ac cruda, ut ejusmodi Methodi vix una hypothesis

thesis diceretur adolescentibus: adeoque hoc Membrum Logice essentialiter est, ut ita loquar, defectuosissimum.

Pro Exemplo nobis hic sit Prædicamentum Substantiæ, quod Aristoteles dividit in Substantiam primam & secundam: adeoque in majores obscuritates. *Cum tamen longè aliter & Christianus, dividendum sit hoc Prædicamentum in Spiritum scilicet & Corpus. Spiritus autem iterum est vel abstractus, vel concretus. Homo verò solus est Spiritus concretus, non tamen inter Corpora locandus, si à potiori parte (ut fatentur ipsimet Aristotelici) desumenda sit Denominatio, & à famosiori Significatio essentialis sumenda sit Determinatio.*

Homo ergo potius à Spiritu & intellectuali Lumine denominandus erat, ac definiendus, distingvendusq; essentialiter non verò ab Animali, rationalitate infima. Ex his fiat Comparatio ad reliquas Aristotelis Definitiones, & Divisiones, ubique totas inanes, steriles &c. Igitur & hoc altero Essentiali Pede, valde claudicat Aristotelis Logica.

Videamus nunc reliquum tertium hujus Tripodis Pedem, Argumentationem, an is saltem subsistat firmus.

### SECTIO III.

#### *De Argumentatione Aristotelica.*

**V**ANè profectò jactat Aristoteles suam Logicam esse Matrem Scientiarum omnium, nec alias nos scire posse, quam per Demonstrationes Syllogisticas. Nam 1. constat evidenter in contrarium illiteratos plurimos, ex sua innata naturali Logica, Discursu & Argumentatione, & Ratiocinatione, plerisque Logicis Aristotelis artificialibus, esse multò in Realibus Peritiores, Astutiores, Solidiores, Judiciosiores, plura item nosse Naturæ necessaria, Utilia, Delectabilia, Honesta, &c. *Intueamur tantùm paucis coetanea nostri Ævi aliquot Ingenia felicissima, Cardinales Richelios, Mazarinos, Cleselios, Spinolas, Tillios, Pappenheimios, de Wer-*

de Werthios, &c. Principum item Europa Consiliarios, Administratos Civiles, Bellicos, Statisticos, quæ non invenerunt stupenda Consilia, subtilia Stratagemata, Artes & Miracula verè naturalia, quibus totum ferè Mundum sciverunt, & adhuc sciunt commovere, persuadere, attrahere &c. Advocatos item & Procuratores, quorum plerique præcipuè, in Boëmia Regno, literarum vel sunt ignari, vel incuriosi, & tamen quam speciosè noverunt Causas suas in utramq; partem defendere, ex albo Nigrum, & ex Nigro Album efficeret. Ut nihil dicamus de Artificibus ingeniosissimis, admirandis, quibus Orbis jam abundare videtur. Et tamen enumerati omnes, hæc miranda patrant, absq; ulla Argumentatione artificiosa, Aristotelica, Syllogistica. Imò si quis hodie in Rebus seriis, realibus, momentosis, in Consiliis, in Patrociniis Causarum, sive publicarum, sive privatarum, cum ejusmodi Formis Syllogisticis comparere velit, in Barbara, Celarent, Darii apud Doctiores, & Prudentiores, seu Literatos, seu Illiteratos, confestim tanquam inanis, imprudens, immaturus Adolefcens, irridetur, ad Scholas Pueriles ablegatur, rejicitur, despicitur, quasi pro Republica & Practica non valens.

Ex quibus constat veram Logicam, velut per Naturam esse nobis inditam, nativam, genuinam, quamvis diversimodè uni alterive plus minusve; adeoque est potius Hominibus Donativa, non per Artem comparata, prout ipsemet fatetur Aristoteles. Unde ejus Argumentatio artificiosa Logicalis, adeo jactata, non amplius est abstrusa aliqua Scientia aliarum Scientiarum Repertrix, sed nativum quoddam rixandi Jurgium, & ad hoc composita Methodus est æstimanda: Egena, jejuna certè & Commiseratione digna est Philosophia, quæ tam angusta Suppellectile, utensilibus quoque tam parvis ac defectuosis, Scientias jactitat se patrare, uti jam vidimus in primo & secundo Logices Pede, nimirum Definitione & Divisione claudicantibus. Itemque in hoc tertio Argumentationis, quod tamen Fulcrum præ

præ cæteris in sublime sublatum, *magni apud sermocinales Homines ponderis habetur, licet veris Naturæ usibus, re ipsa æque sit inconueniens, ut potè quæ Natura rixas odit, nec lubens fert Discordias.*

Declarantur hæc genericè dicta, magis in specie, variis Argumentis, 1. *Quia omnis Disputatio tandem Conclusionem parit, Conclusio autem omnis, tantum Opinionem inducit, aut saltem ferè semper; ut ex dicendis patebit, imò omnium fortissimum Ratiocinium Syllogismus, vix unquam aliquam Scientiam dedit, aut, dare potest, ut etiam patebit ex dicendis. Ergo multò minus ex alia qualicunqve argumentandi Formula, Scientia erit expectanda.*

2. *Inter Syllogismorum novemdecim Formulas, duodecim concludunt negativè tantum, & sic plerq; concludunt tantum negativè: nulla autem Negatio unquam peperit Scientiam aliquam, cum aliquid privatiui contineat, nihilq; doceat esse, quod negat aliquid esse: Scientia vero positivo sit, necesse est, cum sit positivi, & de positivo tantum.*

3. *Quia Basis omnis Syllogismorum in eo est sita, quod si duo conveniant simul, eadem debeant convenire in uno tertio, cujus convenientiæ Conformitas, debet apparere in conclusione ipsa, ergo eo ipso corruunt Syllogismi in eo fundati. Necessariò igitur in nobis præexistit cognitio illius Conformitatis ante Conclusionem, adeo ut in generali præscire omninò debuerim id, quod per Conclusionem demonstratur. Id enim latet in nobis tanquam Ignis sub Cinere, se seq; in apricum prodit, per naturalem Discursus Potestatem, quoties Usu venerit & me Necessitas aliqua urget; prodit, inquam, sese per nativam Discursus Potestatem, non minus quàm per Regulas Logices, quod nec ipse Aristoteles ausus fuit negare.*

*Igitur, qui per Logicam vult quarere aliquam Scientiam, jam quodammodo antea novit, quod querit, & Cognitio, quam per Demonstrationem haurimus, jam prius erat in nobis, & per Syllogismum,*

*Syllogismus, tantum evadit distinctior: remanet tamen adhuc, ut antea Dubio annexa, eo quod omnis Conclusio sequatur necessario debiliorem Partem Præmissarum. Imo Conclusio Syllogismi plerumque particulariter negat, cujus una Præmissa fuit universaliter negativa, nec audet affirmativè aliquid inferre, ubi in Præmissis est aliquid negativum. Igitur Signum est, quod Syllogismus vix aliquid doceat, per Assertionem, sed potius aliquid neget.*

Porro cum Scientia lateat sub Cinere in Intellectu, potest Intellectus quoties opus videtur, cinerem discutere, nec Opus habet ad hoc Formis & Modis syllogisticis, ut patet in Prudentibus, Judiciosis, Illiteratis: Imo cum juxta Aristotelem non sit disputandum, nisi cum admittentibus prima Principia, quæque putantur esse primo vera, hinc fit, quod ex dissimilibus Principiis, raro sequatur aliena Conclusio, v. g. ex istis falsis Præmissis; *Nullum adorabile est Creator. Omne Simulacrum est adorabile,* (id est debet adorari) Ergo *nullum Simulacrum est Creator.* Ex his, inquam, falsis Præmissis sequitur tamen vera hæc Conclusio: ergo nullum Simulacrum est Creator. Unde constat quod Conclusio Syllogismorum non cogat de Necessitate. Nam ex Mendacio alioquin sequitur Necessario falsum in vero Intellectu, & vera Scientia: ex impossibili sequitur impossibile, ex Absurdo nil aliud, quam aliud Absurdum. Itaque prout in Mendacio non continetur aut latet Veritas, ejusque Cognitio, ita consequens est, quod in Præmissis non claudatur necessario Conclusionis cognitio, vel enim falsum est, quod nulla Arbor Mendacii faciat bonum Fructum Veritatis, vel Falsum est, quod ex Præmissis falsis ut Principiis nascatur vera Conclusio, imo cum exinde constet non esse necessariam Conclusionis Dependenciam ex Præmissis, facile quoque intelligitur cur Anima nostra tam paucos Progressus hucusque fecerit ex his Syllogisticis Demonstrationibus.

C

Hinc

Hinc bene docet S. P. N. Augustinus: sicut in falsis Scientiis veras, sic in veris Scientiis *falsas Conclusiones esse posse. Constat igitur non esse Necessariam Conclusionis Dependentiam ex Præmissis, consequenter nec Syllogismum, nec quæcumq; alium Argumentationis Modum Aristotelica inferre posse certam Scientiam, sed tantum dubiam, opinativam, apparentem.*

Imo si penitus Naturam Demonstrationum Syllogisticarum trutinemus, *reperiemus eandem Demonstrationem, eusq; Cognitionem esse antea in Docente, nondum autem in Discente, adeoque non tam ad inveniendam Scientiam quam ad jam inventam, ostendendam alteri nescienti, inservire Argumentationes Syllogisticas.* In Discente autem per eas tantum Cinerem diflat ab Igne Syllogismus. Nam quicumque Syllogizat jam ante apud se distinctè novit, id, quod per Conclusionem sibi concedi nititur. Novit nempe Terminos, medium & modum, *neq; enim aliquis unquam Syllogizat incognitis Terminis.* Unde hæc Artificiosa Argumentatio inservit tantum ferè Ludimagistris, Tyrone excitantibus ad ea ad attendendum, quæ ipsi Ludimagistri sciunt, tanquam per Memorias Locales, ipsi verò paucas certè, per eam utiles Scientias invenerunt, quidquid interim de sua Logica jactitent. *Omnis enim Syllogismus prius concipit Opinionem Rei, eamq; sibi certam esse persuadet, quam ut deinceps, aut Discitentibus stabiliat, quærit Terminos Præmissarum, Medium & Modum, ut in Formam cogat suam Demonstrationem putatam.*

Igitur Syllogismus non inservit ad inveniendas Scientias, sed potius ut inventas Opiniones aliis demonstret, cumque Syllogismus in Discente faciat quandam Reminiscentiam ejus, quod scit, & non aliud, Scientiæ verò non acquirantur per Reminiscentiam, quasi in nobis omnes omninò præextitissent Scientiæ, hinc patet, quod Syllogismus non possit parere aut invenire Scientias, quia antea inventas & scitas Cognitiones  
tantum

tantum Clariores facit. Ex his satis Probatum videtur Primum, Secundum, Tertium cum suis Præmissis supra adductis.

4. Argumentum. Scientia nostri Intellectus habitat tantum immediatè in nostro Intellectu. Atqui juxta ipsum Aristotelem Scientiæ illæ immediatæ, i. e. intellectuales sunt indemonstrabiles i. e. *vera Scientia intellectuales non possunt à Demonstratione proficisci, cum omnis Demonstratio consistat in Discursu & Ratione. Scientia autem Principiorum secundum Aristotelem, non est in Ratione, sed supra Rationem. Ergo scire per Syllogismum non potest esse intellectuale, essenziale, ut neq. principativa, aut à priori, sed tantum à positis hypothesis Prædicamentorum vel Regularum, deducta est putata Opinio Syllogizantis.*

Ex hoc quarto Argumento oriri possunt duæ Quæstiones. *Prima*, Cum Aristoteles hic & alibi frequenter multum dicat, de Principiis primo veris, id est, quod non sit disputandum cum non admittentibus Principia, item, quod ejusmodi certa Principia sint præmissarum Fundamenta infallibilia, ex quibus sequatur infallibilis Conclusio: quæritur, inquam, nunc quænam & quot Aristoteles habuerit ejusmodi certa infallibilia Principia? *Secunda*. Cum Aristoteles fateatur Scientiam ejusmodi Principiorum non esse in Ratione, sed supra Rationem, i. e. in Intellectu. Quæritur, an Ratio sit idem cum Intellectu? an verò sint inter se diversa? quæ ambæ Quæstiones, paucis hic erunt resolvendæ, ut Materiam Principalem eo clarius intelligamus. Sit ergo

§. I.

*An Aristoteles habuerit multa Principia infallibilia, quæ negari non possint?*

Hanc Quæstionem resolutam habes ex Professo in Theologia nostra Morali fundamentali, Part. 2. Disp. 15. Art. 6. de Conscientia evidenti, ubi demonstratum ejusmodi Principia

infallibilia & evidentia, forsan tantum dari inter Homines, non Homines, ubi à Peccati Originalis reliquiis tenebrosis exuti, dicuntur in Angelos transisse, & paucissimas Homini Viatori tales Cognitiones evidentes esse concessas: Et præter Fidei infallibilia Principia vix duo reperiri Naturalia, v. gr. Primum est: Impossibile est idem esse simul & non esse: & inde Consequentia: id est: Contradictoriæ nec simul veræ, nec simul falsæ esse possunt. Item: Omnium illorum repugnat Existentia, quæ implicant Contradictionem. Secundum Principium infallibile est naturaliter: DEUS est, DEUS nec falli, nec fallere potest. His duobus adjungi possunt Veritates aliquæ abstractæ, quas Mathematici speculantur, sed non sunt reales, verum mentales totæ. Sensuum etiam Notitiæ his adjungi possent, sed non sinè Formidine, quia Sensus sæpè falluntur & fallunt, ac hallucinantur. Vidi ibi loco cit. ex professo.

Ex his Aristoteles (& ejus seqvaces) vix primum naturale Principium & alterum abstractum Mathematicum, habuit: reliqua ferè omnia ignoravit, i. e. Fidei Principia, DEI Existentiam & Veracitatem. De Sensuum etiam Experimentalibus Principiis pauca possedit. Alia quæ hinc inde tanquam talia supponit, revera incerta sunt, nec ità firma, ut controverti non possent in utramque Partem. Ergo ipsius artificiosæ Argumentationes jactatæ, vel nullæ erunt, vel paucæ, & opinativæ tantum: vide loco cit. plura.

## §. 2.

*An Ratio sit idem, quod intellectus?*

Negat Helmontius, asserens Rationem in solo Discursu consistentem, non esse Partem Substantialem Animæ Humanæ, seu Rationem Intellectus Essentialem, sed solum Intellectum Humanum habere hanc prærogativam.

*Rationem verò esse tantum quid medium inter Sensus & Intellectum, seu esse tantum Actum animale, Phantasticum Imaginativæ Potentiæ à Sensibus dependentem, medium inter Intellectum Spiritualem, & Sensus Animales, consequenter Rationem non esse Spiritualem, nec Lucidam, sicut est Intellectus, (qui nisi per Peccatum Originale esset Vulneratus, intuitivè potius Res inspiceret, prout sunt in se, absq; Discursu & Consequentiis, sicut Adam censetur intellexisse Rerum Naturas ante Peccatum, quando Nomina imposuit cunctis Animalibus:) sed esse obscurissimam, fallacissimam, ex Peccato provenientem, ex meris Sensibus dependentem, quæ millies falli possit. Deniq; nec esse illam DEI Lucernam, seu Lumen Vultus Divini in nobis, nec DEI Imaginem, sed has Prærogativas competere soli Intellectui, Animæ essentiali. Probat hæc omnia ex eo, quod Anima à Corpore separata, habeat omnino Intellectum in se, non verò Rationem, quia non discurret ibi per Præmissas, & inde deductas Conclusiones, sed intuitivè intuetur, quæ cognoscit, vide Helmontium §. Adamicus Intellectus.*

Ergo Intellectus & Ratio in Anima non sunt eadem, sed longè diversa; Vide hanc Conclusionem fusissimè deductam ab Authore §. Venatio Scientiarum, a. n. 56. & seqv: ex quibus sequitur, quod Argumentatio Aristotelica in mera Ratione, ejusque Animalis sensuali Discursu fundata, non sit adeo certa, infallibilis, indubia, sed in plerisque sit tantum opinativa, consequenter non adeo subsistat in jactata prærogativa, Genitricis, Matris & Magistræ omnium Scientiarum.

§. 3.

*Conclusio hujus Sectionis.*

Non immeritò igitur S. Hieronymus comparat Artem Syllogisandi Plagis Ægypti & Demonstrationes Logicas vocat Cyniphes Ægypti. Apostolus vero Paulus voluit eas prorsus esse vitandas, dicens: *nihil per Contentionem agentes, Verbisq;*

*contendere, ad nihil aliud Utile, nisi ad Subversionem Audientium, quippe quæ Fidem ac Fidei merita extinguant.*

*Objectio.* Logica est Inventrix Mediorum, & Forma ad Demonstrationem, Resp. Negando Antecedens: non enim media invenit ad essendum, habendum, faciendum aut sciendum certò, sed tantum ad compendiosius ostendendam Putationem aliquam, ad oppugnandum contradicentem, rixas compositas Artificiosas invenit; Nec dicitur invenire quis id, quod antea habet in Manu, in Arca: Logicam autem nihil invenire, nisi quod antea jam in Syllogisante reperiebatur supra ostendimus. Illud verò, quod ipsa nescit, nunquam invenit, sed qui mihi ostendit v. gr. Matthesin, Geographiam, Lapidem Philosophicum, & Arcana alia à me nescita prius, Utilia, Practica, is me docet, demonstrat datq; Scientiam ejus, quod antea ignorabatur.

Similia verò nunquam docuit aut demonstravit Logica, sed illud tantum tradit, quod antea Spiritus noster habebat in Possessione. Impossibile enim est, noscere, an præmissæ sint veræ (nisi sint expressè Fidei Sacræ) apparentes, vel falsæ, nisi Terminorum Cognitio prævia prius in nobis fuerit, cum omni Notitia Adæqvationis & Confirmationis illorum.

Totum enim Logices Ministerium & Utilitas, tantum in duobus consistit. 1. ut docens possit suam Opinionem imprimere in audiente distinctè. 2. Ut audiens Reminiscantiam aut Recordationem excitet, per Connexionem, Adaptionem, Adæqvationem, & Confirmationem Terminorum.

*Quod sanè non est Munus Inventivum Scientiarum, sed posterior quidam ad id discursus, quod jam inventum erat.*

Denique quidquid sic fit, nullatenus ad Scientias spectat, sed tantum ad dictiones. *Scientias autem dat sola Sapientia, Filius Sempiterni Patris Luminum, Media verò acquirendi Scientias veras, sunt propriè orare, querere, pulsare apud DEUM.* Vel dicant Scholæ Aristotelicæ, quam Scientiam hæctenus protulerit

rit Logica, *an Geometriam, Musicen, Vitriariam, Typographiam, Agriculturam, Medicam, Mineralem, Bellicam, Juridicam, Theologicam, Hydraulicam, Arithmeticam, Fabrillem, an quamcumque aliam, Utilem, Realem & Necessariam?* sanè nihil horum.

Unde ipsimet Doctiores fatentur hodie, Logicam potissimum Adolescentibus propinari illà Ætate, quâ aliud solidius Ferculum ferre non possunt, adeoque illis inservire in Acumen Ingenii. Interdum tamen Fraude vacare non videtur, si nihilominus Logica commendetur pro vera Philosophia, pro Repetitrice & Clave Scientiarum, cum revera tamen hæc sint falsa, uti jam probatum est.

Tandem videtur Logica non absimilis esse arti Pugillatoriæ, quæ artificiosos modos, & ictus pugnandi cum uno Antagonista edocet; *si quis tamen inde jactare vellet Artem Pugillatoriam ad omnem Pugnam, Bellum & Prælium, ita esse Necessariam, ut sinè illa Pugna, nulla Scientia Bellandi, se defendendi, alterum impugnandi, haberi possit, erraret gravissimè,* cum nec centesimus Miles hujus Artis sit peritus, & tamen præstantissima, bellicosissima, & gloriosa Facinora, & Stratagemata quotidie patrentur, sinè ulla Artis Pugillatoriæ prævia Scientia. Ita non absimiliter de Logica videtur esse discurrendum, vix amplius esse utilem & sæpè potiùs inservire in varios rerum abusus, semelque haustam in Adolescentia, dare tantum perniciofa Ingenia, & Logicarum Fallaciarum feracissima. Sed Manum de Tabula: & hæc tantum contra jactantias Logicæ Artificialis Aristotelicæ dicta sunt: Nam Logicam Naturalem, innatam, ejusque Culturam, Laudes & excellentiam lubentes admittimus: Immò tanquam Instrumentum utile ipsi commendamus,

## CAPUT II.

## DE PHYSICA ARISTOTELIS.

## SECTIO I.

*Enumerantur Materia Physicæ Aristotelis.*



Um Objectum verum Physices sit Corpus Naturale, seu Cognitio & Interpretatio Corporis Naturalis, hinc Aristoteles totam suam Doctrinam Physicam reducit & dividit in sequentes Tractatus. In primis agit de Natura Rerum, quam Aristoteles definit: esse Principium Motus & Quietis in Corporibus, quibus per se & non per Accidens inest. Ejusdem Corporis Naturalis prima Principia essentia constituit tria: Materiam primam, Formam & Privationem. Causas similiter naturales rerum Physicas, Essentiales, universales ponit quatuor. Et quidem denuo primas duas vult esse Materiam primam eandem, Formam eandem: quibus addit duas reliquas, scilicet Causam Efficientem externam, & Causam Finale[m] itidem externam. Quorum omnium Definitiones essentialis paulò post examinabimus.

Post hæc tradit tanquam Corporis naturalis Proprietates, Passiones, Attribute intrinseca, Doctrinam de Casu & Fortuna, de Vacuo, Infinito, Continuo, Loco, Tempore, Motu; & his absolvit 8. Libros Physicorum, seu de Physico Auditu. Inde progreditur ad Tractatus de Rerum Generatione & Corruptione, tanquam essentialiter sibi connexis successivè, quibus subjungit Materias de Elementis, de rerum Mixtione & Compositione essentiali ex quatuor Elementorum Qualitatibus, de Cælo, item de Mundo. Tandem Libros de Anima. His absolvit principaliter & substantialiter universam Physices & Philosophiæ naturalis Historiam, sed an rectè & verè, nunc paucis examinabimus.

SECTIO

## SECTIO II.

*Examinatur Doctrina 8. Librorum Physicorum.*

**A**Nte omnia, pro generali & essentiali Physices Principio supponendum est, quod Natura realis & Corporis naturalis cum suis Principiis, Causis & Proprietatibus intrinsecis essentialibus, vera & solida Cognitio tantum desumi debeat, ex eo, quod est Actu & Re ipsa. Unde ab ea omnia omninò removenda sunt illa, quæ tantum sunt Fictitia, purè speculativa, non Realia, in sola Mente subsistentia, & à solo Intellectu dependentia.

Nam sicut Corpus naturale est totum Ens reale, ab omni Humano Intellectu independentem se habens, prout est in se; ita etiam ejus naturalia Principia, Causæ Essentiales, Proprietates, debent esse Entia Realia, Positiva, nequaquam verò Negativa, Privativa, Entia Rationis, Mentis, Intellectus, Relationes, Fictiones, solius Mentis conceptus. Hæc enim alibi revera non existunt nisi in solo Conceptu discurrentis, in re verò actu & à Parte Rei non sunt, & forsan tantum in concavo Lunæ quærenda. His præsuppositis tanquam certissimis, percurramus nunc singulas supra enumeratas Materias Aristotelicas, & paucis examinemus genericè tantum, experiendo an & quomodo subsistant?

## §. 1.

*De Rerum Natura.*

En statim in ipso Physices Limine, graviter impingit Aristoteles, dum ineptissimè definit Naturam sic: Natura est Principium Motus & Quietis in Corporibus, quibus per se, & non per Accidens inest.

Ubi plures Errores & Inscitiæ Aristotelis definientis reperiuntur, quam Verba. Helmontius ex Aristotelica Naturæ Definitione & Descriptione, demonstrat 40. circiter crassis-

simos Errores essentielles. Nos eorum paucos tantum hic libabimus. Inter quos est 1. Quod per hanc Definitionem quaelibet Accidentia auferat Aristoteles de Catalogo Naturæ, quasi extra, præter, supra Naturam essent. Eo quod Accidentia omnia, insunt per Accidens Corpori. 2. Omnia Corpora quæ per Accidens Motum aut Quietem habent, à Natura sic exulabunt. 3. Si DEUS post Creationem primam, nec Motum nec Quietem Rebus indidisset, jam fuissent Creaturæ & tamen non fuisset Natura, aut in Rerum Natura. Quis hoc admittat? In Principio enim, quum creavit DEUS Cœlum & Terram, etiam tunc erat Natura ab Aristotele non Intellecta. Fuit nimirum aliquando Creatura Actuque extitit ante vel citra Naturam hanc Aristotelicam. Ergo si Definitio esset bona fuisset Creatura extra Rerum Essentialem Naturam, quod est Absurdum 4. Exularent sic à Natura, Corpora omnia, in quibus Initium est Motus Externum & per Accidens. 5. Item quæcunque per Mathesin moventur. 6. Etiam Molæ per Ventum vel Aqvas motæ, non moventur sic per Naturam. 7. Mors sic quoque esset Natura, cum sit Initium Quietis in Cadavere per se, Nos verò Christiani credimus Mortem non esse Creaturam, nec unquam à DEO creatam. Et licet naturaliter incidat, id tamen non accidit Ratione Mortis, sed Ratione Causarum Naturalium Mortis. 8. Denotat ejusmodi Corpora, quibus inest Principium Motus & Quietis, non esse de Censu aut suppositis Naturæ, siquidem Corporum non est, per se & per Accidens inesse Corporibus. Plura Absurda & Contradictoria vide ibi §. 2. & 4. toto.

*Nos verò melius & Christianius definimus Naturam sic: Natura est jussus DEI, quo Res est id, quod est, & agit, quod agere à DEO jussa est. De quo infra plura.*

## §. 2.

*De Principiis & Causis Rerum Naturalium.*

In primis confundit Aristoteles Principia rerum, cum earum Causis primariis. Nam utrobique assignat Materiam & Formam, semel pro Principiis & iterum pro Causis Rerum, cum tamen alibi doceat utraqve inter sese, esse diversissima. Ergo sibi ipsi parum constat.

Deinde in Specie: Materiam primam sic definit: *Est Subiectum primum unius cuiusq̄, ex quo fit aliquid, cum insit, non secundum Accidens, & si corrumpitur, ad hoc ultimum sanè proficiscitur.* Alibi nempe 7. *Metaph. Cap. 3. eam aliter definit sic: Materiam dico, quæ per se ipsam, nec quid, nec quantum, nec aliud quidquam eorum dicitur, quibus Ens determinatur. Et paulò post subjungit: nec etiam Negationem. Etenim hæc quoq̄, per Accidens.* Alibi Textu 76. iterum ait: *Materiam esse non Ens per Accidens, quatenus includit Privationem, at Privationem esse non Ens per se.* Vide Morandum in Cursu Phys. Tr. 2. de Materia, & Tr. 4. de Privatione, num. 97. Denique alibi vult: *Esse Substantiam, quidem, sed incompletam, item docet: quod Materia non sit Corpus, quod non habeat Entitatem suam propriam, quod habeat suam Entitatem à Forma, tanquam à Conditione sine qua non, quod pendeat à Forma in suo esse, tanquam à Causa formali extrinseca, quæ sit Terminus Relationis Materie, quod Materia naturaliter dari non possit sine Forma, quod sit pura Potentia, quia caret omni Actu formali, quod appetat primario Formam in Communi (quæ est merum Ens Rationis non existens à Parte Rei) deinde Formas in particulari disjunctivè nunc hanc, nunc illam, quod non possit satiari vel esse contenta, unâ vel alterâ Formâ, sed continuò appetat novos Formarum concubitus.*

Denique facit Aristoteles Materiem esse insatiabilem Lupam Meretriciam, quæ vagetur per quaslibet Formas se prostituendo,

stituendo, quod omnem in Confuso appetat, adeoque nulli maneat firmo Matrimonii Vinculo alligata, continuè novos Procos ambiat, appetat, de quibus plura Vide loco cit. apud Morandum de Materia.

Ex quibus omnibus patet, etiam ex ipsa Aristotelis Confessione, Materiam suam Re ipsa esse non Ens, Privativum, Relativum, Negativum, realiter & à Parte Rei, naturaliter impossibile: Ens merum Rationis, fabulosum, fictitium, nihil actuale reale. Quomodo ergo potest esse Principium primum, & Causa naturalis, essentialis, realis, constitutiva Corporis naturalis, positiva & positivè Physicè influens in esse Rei, independenter ab omni Humano Intellectu, cum ipsamet nullum habeat esse in Rerum Natura, existat tantum in Intellectu Humano? Quomodo dare potest, quod ipsamet non habet? Ergo hoc Principium & Causa Aristotelica videtur esse mera Fabula.

§. 3.

*De Privatione.*

Alterum Rerum Principium Essentiale constitutum ponunt Aristotelici Privationem, quam definiunt: *quod sit Absentia Formæ in subjecto apto.* Ubi cum Aristotele omnes ferè fatentur: Privationem *non esse aliquid positivum.* Imo Aristoteles Textu 75. expresse dicit Privationem esse, *non Ens per se,* Et Text: 81. negat Privationem esse Substantiam, eò quod per se sit *non Ens.* Vide Morandum Recentiorum, & alios Philosophos. Et quæso, quid aliud est Absentia Formæ in apto Subjecto, quam Res nondum existens, sed futura vel possibilis? Ergo re ipsa & Actu nihil est reale, sed purus conceptus Mentis. Ergo Privatio hæc Intellectualis fictitia, non potest esse Principium Corporis naturalis, realis, essentialis, reale, constitutum, realiter influens.

Pallient ergo hæc Principia in se fabulosa, quibus cunqve Speculationis Coloribus apparentibus, subtiliter, quomodolibet, nunquam ex eis, i. e. Materia sua prima, & Privatione efficiunt

cient Ens reale, Principium Rerum positivarum intrinsecum, Principiativum, Causativum; sed Re ipsa apud reales, prudentes semper hæc manebunt Chymeræ, Blictri, Fictiones, Entia Rationis mere speculativa, ad Rerum Naturam Realem, nihil conferentia, nihil influentia.

§. 4.

*De Forma Rerum.*

Pro tertio Principio & Causa naturali Rerum secunda, ponunt Aristotelici Formam, eamque definiunt, esse: *Actum Substantialem unum per se constituentem, cum Materia.* Voluntq; eam produci vel ab Astris, vel educi de Potentia Materiæ, vel post prævias omnes prærequisitas Dispositiones introduci. Hæc omni examinabimus infra suo loco ex Professo de Forma vera. Hic tantum negamus, Formam esse Rerum Causam, aut Principium naturale, & in Contrarium affirmamus, Formam esse potius Effectum Compositi naturalis, adeoque potius Posteriores suis Principiis, & Causis, consequenter non posse Principium & Causam esse sui ipsius. Nam in primis cum omnis Causa secundum Naturam & Dierum Successionem, sit prior suo Causato, certè Forma non potest esse Causa compositi producti, sed potius Entelechia ultima Generationis, ipsissimaque generati Essentia & Perfectio, propter cujus Assécutionem & Conservationem omnes prævia Dispositiones & cætera cuncta diriguntur, tanquam ad Finem & Scopum. Itaque Formam potius meditamur tanquam Effectum Principiorum & Causarum, quam ipsam Rei Causam.

Imò amplius: cum enim Forma sit Finis Generationis, non est mere actus Generationis, sed generati potius, & in Generatione potius est Potentia possibilis, Materia verò sive Generationis subjectum, ut Actu est, ita quoque Actu est agens internum, efficiens, quem nos Archeum appellamus, quæ omnia ostendemus infra solidè.

Falsum igitur est quod quanto Res magis habet de Forma, tantò magis habeat de Actu, de Entitate, de Virtute ac Operatione. Forma enim non quæritur per Partes, nec possidetur per Partes, vel Gradus, neque id circò Entia sunt susceptiva, plus minusve de Forma. Imò licet hujusmodi essent susceptiva, Activitas tamen agentis non est ipsius Formæ, sed Archei, de quo infra. Forma igitur est indivisibilis. Quidquid enim Aristoteles tribuit Formæ, sive Perfectioni postremæ Rei, in Scena Rerum, id propriè, directivè, & executivè competit illi Internæ Causæ agenti, efficienti, id est, Archeo seminali.

Forma igitur est ultima compositi Perfectio, indivisibilis, de Genere Luminum, à solo Patre Luminum DEO, immissa, quæ pereunte paulatim totum Compositum deficit. Sed de his infra suo Loco. Hic ea obiter tantum libasse sufficiat. Præpostere ergo Aristoteles Generationis Finem, Apicem & Destinationis ultimum Scopum, ipsumque Productum, pro Naturæ Principio & Causa assignat, Effectum nempe pro Causa & Initio Rei, Formam ante Dispositiones & Præparationes prævias. Quæ omnia infra clarius patebunt.

## §. 5.

*De Causa efficiente externa Aristotelica.*

Post tria Principia & duas Causas Rerum priores, Materiam & Formam, tertiam Causam naturalem Corporum statuit Aristoteles Causam Efficientem externam, quam sic definit: *Causa efficiens est id, unde est primum Principium Motus & Quietis.* Alii sic definiunt, *Causa efficiens est illa, quæ vi naturali producit Effectum sibi proportionatum.* Sed ineptissimè iterum hæc Causa Rerum assignatur. Physica enim & Philosophia inquirere debet Principia, Causas, Proprietates & Attribute intrinseca, Essentialia, non extrinseca, Accidentalibus, Artificialibus, quæ per se facilè patent, etiam cuilibet illiterato: Causa autem

tem Efficiens externa ab Aristotele assignata, si rectè inspiciatur, est potius Causa artificialis Rerum externa, quam naturalis interna, essentialis, solùm in artificiatis Locum habens, v. g. quando Faber efficit Arte factum, Statuam, vel quando una Planta per suum Semen emissum generat aliam Plantam, vel Bos Bovem: non verò Locum habet generalem in universis Rebus naturalibus, præcipuè ab Internis Principiis Ortum ducentibus. Unde hæc Causa Efficiens Aristotelica est Rei generatæ planè extrinseca, externa, nequaquam ingrediens Corporis naturalis Essentiam, Naturam, nec attributa compositi naturalis, realis, sicut Faber aut malleus, totus est extrinsecus fabre facti, Planta una alteri Plantæ, Pater Filio. Alias enim si esset de Essentia interna Compositi naturalis, pereunte Fabro aut Malleo, Patre, Planta una, simul periret & Fabre factum, Filius, & Planta generata, quæ omnia sunt Absurda.

Causa ergo Efficiens Aristotelica rerum naturalium, tantum est externa, artificialis, occasionalis, impropria, extra Essentiam Corporis naturalis constituta, non naturalis Compositio, & interna. Quare non spectat ad ejus Naturam, adeoque ineptè assignatur pro Causa propria, essentiali, Physica Rerum. Et hinc patet omnem ferè Aristotelis Speculationem Physicam, tantum circa Artificialia, Metaphorica, & Naturæ Externa Accidentalibus vagari. In Natura verò tota Causa Efficiens esse debet interna & essentialis, ut infra magis patebit.

## §. 6.

*De Causa Finali.*

Eadem ineptia hic iterum occurrit, quæ paulò ante in Causa efficiente Aristotelica. Nam Causa finalis ab Aristotele definitur: *esse id, cujus gratia aliquid fit.* Unde omnes Aristotelici ad Causam Finale[m] duo requirunt: 1. ut Finis ab Agente ametur propter se ipsum. 2. Ut media ametur ab Efficiente propter Finem,

Ex

Ex his manifestum est , 1. hanc Causam esse purè mentalem, intellectualem, Ens Rationis, non Realem, non Positivam. Ergo realiter influere non potest in Compositum per Physicum naturale, nec tanquam Essentia Naturæ ipsius considerari, nec ingredi ejus naturalia, interiora Physica componentia. 2. Patet eam esse Composito Physico prorsus extrinsecam, in sola Mente efficientis externi existentem, adeoque non ingredi ejus Essentiam, Naturam. 3. Non esse Causam universalem omnibus Corporibus communem, sed competere posse solis Hominibus, Arte facientibus, & aliqualiter, improprie tamen, Brutis, nulla autem Ratione reliquis omnibus Rebus inanimatis, ut per se patet. Ergo ineptè assignatur pro Causa naturali universali, consequenter corrumpit & hæc quarta Causa naturalis Aristotelica Physica, Corporis naturalis. Nam ad eam tantum Res quæque dirigitur per Mentem, & hanc ipsam Aristoteles tantum voluit esse in Mente efficientis externi, & eam omnium trium priorum, i. e. Materiæ, Formæ, Efficientis statuit, esse primam. Constat igitur Res naturales per Aristotelem non tantum principiari per Entia Rationis, & purè mentalia, sed etiam fingi, quasi inanimata in Mente Causæ efficientis laterent prius per Finem.

Sicut ergo Aristoteles ineptè inquirat Causas naturales, ut jam dictum, ita longè pejus Finem super naturalem in Mente primi Motoris, pro Causa naturali substituit, vel mentalem Finis Conceptum in omnibus, etiam non animatis, requirit. Adeoque cum Causa efficiens in se contineat Fines, tanquam Instructiones Rerum à se agendarum, ideò Causa hæc finalis Aristotelica externa, quæ tantum in artificialibus Locum habet, prorsus vana est in Natura, aut saltem non distincta quidditate, ab ipsa Causa efficiente, considerabilis est in Physica. Quæ enim finalis Causa in Mente Artificis est, Ens Rationis merum est, nec potest Causæ Realis & naturalis Pondus obtinere, eo quod  
Causæ

Causæ efficienti naturali, à DEO naturaliter sit omnium Finium & Habitudo infusa Scientia, ut infra pluribus videbimus suo Loco.

Malè igitur subsistunt omnia Aristotelis Principia, & Causæ essentialia Physicæ Rerum naturalium, in reali, vera & solida Philosophia naturali, præcipuè Christiana, & non nisi Somnia mera, Fabulæ, Entia Rationis, artificiosæ Speculationes intellectuales, & inanes in vera Natura esse apparent, ad Realem Naturæ & Corporum naturalium Cognitionem, ac Praxim nihil inservientes, fundatæ magis in Mathefi, artificialibus externis, in Metaphoris, Similibus, quam in vera, essentiali, intrinseca Rerum Natura Practica. Sed de his hic satis: nunc experiamur, an reliqui Libri Physicorum Aristotelis, de Proprietatibus, Passionibus & Attributis Corporum naturalium solidius subsistant?

## §. 7.

*De Fortuna & Casu.*

Nunc progreditur Aristoteles post Corporis naturalis essentialia Principia & Causas, ad ejusdem Corporis naturalis Passiones, & Proprietates naturales: Inter quas statuit in primis Fortunam & Casum. Fortunam definit: est Causa per Accidens, in hisce, quæ per Electionem alicujus Gratia fiunt. Melius diceret: Fortuna est Effectus (non Causa) raro contingens præter Intentionem agentis. Casum verò definit: est Causa per Accidens in his, quæ sine Ratione operantur, propter Finem, raroque contingunt. Melius diceret: Casus est Effectus (non Causa) insolitus aliquis ex Causa naturali præter Intentionem illius ortus.

Quàm ineptè hæc duo, Fortunam & Casum, Aristoteles inter Rerum naturalium naturalia Attributa & Proprietates ponat, per se patet ex his Definitionibus. Nam revera nihil aliud sunt, quam soli Rerum Eventus varii, à Mente Humana non ex-

ſpectati, non intenti, Naturam realem Corporum, & Rerum naturalium nequaquam ingredientes, ac potius ſunt Moralia, quam Phyſica Attributa Rerum. Ac proinde non apparet, quo Jure illa Ariſtoteles intra Naturæ Phyſicæ intrinſecas Proprietates reales intrudere audeat, & quidem tanquam omnibus Rebus univerſalibus communes univerſaliter, cum tamen 1. non ſemper, ſed rarò contingant, ut ipſemet Ariſtoteles confitetur. 2. Cum magis videantur dependere ab Humano Intellectu, Rerum eventus variè intelligente, intendente, explicante, interpretante, Re ipſâ autem & reſpectu DEI nihil penitus ſint Fortuna & Caſus, utpotè qui omnia præſcit, vult, ordinat, nec præter ipſius Intentionem quicquam contingit. Igitur Proprietas hæc Ariſtotelica Corporis naturalis, præſus inanis eſt, nullatenus Phyſica, adeoque ineptiſſimè tractatur ab Ariſtotele, peculiari Libro, inter Phyſica, cum tamen Eventus Rerum non mereantur Locum in Naturæ Contemplatione & Cognitione.

## §. 8.

*De Vacuo.*

Post Fortunam & Caſum, inter Rerum Paſſiones naturales ponit Ariſtoteles Vacuum, quod ipſimet Ariſtotelici fatentur eſſe Ens Privativum, ſeu Locum Corpore Carentem, naturaliter in Rerum Natura impoſſibilem: Ergo de facto nullum, Somnium, Figmentum, Ens Rationis, Chymeram. Quomodo ergo talis Fabula poterit eſſe Attributum Reale & Paſſio naturalis intrinſeca Corporis naturalis? Nugæ Nugarum.

Quod autem in Aëre (non in omni Corpore) neceſſario debeat dari Vacuum, de Neceſſitate Naturæ, ne admittatur Corporum Penetratio, multò Difficilior Conceſſione Vacui, oſtendemus infrâ de Meteoris & de Aëre, quicquid Ariſtotelici in Contrarium pugnent, pro Impoſſibilitate Vacui univerſaliter, hic ſufficiat demonſtraſſe, Vacuum ineptè collocatum eſſe ab Ariſtotele inter Attributa Corporis naturalia,

## §. 9. De

## §. 9.

*De Infinito.*

Sequitur Infinitum, tanquam Passio naturalis Corporis, sed æque impertinenter illud definit Aristoteles: Infinitum est, cuius semper est aliquid extra. Ubi iterum unanimiter fatentur Aristotelici, Infinitum naturaliter esse impossibile, esse privativum, aut negativum, solumque DEUM esse Infinitum. Sed DEUS est Infinitum supernaturale potius, quam Attributum naturale, aut Passio Corporis naturalis, unde ad Naturæ Cognitionem intrinsecam impertinens. Igitur & hæc deprædicata Rerum Proprietas corrui.

## §. 10.

*De Loco.*

Quomodo iste subsistet inter Attributa Rerum naturalia? Definitur ab Aristotele: Est superficies ultima Corporis continentis immobiliter. Hic variè nugantur de Loco, Ubi, Situ, de Spatio Imaginario, de ejus Punctis, de Re ipsa confundunt Locum cum Aëre, quodlibet Corpus in Superficie ambiente, continuo mutabili. Unde nec Praga, nec ullum Corpus alias in se immobile, manet in eodem Loco, sed continuo mutatur. Alias per Locum intrinsecum intelligi volunt Rei præsentiam in aliquo Loco. Denique vagantur per mera Rationis Entia, Intellectualia, Naturam Rerum realiter non ingredientia. Imò patet ex ipsa Loci Definitione Aristotelica, ejus Locum definitum, esse potius Ens Mathematicum, Abstractum, Relationem Rationis ad puncta Spatii Imaginarii, Ens Rationis, quam Attributum reale intrinsecum Rerum. Consideratio etiam Linearum, Superficierum, Punctorum, revera ad Mathesin spectat, non ad Physicam, quia sunt Corpori naturali prorsus extrinseca, non realia, abstracta, ab intellectu tantum dependentia, Speculativa.

Malè ergò hæc collocantur inter Naturæ realis Proprietates veras positivas.

## §. II.

*De Motu.*

Forsan hic inter Corporum Proprietates magis subsistet? Definitur ab Aristotele: est Actus ejus, quod est in Potentia, secundum quod est ejusmodi; seu: Motus est Actus Entis in Potentia, quatenus in Potentia est, *Ecce, statim se prodit hujus Proprietatis Aristotelica Inanitas, non realis, mere intellectualis, Speculativa. Nam quid est Re ipsa Actus Entis in Potentia, i.e. Entis in Rerum Natura nondum existentis, adhuc in concavo Lunæ vagantis, possibilis, non actualis? Actus negatorius est idem ac Actus non Actus, fictitius tantum, & quatenus est talis, id est fictitius, nondum realiter existens, possibilis, forsan futurus, forsan non futurus* Adeoque patet hunc Motum Aristotelicum definitum in Genere, inservire potius Mathesi, quatenus est localis, in Naturam verò Realem, æque, ut priora Attributa, fundamentaliter & indistincta Distinctione, esse, tanquam Proprietatem Rerum, Introductum.

Quid autem propriè sint Motus ab Aristotele tanquam Species Motus assignati i.e. Generatio, Corruptio, Augmentatio, Decretio, Alteratio, Motus localis, & quod potius sint Actus Animæ vegetativæ, sensitivæ, quam universaliter omnium Corporum, infra suis Locis videbimus.

Hic sufficiat demonstrasse: Motum Aristotelicum esse Fictitium, & malè inter Passiones Rerum naturalium omnium collocatum.

## §. 12.

*De Continuo.*

Definitur ab Aristotele: Continuum est, quod divisibile est in ea, quæ insunt, quorum utrumque, vel unum quodque unum  
quid,

quid, & hoc aliquid aptum est esse. Hic Aristotelici inter se contendere solent, an Continuum componatur ex Partibus indivisibilibus, aut Partibus finitis, aut infinitis? ubi Aristoteles putat constare semper ex Partibus divisibilibus in Infinitum, melius diceret ex Partibus indivisibilibus. Alii expressè volunt constare ex meris indivisibilibus: Alii disputant & negant dari Indivisibilia Continuantiæ Realia, nec concedunt dari Indivisibilia Terminantiæ, quæ sint Entia Realia, sed hæc Indivisibilia tantum dari secundum Intellectum, quæ aliud non sint, nisi Negationes ulterioris Extensionis primæ & ultimæ, Partis assignabilis ab Exteriori. Vide Morandum in Cursu Phys. de Quantitate: ubi in Materia hac de Quantitate, vix aliud invenies, quam meras Doctrinas Mathematicas abstractas, nimirum juxta triplicem Extensionem de Quantitate excogitabilem, etiam triplex Genus indivisibilium Mathematicorum circumferri in Scholis.

1. Enim extendunt Corpus secundum Longitudinem, & secundum hanc dant Punctum, quod definiri solet: cujus Pars nulla est, quia omnino est indivisibilis.

2. Extendunt Corpus secundum Latitudinem: & secundum hanc Extensionem datur Linea, quæ est Longitudo sine Latitudine.

3. Extendunt secundum Profunditatem, & secundum hanc datur Superficies, quæ est Latitudo cum Longitudine, sine Profunditate, Vide ibi num. 307. & *reliqua*: Igitur tota hæc Doctrina de Continuo, potius Mathematica, abstracta est à Materia & Corpore naturali, Imaginaria tantum & speculativa, & non realis naturalis, negativa, privativa, relativa, nullibi in Rerum Natura reperienda, nisi tantum in Phantasia talia imaginantis. Ergo non potest esse Passio Corporis naturalis realis intrinseca, ab Intellectu independens, sed tota extrinseca, intellectualis.

## §. 13.

*De Tempore.*

Ejusdem farinae ut priores, Proprietas Corporis naturalis est Tempus Aristotelicum, quod Aristoteles sic definit: Est numerus Motus secundum prius & posterius. Ubi advertendum

1. Quod Numerus, seu numerare sit Actus Intellectus, seu Rationis numerantis. Ergo est Ens Rationis non Reale, aut Actus Corporis aut Proprietas ejus naturalis Corpori numerato plane extrinseca. Etsi Tempus esset Numerus, posito quod non daretur in Rerum Natura Intellectus humanus numerans, etiam non daretur Tempus in Rerum Natura, quod est falsum: Ergo ex hac Parte fictitium est Tempus Aristotelicum.

2. Dicitur nē Numerus Motus? haud dubiè non alterius Motus, quam Cœli primi mobilis. Atqui hodie à plerisque Judiciosioribus & Doctioribus Mathematicis defenditur Cœlum non esse solidum, sed liquidum, adeoque Cœlum non moveri ab Oriente in Occidentem, intra 24. Horas, Cursum, seu Motum diurnum absolvendo, sed tantum Stellis moveri variis Motibus inæqualibus, per Cœlum fluidum, immotum, permanens. Unde Motus primi mobilis, Temporis, Numerus aut Mensura, est tantum Imaginarius, sicut Circuli Cœlestes & reliqua Dogmata Astronomo-Mathematica pro captu faciliore sunt tantum sic excogitata. Ergo etiam ex hac Consideratione Tempus Aristotelicum est nullum, inane, frivolum.

3. Dicitur, Numerus est Motus secundum prius & posterius: sed nec *Prius* est aliquid Positivum in Rerum Natura, nec *Posterius*: quia *Prius* forsitan fuit antea, sed non est amplius: *Posterius* verò erit, sed nondum actu est, aut defacto. Ergo re ipsa *Prius* & *Posterius* sunt mera non Entia, negativa, relativa, intellectua- lia, Corpori temporaneo planè extrinseca, à Mente numerantis & reflectentis dependentia, i. e. Rationis Entia, nulla: Ergo  
in

in Temporis tota Definitione nihil reperimus reale, actuale, vel Corpori intrinsecè proprium & naturale: Ergo ineptè assignatur ab Aristotele Tempus inter Corporis naturalis Proprietates, & Passiones naturales universales.

Addunt Aristotelici, saltem Tempus consistere in Instanti indivisibili, continuò pereunte & renascente, Physico, non Mathematico, Sed ista Evasio non subsistit; quia non datur, ex propria Confessione Aristotelicorum, indivisibile reale Physicum in Rerum Natura: Ergo etiam ista Circumstantia est imaginaria tantum & fictitia, & simul ridicula, sicut in sequentibus magis elucescet. Cum autem Consideratio Temporis apud nos Christianos sit Res magni ponderis, placet hic paulo amplius excurrere & præfatam Temporis Aristotelici Definitionem rejectam, altius examinare, & declarare, per aliquot puncta, simulque statuere, quid sit Tempus reale Christianum.

### Punctum I.

*Declarantur magis & confirmantur superiora.*

**I**N primis igitur per Definitionem Temporis; quod sit Numerus Motus secundum prius & posterius, Aristoteles male metitur Naturam Temporis, ex Circumscriptione motus, seu Cœli primi Mobilis. Nam

1. Licet hodie ferè certum sit apud Christianos, etiam Theologos, Cœlum non esse primum Mobile, nec circum rotari intra 24. Horas; ponamus & concedamus tamen ita esse, nihilominus, prout motus Cœli fit in Loco, ac si esset Loci quædam Mensura, & tamen sicut Locus propterea non est Motus, licet fiat in Loco, sic neque Motus potest esse Tempus, licet contingat in Tempore. Tempus enim non potest generari per Motum, nec in Utero Motus, si Generatum in specie simile esse debeat Generanti. Unde Annus, Dies, Mensis & Nox, non sunt Tempus revera, sed

sed Mensuræ tantum extrinsecæ & Accidentia Rerum Contingentium in Tempore, Tempori plane peregrina & externa. Sic enim Dies nostra, est Nox alterius Hæmisphærii, interim tamen ubique est idem Tempus in toto Universo; similiter, Ver, Æstas, Autumnus, Hyems, non sunt realiter ipsum Tempus, sed meræ Alterationes Aëris, ordinatæ à DEO, in Alterationem & Vicissitudinem Rerum. Pueritia item, Adolescentia, Juventus, Vigor & Senium, nequaquam sunt Tempus, sed Nomina tantum Alterationum Corporis, & Vitæ Sensitivæ & Vegetativæ in Hominibus, Animalibus, Plantis, Radicibus, Seminibus, Rerum naturalium.

2. Præterquam, quod doceant Aristotelici, Tempus vel esse ipsam Mensuram primi Mobilis, vel saltem sub ea concludi (id enim nondum determinarunt) volunt in super, quod indivisibile quodlibet Punctum Temporis Physicum, in se habeat Actu, & realiter infinita Puncta Mathematica, *Et sic positivum reale Infinitum, prout est indivisibile Actu (quod tamen alias Et revera in se positivè non est intelligibile, adeoque à Scholis ipsis negatur esse possibile, ut supra vidimus) sic, inquam, hic in Contrarium infinitum Actu, reale, positivum jam concedunt, in quolibet Temporis minimo puncto, ultro; consequenter sibi ipsis Contrarii vel Contradictorii, meris Somniis, & non realibus, Mathematicis abstractivis, & Entibus Rationis meris conspurcant Naturæ Cognitionem. Ex his ergo illorum Suppositionibus inanibus, necessariò sequitur partem quamlibet Temporis, non esse Temporis realis, sed Punctum aliquod Mathematicum indivisibile, atq; adeo sine Duratione, extra, Et præter Tempus. Quomodo ergo Duratio potest salvari in Puncto indivisibili, non reali, continuo pereunte Et renascente? qualis est ista Duratio nihil penitus durans? & tamen alibi inconstantes dividunt Durationem Rerum in Tempus, Ævum, & Æternitatem, & consequenter supponunt.*

ponunt Tempus esse Durationem, quæ Duratio nihil aliud est, quam Rei Permanentia in suo esse, ut infra.

3. Licet itaque Tempus etiam constaret, vel ex indivisibilibus Partibus, vel tanquam aliquod eorum Productum esset, ex Connexione indivisibilium & infinitorum Punctorum, Durationis Rerum, nec sic revera quidem essent indivisibiles Atomi, seu Puncta Durationis, nisi per sui Connexionem in aliquid Divisibile consurgerent. Non enim attendunt, quod Indivisibile negativum, nunquam possit per Connexionem coalescere in esse aliquod præsens, actuale, longum, breve, magnum vel parvum, eo quod in se comprehendat merum nihil in Ente Physico, i. e. in Ente reali. Ergo sibi contradicunt in Verbo: *indivisibile*. Aspexerunt quidem longum & breve Tempus, & hætenus subter Quantitatem reducerunt: sed quam verè, & ad quam Quantitatem, (Mathematicam scilicet, abstractam potius, quam Physicam realem) patet ex dictis.

4. Constituerunt denique Aristotelici Essentiam & totam ejus Circumscriptionem, etiam in Successione continua, quæ actualiter infinitis, & infinitè indivisibilibus Durationis Punctis, in minimo quolibet instantis Physici Puncto connexa staret.

Profectò ubique nimium se Mathesi addixerunt, dum Naturam inculcasse se putarunt. — Mathesis enim supponit sub quolibet continuo, dari infinita Puncta Subdivisionis possibilia; quas tamen Suppositiones interim Natura realis positiva ignorat, negatq; Physica: quippe quæ attendit Res, prout in se sunt, & non prout inserviunt Speculationibus Mensuræ situum Mathematicorum.

5. Separarunt Considerationem Magnitudinis, à Consideratione Numeri, voluntq; Tempus esse Numero similis, quam continuo quanto; perinde ac si Species Simiarum, quatenus Simia Homini- bus similes sunt, esset inter Homines referenda, non autem inter

*Belluas*. Ridiculum itaque est Tempus non separasse à Numero, toto Cœlo diverso à Tempore. Plura Absurda ex his sequentia, vide apud Helmont. de Temp. Num. II. & seq.

6. Si alioquin in Actu indivisibilibus & infinitis Durationis Punctis, aliquod infinitè correspondens minimum, ligaret proportionata Infinitudine Puncta Temporis, per Subsecutionem Durationis, præter alias plurimas Absurditates, *Tempus necessarium haberet suum esse actuale, antequam esset, i. e. esset non quidem in esse, sed totum simul in fieri: imò nec sic quidem fieret, esset, aut esse posset, ut esset, sed ut periret, antequam esset. Igitur Tempus nec longum nec breve, nec ante nec post, nec Mensura nec mensurabile, nec Numerus est.*

7. Tandem, si Successio Temporis, Concorso & Auxilio indivisibilis Infinitudinis contingeret, & si verum est, quod omnis Motus juxta Durationem conscribatur Terminò, & quod nulla sit Adæquatio seu Proportio Finiti ad Infinitum; minimeque ubi utrumque ejusdem Durationis intuitu consideratur: *necessum est ex Aristotelis Doctrina, Tempus esse Mensuram motus aut mobilis incommensurabilem, vanam, falsam, incomprehensibilem. Definit enim Tempus, ut sit Numerus aut Mensura Motuum in Relatione ad Durationem, ac si velut per Accidens appropriaretur Motui & Successioni per se, nempe propter Durationem.*

8. Et si motus fit ita, super aliquod immobile, ut hinc Aristoteles conjecerit, (licet falso) *primum Motorem necessarium esse Immobilem: cur non etiam Stabilitatem donant Aristotelici Durationi, sub qua nimirum omnes Motus & Successivorum Proportiones debeant commensurari? Seminibus enim Rerum universis ab Initio sui inest, non tantum Principium cujusvis Motus, ut patet in Plantis, Brutis, Mineralibus: Sed & sua Durationum determinata Periodus, unicuique motui propria, ut infra videbimus: cum omnis Varietas quarumcumque Alterationum pendeat ex Tarditate aut Celeritate Motuum. Igitur Duratio Motuum includitur Seminibus omnium*

*omnium Rerum essentialiter, intimè, originaliter, velut Principium formale & directivum eorundem.* Non autem quod Tempus sit externa quædam Consideratio Mensuræ Motuum, respectu Durationis: cum talis Consideratio seu Relatio Habitudo, sit tantum externa accidentalis Rebus ipsis, adeoque merum Ens Rationis; non autem primordialiter & essentialiter insita ipsis Seminibus, prout est Duratio. Frivolum ergo est, Tempus inter Mensuras, Numeros & Entia Rationis, seu non Entia statuere. Plura Absurda Aristotelica vid. apud Helmont. loc. cit. n. 20. & seq.

9. Etiam si non daretur Corpus aut Motus in Rerum Natura, tamen Locus, situalis Habitudo invicem & Distantia, essent eadem, quæ nunc sunt. *Extra Cælos enim credimus Locum dari interminatam, omni privatum Corpore & Motu, repletum tamen Spiritu, qui sua Magnitudinis Infinitudine est illi adæquatus, & tamen nihilominus ibi datur Duratio, quam ipsimet Aristotelici dividunt in Tempus, Ævum, & Æternitatem, quæ omnia inter se differre paulo post probabimus.* Pariter Tempus intelligimus nec Loco, nec Corpori, nec denique Motui esse alligatum, sed Ens ab eis omnibus separatum, ut infra.

10. Similiter à Tempore omnem Successionem tollimus. *Certum enim est ex Scriptura SS. Tempore Josue Cælos stetisse, vel potius Solem & Lunam, non tamen stante Sole, aliud fuisse Tempus, quam nunc est.* Ergo Duratio ista Temporis, non consistit essentialiter in Cælorum Motu, & consequenter à Tempore omnis Successio est sequestranda, eaque soli Motui accommodanda. Nec obstat, quod illa Solis detentio apud Josuam fuerit miraculosa: Nam proinde Duratio nequaquam fuit miraculosa. Duratio enim, etiam juxta Aristotelicos, communiter est Rei Permanentia in suo esse naturaliter, nec est realiter distincta à Re durante, ut infra pluribus.

11. Duratio, quam Tempus nominant ipsimet Aristotelici, est Ens reale, ut evidens est, Tempus verò Aristotelicum cum sit

merum Eius Rationis, seu Relatio Mentis Humanæ ad prius & posterius, ad Numeros, Motus Cœlorum, Astrorum: Quam Relationem, seu respectum diversum intellectualem (ponamus) si nullus Hominum faceret, aut nulla Mens, jam nulla daretur talis Relatio prioris vel posterioris, consequenter nullum Tempus: quod est falsum. Ergo Tempus Aristotelicum est merè Ens mentale, non reale Physicum.

12. Si DEUS in posterum vellet omnem Cursum Cœli inæqualiter sic ordinatum, ut ad illum nullus Motus adæquari posset, an ideo & Tempus in se ipso fieret inæquale? vel desineret esse idem, quod nunc est? Imo si cessaret (ut olim cessabit) Motus Cœlorum, an ideo & Tempus pariter cessabit? an ipsum nunc non amplius esset nunc? *Quid enim ad Tempus atinet, quod aliquid in Tempore contingat?* Si quidem Tempus habet suum esse Liberum, sine Respectu, Relatione, Reflexione, vel Reciprocatione ad aliquid aliud. Vide, ibi apud Helmont. plura l. c. n. 33.

10. Denique, si Tempus esset Numerus Motus, cujuscunque demum, tot & diversissima deberent inter se esse Tempora, quot Motus diversi, quot diversa Corpora. *An etiam propterea Tempus diversum currere deberet cum omni & singulo Motu? vel si unicum Tempus curreret cum omnibus & singulis universaliter Motibus, cumq; ipsum tale Tempus celerrimè omnibus aliis Motibus præcurreret, tardus Cursus Vitæ Corvi flueret inæquali Tempore cum Gyro volubilis rotæ.* Igitur non poterunt Tempora simul fluere sub unica Duratione.

14. Hinc nihil cogitari potest absurdius, quam quod unicum Tempus Successione quadam moveatur, subsequatur, & faciat se ipsum Vasallum ad infinita Puncta, indivisibilia quidem in sui Prioritate, & divisa inter se, per Suppositionalitatem Imaginariam; quæq; tamen in instanti minimo singulo, essent inter se conjuncta, & quæ absq; ulla sui Extensione perirent successive ante sui Con-

nexio-

*nexionem: & quod talis Chymera debeat esse Mensura Motuum certissima. Imo quod Tempus per ejusmodi indivisam punctorum Copulam, mutuamq; & indesinentem Successionem, cogeretur moveri & subsequi successivè: & hunc tandem indivisibilis Puncti motum debere esse distinctam omnium Motuum Regulam & Temperamentum. Hæc inquam omnia videntur esse nimium absurda & incredibilia. Et tamen proponuntur pro naturali Aristotelis Auscultatione plura Absurda. Vide apud Helmont.*

## Punctum II.

### *Traditur & statuitur verum Tempus Christiano-Catholicum.*

Dicimus, tamen sub humili Ecclesiæ Censura, quod Tempus sit idem planè Re ipsa cum Ævo, & maneat innotum in Æternum, & vix differat aliter ab Æterna Duratione, quam Lumen Diei, Sole non apparente, nubibus tectò, à Luce lucidissima Corporis solaris conspici. Hanc Assertionem declaramus & probamus sequentibus Motivis & Fundamentis firmissimis, ex Fide desumptis.

1. Credimus enim DEUM summè gloriosum, esse Viam, Veritatem & Vitam, Rerumque omnium Essentiam Originalem; nostram verò esse merè participatam: credimus item, DEUM esse Principium, Alpha & Omega, in quo universa sunt Principata, vivunt & moventur.

2. Scimus ex Sacris Litteris, quod ab Initio Creaturarum conditarum Tempus jam esset, Die naturali Astronomica nondum existente, seu ante natam Lucem & Segregationem ejus à Tenebris: vid. Genesin. Cælum ergò, Terra, Aquarum Abyssus, Tenebræ & ipsamet Dies seu Lux erant, antequam Cæli orbita Diem Astronomicum definiret. Ergo Tempus non potest esse Cælorum Motus successivus, Sol enim & Luna pri-

num creata sunt Die quarta, ut ex Genesi credimus. Et si Creatura omnis, non dependeret, quoad omnia, etiam quoad Durationem & Tempus, originaliter, totaliter, absolutè scilicet & immediatè à DEO, tanquam à suæ Durationis Principio & Fine, utique nec DEUS esset immediatum & totale Principium primum, ut neque immediata Vita Rerum omnium, i.e. A. & Ω. quæ sunt aperte contra Fidem.

3. Scimus ex iisdem SS. quod sicut Tempus fuit ab Initio ante factam Creaturam, ita nec possit utique computari inter creata, eoque magis, quod nec ulla Mentio creati Temporis in Genesi facta sit.

4. Perpendamus etiam, quod sicut Mobile ita est in Loco, ut Locus non tantum exterius circumdet Mobile, sed quæque versus Locus penetret ipsum Mobile, ita ut intima Pars quæque Corporis, non minus sit in Loco, quam ejus Superficies; non tamen ideò vice versa Locus à Mobili comprehendatur. Ita scilicet & multo abstractius, Duratio (seu Tempus) est quidem Rebus intima; non tamen à Rebus afficitur, clauditur, apprehenditur.

Igitur cum Duratio sit intra & supra esse Rerum, & ab his inseparabilis: imo magis intima Rebus, quam ipsæ sint sibi met ipsis; Hinc ergo in Tempore seu Duratione contemplemur Durationem planè Divinam, adeoque illo respectu videbimus Durationem ab Æternitate non distingvendam, distributam tamen Rebus creatis pro modulo cujusque recipientis.

*Credamus igitur verum Tempus impermixtum, sine Macula Creaturae, ubiq; & semper immutabile, nec ullo modo successivum, i.e. Durationem Divinam à Creaturis participatam, sicut ab Ipso participamus esse, vivere, moveri. Unde DEUS omnibus ubiq; Creaturis est præsens, ut ex Fide credimus, & DEI Duratio, est Duratio omnium & singularum Creaturarum, alias in puncto annihilarentur, in nihilum re incidere. Declaratur Exemplo. Sicut*  
Lumen

Lumen est Ens, & aliquid in se ipso: illuminat enim & calefacit, extra *tamen* & *citra Solem*, *Lumen nihil est*. Eodem modo æterna Duratio in Creaturis est Tempus: quod extra vel præter æternam Durationem est merum nihil, privativè & negativè; Igitur quamdiu erit ulla Creatura non desinet esse Tempus.

5. Confirmatur ex variis Scripturis SS. præcipuè ex Psal. 2. ubi non est nisi unicum *Nunc* & unicum *Hodie*. Item; *Ex utero ante Luciferum genui Te*. Christus enim ex utero natus in Tempore, & tamen ante Luciferum, quia in Tempore nulla est Prioritas, aut Successio. *Sic etiam Agnus ab Origine Mundi est immolatus*, ejusq; *Mors salvat etiam Defunctos ante Incarnationem Christi; quatenus Incarnatio Beatifica Motum respicit. Salvat scilicet anteriores juxta Cursum Vitæ præcedentes, ac respectu Motuum inter se Collocatorum; non respectu Durationis seu Temporis. Sic etiam precatur Ecclesia, ut non rapiat eos Leo, nec absorbeat eos, Tartarus, nec infernus devoret: Preces tamen illæ diu post Mortem defuncti dicuntur, cum tamen mox ab Expiratione subeant suum Judicium Animæ. Preces ergo tales essent frustraneæ, ac nimis serò institutæ, si Tempus esset successivum Aristotelicum. Ecclesia enim Ductore Spiritu Sancto triumphat, & proinde optimè novit omnia futura esse in eodem Temporis nunc, ac si antequam moreretur ille Homo, contigissent Preces. Similiter dicitur in Libro Sapientiæ, *DEUM omnia simul fecisse*; in Genesi vero sex Dierum Historia describitur, & totidem Dies consumptose esse dicitur ibi: quæ duo alias sibi contradicerent, si Tempus esset successivum. Sex ergo Dierum Spatio omnia sunt creata, permanente tamen unico Temporis nunc & Puncto. Sic etiam Diabolus futura prænovit in Successione motuum: quatenus *Præsentia sunt in unico Temporis nunc*.*

Itaque Tempus suum esse & Essentiam habet immobilem, immutabilem, impartibilem, & Rebus impermixtam, non successivam, sed simplicem & liberam ab omni respectu intrinseco sui ad Creaturam. Supponimus ergo in DEO Opt. Max, Tempus

pus eminenter & essentialiter; in Creaturis verò dependenter, subjectivè & participativè ab Emanatione ab extra.

6. Confirmatur, quia quod Angelis deputatur, non diversificatur à Duratione, quam Temporis vocant. *Cogitemus enim Animam nostram Corporis inqvilinam, non experiri Diem, Noctem, Senium, ut neq; Successionem habere. Est enim purè spiritualis, ut Angeli, & tamen est in unica Duratione & in eadem, & in eodem nunc, quo altera Anima, à Corpore separata existit. Mutatio namq; Loci & Conditionis Animarum, nequaquam tangit vel afficit Durationem, aut eam sibi obligat, ut proinde illa in sui Essentiam migret: sed eadem Duratio Æternitatis fluit emanativè in omnia, & sustentat singula, & tamen sui Simpliciter ideò non amittit, licet Res eam participantes, eandem aliter ac aliter suscipiant. Res enim subsistit in & sub Duratione: à qua si exciderit, in nihilum abit. Ideò enim Angelus in Substantia & esse sui, fruitur Tempore continuo, sine Successione & Partibus, cujus nihil est magnum, parvum, longum, breve, prius, posterius, Mensura & mensurabile.*

*Cum ergo pro Angelis admittatur ab omnibus talis Duratio, quam Ævum dicunt, & à Tempore Rerum sublunarium distinguunt, idq; sive Angeli sint in Cælis, sive in Terris: admittuntq; opera Angelorum commensurari Tempore successivo & discreto, inde concludimus, cum Angelus non possit esse simul in duabus Durationibus, toto Cælo & Genere differentibus, quarum una scilicet sibi competat, altera vero suis Operationibus: quarum utraq; interim unicum Durationis Nunc continet, concludimus inqvam inde necessarium fore, quod ambæ istæ Durationes in unicum prorsus colliquecant, diversam tantum Accidentibus Respectuum, i. e. differre tantum invicem solo ficto mentaliq; Rationis non Ente; unicum, inqvam, esse necessariò reali Actu Existentiæ numeri; adeoq; concludimus Tempus esse idem cum Ævo re ipsâ, & manere immutatum in Æternum.*

Et sufficit nobis, quod Aristotelici agnoscant aliquod Tempus

pus continuum, non successivum, seu Durationem continuam, non successivam, quod Ævum dicunt. *Nos interim non cogimur ob illorum mentales Diversitates Tempus ab Ævo distingvere aut disjungere, scilicet propter Rationes & respectus accidentales rerum ad Motus diversos.* Agnoscimus ergo Tempus esse Ens, quod dat & distribuit omnibus omnia, juxta destinatam Participationem Durationis æternæ, idque agnoscimus in Confusionem Atheorum, qui DEO vel parum vel nihil attribuant, omnia in Causas secundas refundentes, quasi DEUS vel non esset, vel dormiret. Unde consideramus Tempus tanquam Æternitatis emanantem Splendorem, quique citra vel extra Æternitatem non magis subsistit, quam Splendor Solis extra & citra Lucem, Splendor Lucis extra Lucem. Tempus ergo nobis sit Manductio ad superintellektuale illud Numen, Unum, Trinum, Infinitum, cuilibet Rei intimum, nullatenus tamen permixtum, Conclusum apprehensibile aut detentibile, in quo omnis Rerum est Quiditas, cui sit Laus & Gloria in sui Æternitate!

7. Confirmatur. Tempus Physicum est Ens: Ergo vel Creator est, vel Creatura aliqua. Si est Ens successivum, ut volunt Aristotelici, ergo non potest esse Substantia aliqua sive Creatoris, sive Creaturæ. Nam omnis Substantia tota est simul, non successivè, quod communiter est certum ferè. *Si autem velint Tempus esse Accidens, tantum assignent Subjectum ejus Inherentia. Hoc Subjectum non erit Cælum. Nam sic Caduca & Sublunaria non haberent Temporis Durationem sibi propriam: simul etiam esset Duratio Rebus peregrina, adventitia, externa. Similiter si unum Sublunare participaret de Tempore, tanquam de Accidente sibi proprio, non ideo & aliud vicinum sibi gauderet eodem Tempore. Si verò singula creata participarent de Tempore Cæli; saltem creata singula permanerent in eadem cælesti externa Duratione participativè. Imo Sublunaria citius haberent reliquas omnes Cælo-*

*rum Proprietates & Qualitates, quam eorum Durationem. Duratio enim aliud non est, quam Permanentia Rei in suo esse. Ergo Sublunaria non participant de mutua Cælorum Permanentia in Duratione. Si autem singulis creatis competat sua Duratio propria, adeo ut Res ipsæ sint Subjectum Inhærentiæ, Durationis suæ non aliunde petitiæ, ac tanquam essentialiter Initiis, seu Principiis Rerum Seminalibus inclusa sit Durationis Determinatio, jam apparet Lumen Divinæ Providentiæ in Tempore, ut sit Regula creati, non autem ipsum creatum. Et sic habemus intentum. In DEO enim sumus, movemur, vivimus, duramus, ut Fides Sacra docet. Nam sicut in Ipso Vitam habemus, motum & esse; sic etiam Durationem, quæ nec etiam est creata olim. Nam si Tempus est Accidens aut velut concomitans tantum inhæreat Rebus singulis, præter innumera Absurda, saltem essent tot Tempora, quot Atomis singule Rerum omnium. Nam qualibet Rerum Atomus singula est in Duratione. Et quicumq; nunc in eadem Duratione simul subsistunt, haberent tot diversas Durationum Essentias & Existentias, essetq; Actu Tempus divisum in Infinitum. Vide plura Absurda loco cit, n. 46. 47. & seq.*

### Punctum III.

#### *Satis fit quibusdam Objectiunculis.*

Dices I. Licet hæc omnia videantur valde verisimilia, & licet abstrahamus Tempus à Loco, Motu & Corpore omni; tamen propter oppositam Consuetudinem, Reique Novitatem, valde difficile est à Prioritate & Posterioritate in Tempore desvescere: non aliter ac si quis a veteri sinistra Manu scindere Panem, aut scribere, certè illi dextrâ eadem præstare erit molestum, licet plura alia per dexteram ritè obeat. Respondetur. Difficultas, vel Desvetudo intelligendi in Homine, nihil mutat in Rebus, aut ob id Temporis Naturam & Essentiam obligat, ut  
se

se nostris accommodet Erroribus. Sed Errores quando deprehenduntur, sunt omninò rejiciendi. Sicut olim novus Orbis & Antipodum Existentia putabatur fictitia, nulla, & tamen realiter deprehensa, nemo manet ideo hodie in priore Errore.

2. Qui putant Tempus sic esse successivum & partibile, iidem haud dubiè putant etiam Tempus cum Mundo perituum, Ævum autem tanquam novam Creaturam in Temporis vicem, absque Successionis medio iri substitutum. Fundantur forsan in illo Text. SS: Post hæc non erit amplius Tempus. Sed respondetur: ibi Tempus sumitur pro Anni Diebus, pro Meteororum Aëris Vicissitudine, & pro Opportunitate pœnitendi, non autem, quod cum Mundi interitu cessabit Duratio (seu Tempus) quæ Duratio modo est, fuit, & erit semper. Alias omnia rursus annihilari deberent, quod est contra Fidem. Justi enim in perpetuum vivent. Vide plural. c. n. 42.

#### Punctum IV.

*Confirmantur superiora ab Horologiis, à Diebus Criticis, ab Annis Climactericis.*

Ex hucusque deductis patet, Locutionem esse Paganicam & absurdam, quod Tempus sit edax rerum, quod nos à Tempore devoremur, consumamur: quia nulla est Actio seu Passio Temporis in nos, aut à nobis in Tempus. Non perimus enim Temporis Vitio, nec Mors à Tempore fit, sed motuum diversorum Dispositiones sunt Mortis Causæ secundæ: Tempus autem non est de Natura motuum. Judicia quippe Divina quolibet disponunt & gubernant ob Rationes sibi notas.

Unde mirandum videtur, quod Tempus debeat esse Numerus motuum, Dies verò & Annus, Mensis, Septimana, debeant esse Mensura eorundem Motuum & Temporis, cum tamen v. g. Diei (idem est consequenter de Mense, Anno, qui ex Die-

bus meris componuntur) nulla præscribi possit certa Mensura. Subdivisiones quidem fiunt Diei in Horas, Minuta, Secunda, Tertia, per Numerum 60. Sed nemo hæctenus ostendit præcisum Spatium unius sexagesimæ Minuti; Hæsitatum nempe est semper in Praxi. Imò revera præter Meridiem, nullum est stabile Momentum Diei, & id ipsum ferè ubiqve Locorum variat. Dum enim hic Pragæ v. g. est Hora duodecima, alibi versus Occidentem erit Hora II. 10. 9. versus Orientem Hora 2. 3. 4. adeo itaqve hoc Meridiei Punctum est ità incertum, ut ejus Certitudo non tam ex Solis & Cœli Motu, quam ex respectu diverso situs Sphæræ terrestris pendeat, petiqve inde maximè debeat. Itaqve Solis aut Cœli nulla adhuc data est certa Mensura infallibilis. Nemo certum definitumqve nunc vel constans Punctum edocuit, quo aliquid contigerit, nisi habito respectu Eclipsium, qui etiam respectus dependet à diverso Terrarum situ.

Ut igitur Astronomi aliquam Mensuram statuerent, imitati sunt Globum Mundi, dum Sphæram dividerunt per Punctum Meridiei, & altitudinem Poli, pro Locorum Diversitate. Cum vero Sol non semper, nec ubiqve pro Voto sit conspicuus, excogitarunt aliqui Rotas, aliquot vicibus circumvolutas, i. e. Horologia ferrea: Sed quia Rotæ non erant à se ipsis movendo, appensum est Pondus plumbeum movens, sicqve Diem metiuntur aut mensurant Sole lucente, per Horologia, Solaria & Globos: Sole vero non apparente, per Rotas. *Sed neutra harum Mensurarum est certa ac infallibilis.* Quoties enim Oculis propriis deprehendimus deficere Solaria ob Cursum Solis, nondum exactè deprehensum. In ferreis etiam Rotis mox error facilè oboritur, eo quod Pondus ob Funium Longitudinem accrescens, inæqualitatem Motus faciat, ac Aëris Vicissitudines varie Rotas ac Ferrum afficiant, immutent.

De his & aliis Diei Mensuris incertis vide Helmont. de  
Temp.

Temp. n. 50. & seq. Item Caramuelem in Theologia tum Morali communi, tum Regulari, variis locis. Si ergo Diei vix reperitur certa Mensura (idem per consequens est de Anno, Mense, Hebdomada) ergo nulli dantur certi Cœlorum aut Siderum Motus. Quomodo ergo Tempus ex Natura sua potest esse Numerus Motuum illorum?

## Confirmatio II.

### *De Medicorum Diebus Criticis.*

Observatio Dierum Criticorum, & eorum Numerus, aliquam basin videtur habere in Natura, quatenus nostra Natura (quam Hippocrates vocat *impetum faciens*, nos verò Archeum appellabimus infra) Cœlorum Rythmum quasi explicat.

Nam Luna semper Die 14. procedit ad Locum sibi oppositum, seu ei loco, quo ferebatur Die prima. Hinc similiter Natura Archei nostri vires oppositas nata: Pariter sic & septima Die dimidium Oppositionis habet, ut & Lunæ Aspectum Quadratum ad Punctum Initii sui. Unde diversæ illæ in Luna Operationes proveniunt in Novi lunio, prima Quadra, Pleni lunio & ultima Quadra, quæ semper contingunt in septima Die à prima Luna. Hinc similiter propter diversas Naturæ nostræ, seu Archei vires, Dies septima & 14. sunt mali, respectu Morbi vincendi: boni autem, respectu Archei humani, validius aggredientis Hostem suum, viribus incrementibus. Sed rara est hæc Dies Critica extra Morbos acutos.

Ubi bene notandum, quod nusquam sit Crisis, ubi Medicus bonus Crisin non expectat, sed ante Crisis adventum Morbum tollit, sicut debet. Prout enim Natura gaudet variis motibus, iisdem est assveta, & libenter gubernatur Unitate Virtutis motricis: Sic quando totum Morbi negotium, suis solis i. e. solius Naturæ humeris tantum incumbit, & Medicus interim nihil aut

parum facit, tunc ipsa Natura necessario intendit suas vires sola, stas instituit Crises, quas alias Medicinæ Bonitas anticipat, aut Pravitas retardat vel perdit. Boni ergo & fidelis Medici est Crises negligere, & mox confestim Morbum tollere ac sanare. Alioquin certè præstaret, quod ægri caruissent Medente externo, quando ægri per Crisim propriam evadunt, & multo magis, quorum Crisis est tardior. Igitur Morbis sua est destinata Periodus in Morbi Seminibus: non quidem, quæ mysticis Dierum numeris debeatur, sed solis Maturitatum Exigentiis. Natura enim ipsa coquit & maturat stato suo Tempore donec perficiat & Materiam vincat ad expellendum. Quorsum ergo tantum de Criticorum Dierum Observatione clamatur & sudatur, si potius Medicum oporteat sic esse instructum, ut Morbum periculosum & longum abbreviet i. e. incidat, ne in Crisim proleteretur? Unde à perito Medico ejusmodi Materiæ morbosa citò maturari & expelli possunt & debent. Periodus verò numerica, non debetur Mysticis Dierum Numeris, sed Naturæ expellentis viribus. Quod si Medicus non præstat, cum cocta & non cruda illa mala in Corpore latentia sint movenda, Natura sagax, & mitigatus Naturæ Rector, Archeus, stas Momentis, suas novit Maturitates faciendas, quas ipse solus perficere tunc cogitur, per Crises suas in maturandis illis sordibus tenacibus & adhærentibus, ut desistant adhærere solidis Partibus, tandemque expellantur.

Crisis ergo, ut sonat Judicium, esto Judex & Accusatrix Medicorum Insufficientium, solius verò Naturæ totum Onus bajulantis Testimonium: quia Crisis tantum contingit, ubi viscidum aliquid adhæret, aut fonticum concluditur, optaturque sequestrari ultima Maturitate: quam dum Medicus non præstat, Natura cogitur præstare. Igitur ex dictis Dierum Criticorum Numerus, parum Subsidiæ præstare potest Tempori Aristotelico,

Confir-

## Confirmatio III.

*De Numero Annorum Climactericorum.*

Hi Anni Climacterici trahuntur ex Productione Numeri septimi in novem, nimirum in 18. 27. 36. 45. 54. 63. 72. sed hoc est etiam stolidum inventum. Nam Dies Hominis juxta Scripturas SS. sunt 70. Anni. Et quid quæso facit Numeri in Numerum Productio ad Vitæ Cursum? Anni quidem singuli in suas Messes & Maturitates properant ac recurrunt. *Unde & Annorum Revolutiones ac Revolutionum Numeri, potius Recursuum Identitatem, quam Numerum aut Vitam Humanam respiciunt directe, nullo tamen modo ad Numerum præteritum se referunt, quia Anni singuli deficiunt in sui præcisam Singularitatem, nec se reflectunt super Præcedentium Pluralitatem, aut ad Numerum numerantem.*

Igitur sicut pium est, agnoscere à Manu Creatoris Vitam nostram; ita impium est à Planetis eam mutuare, quod Ethnicum est & Atheum.

Et licet DEUS certo Spatio omnia disposuerit ex suo lubito & beneplacito, stultum tamen est Causalitatem Physicam attribuere Numeris. Sicut enim certum est ex Genesi, quod Plantæ habuerint Virtutem prolificandi ante Stellas conditas, & vi Verbi Divini vegetent; (Nam Astra primum producta sunt quarta Die, Terra verò germinare Herbam virentem, Semen suum ferentem, juxta omnia Genera & Plantarum Species, juxta est Die tertio) ita certò pudendum est Christiano, Vitam Humanam suæque Durationis & Existentiæ Potestates, dedicare Numeris numerantibus Annorum Climactericorum.

Annus ergo Climatericus, sive Astrorum numeratos recursus, vel Numerum eorum recursivum, sive demum Numerum numerantem spectemus, inanis est garritus, repugnans Sacræ Scripturæ, quæ Vitam à 70. Annis ad 80, usque miseram vocat,  
non

non ob Annos præteritos, ut neque ob illorum Numerum numerantem, sed quia inoletæ sunt Seminibus Necessitates à Principe Vitæ sic statutæ, quæ usque ad Annum 70. & 80. deficient & Periodum suam à DEO inditam finiunt.

Stentantur: ut ita loquar: quidem Climactericæ pro suis Numeris aliquid de numero Sabbatario, quia septimus est: sed id repugnat quinquagesimo Anno, qui est Jubilæi & totus Sabbatarius, adeoquæ; Annus septuagesimus, quia est septies decimus, seu decimus Sabbatarius, plus Sabbatizati quam 63. Climactericus Annus verò nonus, Climactericorum Principium, est enneaticus, qui nihil ad Sabbatismum confert, Si enim Dies septimus est Criticus propter Positiones similes Lunæ, ergo non propter Numerum, nec Lunæ cum Numero Annorum 63. Climacterico quicquam est commune. Astrologi enim volunt Annum 56. in nocturnis Nativitatibus propter Saturni (pudibundam sanè) frigiditatem: Annum 63. in diurnis Genituris propter ridiculas Siccitates Mercurii & Martis, maximè esse periculosum. Sed hi præterquam, quod saltem pro medietate Anno Climacterico valedicant, desciscunt simul etiam à Numeris, dum Qualitates Elementorum in Opem vocant, easquæ; delirando in Astra traducunt. Deniquæ; que si Mors in valle miseriarum sit finis, deberet Annus Climactericus esse 50. qui Jubilæi est & Sabbatarius ex Ordine DEI. Distinxit quidem DEUS Hebdomadam in 7. Dies, non ob Numeri Mysterium aut Dignitates; sed ut saltem aliqua Die ordinariè sibi Cultus à Mortalibus alias negligentibus exhiberetur.

Et si DEUS septimum Diem sacravit sibi, cur addunt nonnum DEO non sacratum? cur sacro, ut dicunt, Numero septenario nubunt Profanum, ut inde fabricent Climactericum? an licitum est Medicis DEO Dies facere sacros? vide plura I, c. n. 60.

Finaliter ergo constat quod Vita nostra non sit longa vel  
brevis,

brevis, respectu Durationis seu Temporis, sed respectu Motuum, ab Initio usque ad Finem defluentium, quorum Mensura in Durationis semper eadem Constantia, non est ipsa Duratio seu Tempus, sed alter Motus, qualis est Dies Astronomicus, qui sola Pluralitate sui Vitæ metitur Longitudinem. Unde Scriptura dicere plerumque solet: in Diebus illis. Item per Dies Virorum rerum Contingentias describit, non autem per Temporum Successiones, quas Paganismus introduxit Locutione planè fabulosa, quia Successio seu Alteritas nulla Pars est Temporis.

Et sic satis probavimus hucusque, ut speramus, nostram Propositionem, Conclusionem & Explicationem Temporis. Consequenter Tempus nec Partes habet, nec admittit sui Divisionem, nescit Successionem, non habet puncta Actu infinita, copulata vel disrupta, nec revera Tempus est intra ambitum Prædicamentorum, eò quod Infinitum Actu existens sit unicum tantum, DEUS, qui est omnia & benedictus per omnia. Et si Bonitas, Vita, Veritas & Essentia, abstracto modo sunt DEUS ipse in Creatis, negari pariter non potest, quin in iisdem Duratio DEUM repræsentet. Relationes autem illæ mentales, Prioritatis vel Posteritatis, si in trutina Veritatis bene ponderentur, sunt tantum attributa Motuum, nullatenus autem Temporis seu Durationis. Prioritas enim dicit Relationem inseparabilem ad Partes Motuum insequentes, & Posterioritas ad Partes Antecedentes: Tarditas verò vel Longitas comparat Motuum Celeritatem ad invicem, re ipsa tamen Motus in se nec sunt priores, nec posteriores, nec tardiores. Denique quidquid sit de Temporis hucusque, præter intentum, fusius deducti, Natura reali, certum tamen est contra Aristotelem, Tempus Aristotelicum non esse Passionem, Proprietatem, Attributum naturale intrinsicum Corporum naturalium, ut vult Aristoteles, sed Relationem mentalem, merè externam rebus, ab intellectu dependentem, Ens Rationis, non reale,

non positivum. Constat enim omnes Aristotelis 8. Libros Physicorum, seu de Physico Auditu, esse prorsus inanes, Chymericos, fabulosos, Naturæ, rerum nihil inservientes, Naturam ipsam non ingredientem, sed tantum vagantes hinc inde, circa Naturam, in Spatio Imaginario & concavo Lunæ. Unde cum his Fundamentis Physicis Aristotelis, hucusque rejectis, simul corruunt omnes Quæstiones in iis fundatæ, de Materia, Forma, Causis, Proprietatibus, Vacuo, Continuo, Infinito & similibus, quibus omnes Paginae inutiliter complentur in tota Aristotelis Physica, tam naturali, quam morali, per quas hætenus valde turbata & confusa fuit vera Christiana Philosophia naturalis & Theologia moralis. *Ita confusa inter se fuerunt, Natura Peccati Philosophici Moralis Aristotelici, & Natura Peccati Theologici, ut unum ab altero nihil discerneretur, consequenter multe Animæ perirent ex erronea tali Conscientia, quæ hodiè sublati illis Erroribus salvantur per solidiorem Peccati Theologici Cognitionem, & Distinctionem à Peccatis Aristotelicis, Ethicis, Philosophicis. Vide de his recentiores Theologos, præcipuè Caramuelem, Dianam, Tamburinum, Joannem Sanchez & alios; præcipuè nostram Theologiam moralem, ejusque prima Principia.*

*Appendix ad hanc Sectionem secundam,*

*de 8. Lib. Phys.*

*De veris rerum Principiis, Causis & Proprietatibus realibus Corporis naturalis.*

Nos verò pro omnibus his Figmentis, in 8. Libris Physicorum Aristotelicis contentis, tantum duo Principia & Causas rerum omnium & Corporum infra statuemus, nimirum Aquam, tanquam realem omnium rerum Materiam Primigeniam, in quam etiam, post totam cujuslibet Rei periodum absolutam, omnia tandem in Fine resolvuntur, quotidie probat Ars Pyrotech-

rotechnica. Alterum Principium & Causam Corporum naturalium ponimus Causam efficientem internam rerum, quam cum Paracelso & aliis vocamus Archeum, seu Vulcanum internum, seu cum Hippocrate Spiritum internum, impetum facientem seu Auram quendam spirituales formatricem. Quæ Vis per Semen & Fermentum (tanquam naturales Proprietates sibi intrinsicè à DEO inditas, olim in prima Mundi Creatione conditas, & propagatas hucusque) disponit Materiam subjectam i. e. Aquam, ac tandem perficit ad fines ultimos à DEO sibi destinatos.

His omnibus Dispositionibus perfectis, & ad Maturitatem productis, tandem à DEO infunditur, tanquam Rei cujuslibet Complementum & Perfectio, Forma naturalis, quæ est de Genere, ac Natura Luminis, & à solo DEO tanquam Patre Luminum donatur Rebus singulis, postquam Vulcanus s. Archeus omnes Dispositiones necessarias & prærequisitas perfecit. Hic Archeus s. Vulcanus, s. Lux primigenia, efficiens Causa interna, manet deinde usque ad ultimam rei Periodum in Composito quolibet, cui plerumque associatur externa quædam Causa excitans, uti Pater v. g. est Causa externa occasionalis efficiens Seminis; Semen autem deinde est Causa efficiens interna, (cum Archeo) essentialis, naturalis, generati Filii, non autem Pater, sed Semen sive Archeus per Fermentum operans, à Patre realiter distinctum in esse & Proprietatibus. Quæ Causa efficiens interna & Rectrix Rei, ubi senescit & fatiscit denique, Cursu sibi à DEO præfixo absoluto, etiam totum compositum deficit, corrumpitur & redit in suum primum Elementum materiale, Aquam. Hæc omnia patent quotidie in Plantarum seu Vegetabilium, Animalium & Hominum, Mineraliumque productis Corporibus naturalibus, de quibus infra ex professo. Hic semel pro semper, tantum obiter delibasse, pro majori aliorum intelligentia, sufficiat. In his pauculis Principiis, Causis &

Proprietatibus fundamus veram solidamque nostram Philosophiam naturalem, realem. Nunc paucis percurramus, residuas Aristotelis Materias Physicas.

### SECTIO III.

*Examinantur reliquæ Materia Physicæ Aristotelis.*

§. I.

#### *De Generatione & Corruptione.*

SI Aristoteles voluisset consequenter philosophari, & bene Naturam rerum edocere, debuisset, inhærendo traditis supra Principiis, forsan aliquo simili modo Generationem & Corruptionem Corporum naturalium definire. Generatio est Productio Formæ de Potentia Materiæ. vel, Productio Formæ, quomodocunque in Materia per Causam finalem efficientem, patrata, expulsâ inde priori Privatione. Corruptionem verò, quod sit destructio Formæ in Materia prima, aut alio æquivalenti modo. Sed pergit inconsequenter nugari & fabulari iisdem Somniis, sicut in prioribus, plane diversa Ratione definiens Generationem sic: *Cum totum mutatur, & nihil sensibile, ut ejusdem Subjectum remanet, est Generatio* (melius diceret, est destructio, corruptio) Ejus seqvaces volunt clarius sic definire; *Generatio est Mutatio totius in totum, nullo sensibili remanente, ut Subjecto eodem.* Corruptionem verò definiunt sic: *Est Desitio totius remanente Subjecto.* Unde re ipsa confundunt Generationem cum Corruptione rerum, & vice versâ, & expressè volunt hæc duo esse inseparabilia ab invicem, essentialiter semper connexa reciproca; Adeoque post Vitam v. g. in Homine seu Composito Hominis sublatam, per Vim volunt intrudere novam Formam Cadavereitatis, per novam Generationem inductam, & novum plane Compositum à priori essentialiter distinctum, constitui per Formam novam Cadaveris, quasi prior

Forma

Forma Hominis (& totum ejusdem Compositum) planè fuisset corrupta & destructa, & in nihilum reducta. Sed quid hoc aliud est, quam in rebus seriis nugari. Nam

1. Hic Quæstio est, quid realiter, propriè, & proxime sit Generatio Corporum naturalium? Respondet ineptissimè Aristoteles, est Mutatio, Desitio rei totalis. Quis hic Naturæ cognoscendæ cupidus discet inde, quid revera sit naturalis Generatio? idem est ac si quærerem, de albo, tu verò responderes de nigro. Quid Generationi affine est cum Desitione immutationeque Rei substantiali? hic non quæritur, quomodo res desinat aut mutetur in aliam, sed quomodo generetur. Desitio per se videtur potius esse Ens privativum & negativum, quam reale & positivum. Et Mutatio aut Desitio quid aliud est, quam Rei prioris Cessatio & Inceptio rei posterioris? nonnè isti respectus ad priora & posteriora sunt meræ Reflexiones & Relationes mentales, & Entia Rationis? Qvalis quæso Mutatio & aut Desitio realis contingit, quando Planta generat per suum Semen aliam Plantam, quæ nunquam antea fuerat in Rerum Natura? Quando Animal vel Homo per Semen generat alium Hominem nunquam antea existentem, aut aliud Animal? ubi hic fit Mutatio prioris in posterius totalis? Quando in prima Mundi Creatione DEUS jussit: Germinet Terra Herbam virentem & facientem. Semen juxta Genus suum, secundum Speciem suam. Item: producant Aquæ reptile Animæ viventis & volatile, & Species suas: & producat Terra Animam viventem in Genere suo; Jumenta & Reptilia & Bestias Terræ, secundum Species suas &c. Qvalis nam in his omnibus facta est Immutatio aut Desitio rei præteritæ in aliam novam? & si Mutatio est Essentia generatis, & Desitio, quomodo DEUS post primam rerum Productionem, seu Generationem absque Mutatione & Desitione factam & inceptam, forsan essentialiter mutavit & correxit Naturam Generationis? & si Res omnes, juxta Aristotelem, causantur per Materiam,

teriam, Formam, Unionem, Privationem, Causam efficientem & finalem, cur non iisdem etiam generari dicuntur? an forsan essentialis Differentia est inter causari & generari? Cur Corruptionem rei, non potius dicit Dissolutionem Causarum illius compositi? Nam Res per quæ fit, per eadem perit. Cur ita extra Scopum vagantur & ejaculantur more Andabatarum.

2. Ejusdem Farinæ sunt Fabulæ, quas nugantur de Forma Cadaveris, & novo Composito substantiali à priori planè diverso, post Mortem Hominis generato. Non enim dum vivens moritur, nova quædam Forma Cadaveris essentialis introducitur, aut generatur. Omnis enim Generatio in Natura clauditur Forma essentiali, qua caret Cadaver. Et sicut Essentia viventis cum Vulcano Seminis incipit, & cum Producto seu Generato eadem perseverat; ita & eodem Vulcano fatifcente etiam Essentia perit. Pereunte autem Essentia ruit & Forma præses illius compositi. Vulcano nempe deserente Corpus, incipiunt compositi Partes, Caro, Cor, Venæ putrescere, eo quod jam vitali suo Rectore & Ductore, Balsamo Vitæ, sint orbata. Sub Vita enim Caro, Os, Cor, inter se distinguebantur realiter. Caro in Specie & Forma propriaerat Caro ab Osse formaliter distincta, in qua Forma adhuc post Mortem existente, illicò in Cadavere, apparent eadem Ossa, Caro, Venæ: prout hodie plerique doctiores concedunt libenter, admittentes Formas partiales, substantiales. Vide Morandum, P. Petrum à S. Josepho & alios recentiores. Adeoque per Mortem in Toto aut Partibus singulis, nulla Cadaveris Forma, vel essentialis Quiditas nova supervenit, sed tantum, quod erat vitale, est separatum, eoque absente reliquæ partes corrumpuntur.

3. Erroneum ergo est, quod unius Corruptio sit alterius Generatio, cum Vitæ Corruptio tantum adveniat per Extinctionem vitalis Balsami, vel Formæ, ac proinde sinè nova Creaturæ Generatione. Nulla ergo Privatio contingit in vitalibus, ad  
eoque

eoque nec Privatio ibidem potest habere vim Principii, cum à Semine usque ad Ens vitale non sit nisi unus Progressus, Promotio & Maturitas, sub cuius Finem Forma datur à DEO. Reciproce ergo etiam Generatio advenit, sine ulla Corruptione, quoties Materia jam ad Maturitatem suæ Destinationis deducta, per Vulcanum feminalem, Formam impetravit aliunde, i. e. à Patre Luminum advenientem. Imo iste Vulcanus per Discessum Vitæ abit, evolat, evanescit, sine ulla sui Corruptione, non secus ac Lumen perit, sine sui Corruptione: nimirum Vita evanescit per modum Luminis pereuntis. Et Vulcanus cum sit quædam vitalis Aura, evolat utrumque sine sui Corruptione. Unde nec Corpus, quod Vita destituitur, propriè eo ipso & necessario per se corrumpitur, licet defectu vitalis Balsami, mox Corruptio sequi soleat, quod tamen fit per Accidens tantum.

Demonstratur hæc Veritas in Mumiis & Vegetabilibus, quæ sicca & Vita sua privata in usus nostros diutissimè asservantur, imo sæpe omnem penitus Corruptionem arcent à Composito reliquo. Igitur licet in quibusdam Corruptio sequatur citius aut ferius, ut patet in Lignis arefactis & Plantis, id tamen est Vitæ & Corpori per Accidens. Si quidem Arte præservari possunt Corpora à Corruptione, ut patet quotidie in Mumiis, Satyris, Sirenibus.

Aristoteles itaque More suo Privationem cum Corruptione confundit, suumque Principium non Ens ab Ente reali Corruptionis non distingvit. Denique Formæ rerum non sunt Corruptioni obnoxia, ideoque nec corrumpuntur, sed annihilantur, extinguntur, ut infra ex professo patebit. Quo circa nec Ablatio, nec Extinctio Formæ, ullam Corruptionem involvunt, nec involvere possunt ex Parte Formæ: adeoque Aristoteles in omnibus cespitat. Nec Metaphoræ in Historia reali Naturæ, & Familia rerum essentialium Locum habent, nec quicquam hic valent, & tamen in his Aristoteles ferè totam suam

suam ineptè fundat Philosophiam. Quæ diximus de Cadavere viventium, eadem proportionaliter intelligenda sunt de reliquis Corporum Cadaveribus, ut sic loquamur, i. e. de Lignis, Plantis, post amissam Formam, quæ quod non eo ipso desinant aut corrumpantur, docet quotidiana Experientia. Sed missis his Phantasticis pergamus ad reliqua.

§. 2.

*De Cælo & Mundo.*

Hic descendit Aristoteles ad Particularia & vult explicare Naturam Mundi & Cælorum, sed præter vanas aliquot Quæstiunculas, nihil solidi affert, nec ad rem: imò in his est sterilis adeò, imo nullus ferè, ut ab ipsis suis Sectatoribus plerisque in his Materiis tanquam cæcus & ignorans rejiciatur. Pauculæ ejus opiniones hæ sunt de Mundo, quod non possint dari plures Mundi Numero distincti, quod Mundus sit ab Æterno. De Cælo quod componatur ex Materia sua prima & Forma, differat tamen specie à sublunaribus Corporibus, quod sint solidi Cæli. Hæc sunt Principia, sed quam erronea, inepta, jejuna, cæcus & Gentilis adhuc sit, qui non videat hodie, ubi ex Revelatione divina, & Astronomis Christianis meliorem longe & solidiorem Notitiam habemus de Mundo & Cælo. Præ cæteris videatur recentissimus Athanasius Kircherus, Germanus, Mathematicus Romæ, Scriptis suis doctissimis hodie toto Orbe celeberrimus, præcipuè in Itinere suo Extatico in Mundum cœlestem, terrestrem & sublunarem, ubi inauditam ferè, sed solidissimam Philosophiam tradit Christianam, de Cælis, de Astris, de Elementis, de Rerum mira Generatione & Constitutione. Meretur revera ut à Prudentioribus omnibus legatur & sanè intelligatur. De iisdem omnibus videatur Casparus Schottus, Jesuita, Professor Matheseos Herbipolensis, in Cursu suo Mathematico nuper edito, item in Mundo suo mirabili, & alii  
Recentio-

Recentiores Astronomi & Philosophi. Nam ex Aristotele de his nihil addiscet, qui prorsus ignorans fuit hujus Materię.

## §. 3.

*De Mixtione Rerum ex quatuor Elementis.*

Statuunt Aristotelici cum suo Præceptore, omnia Corpora naturalia esse composita seu mixta ex quatuor Elementis, i. e. Igne, Aqua, Aëre & Terra, aut saltem ex eorum Qualitatibus, quæ quamdiu Compositum durat, continua inter se Rixa, Pugna & Bello rixentur, duellantur, & pugnent, & per hos continuos Conflictus Temperamentum Corporis illius compositi, seu mixti efficiant, rem in statu suo naturali conservent, donec unus ex his Gladiatoribus aliis prevaleat, illos alios omnes subigat, prosternat, & Compositum dissolvat, destruat. Hinc Medentes pleriq; Morbos curari non volunt aliter, quam applicando contraria contrariis; ita ut si unum ex his Elementis nimis exorbitet, ejus adversario Elemento succuratur contrario Medicamento, sicq; in Ordinem reducatur, Prevaricator contrarius. Sed, quæso, qualis Ordo reperiri potest inter continuo pugnantes & præliantes? Non capio. Alii omnium Corporum naturalium Mixturas, Temperamenta, Inclinationes, Vires, Debilitates, Operationes, referunt in Astrorum diversorum influxus, per eorum Lucem, Calorem, Frigus, Siccitates, Humiditates &c. Rebus instillatos. Unde toti sunt in speculandis Astris, eorum Proprietatibus, Operationibus, Impressionibus continuo in sublunaria nostra descendentibus, ea immutantibus, inclinantibus, necessitantibus. Ex his metiuntur omnium Naturas, Vitam, Fortunas.

Alii has Mixturas, Temperamenta, Compositiones, præcipue Corporis Humani Constitutiones, Vires, Valetudinem, Naturam, Inclinationes, fundant principaliter in quatuor Humoribus, quasi correspondentibus quatuor Elementis, nimirum

in Pituita, flava Bile, atra Bile, & Sangvine. Ex his volunt constitui essentialiter Sangvinem, & consequenter Oeconomiam totius Corporis his gubernari. Hinc omnium Naturas dividunt vel in Cholericam, vel in Phlegmaticam seu pituosam, vel in Melancholicam, seu Atrabiliarem, vel Sangvineam.

Quantum ad Primos, qui totam Mixturam Naturæ in Contrarietate, & continuis Pugnis fundant, ostendemus infra suo Loco, quam erroneè & absurdè philosophentur. Ubi etiam ostendemus non dari Elementum Ignis in Rerum Natura, Culinarium verò non esse Elementarem, sed merè artificialem, Destructorem potius Rerum, quam Compositorem. Hanc eandem Sententiam, tanquam probabiliorem defendit, imò ferè certam mordicus tuetur Morandus in Cursu suo Physico de Elementis, eamque stabilit pluribus Argumentis & Objectiones contrarias dissolvit solidè. Vide eum fufius. Idem sentit ibidem Tassonus & alii. Nos hic unicam tantum Rationem aliunde paucis attingamus efficacissimam,

Nam si daretur Elementum Ignis, deberet habere suam propriam Sphæram prope Globum Lunæ, (quæ Luna sua Sphæra multoties superat Aëris Regionem) sed hoc mox in se apparet esse ludicrum prorsus Commentum, tantoque magis admiror, quod inde per tot centena Milliaria, & trans Aëris frigidissimum Clima, penetrare deberet incessanter, vocatus scilicet, vel accersitus, vel sponte descendens Ignis, contra propriam suppositæ suæ Levitatis Regulam, adeoque deberet violenter Aëri commisceri, simulque in tanta Pace pactisque Fœderibus (inter ipsum Ignem calidissimum & siccissimum, & inter Aërem, quem supponunt Aristotelici esse summè frigidum & humidum,) deberent, inquam, sic Ignis & Aër confederati una simul ambo descendere eminus deorsum, ad singulorum Seminum sublunarium Imperia, Mixtionumque Constitutiones, singulis Momentis novas fieri solitas, ibique de novo rupta Amicitia incipere duellari perpetuò, contra se invicem, contra Hostes, Terram

*Et Aquam, Socios.* Hæc omnia sunt nimis incredibilia & improbabilia. Deinde unde Ignis ille cœlestis aleretur? nonnè jam dudum devorasset Voracitate sua omnes Vicinos, Lunam & Aërem. Sed de Ignis Elemento alias plura. Imò non tantum Ignis negatur à prædictis esse Elementum, sed ab aliquibus idem etiam negatur de Aëre, qui duo tantum concedunt Elementa, nimirum Aquam & Terram.

Ita Doctissimus Pasqualigus, Theatinus recentissimus, apud Morandum loc. cit. Eodem i. e. quod non dentur quatuor Numero sed pauciora Elementa, aperte inclinare videtur Athanasius Kircher, & Casparus Schottus, in Itinere exactico in Mundum cœlestem & sublunarium, & alii Recentiores, quos, si lubet, vide.

Ex his inferimus: Si falsus est quaternarius Elementorum Numerus, præcipuè si Ignis est fictitius, etiam Fabula est Mixtio ex iisdem quatuor Elementis, aut eorum vicariis Qualitatibus, earum inter se Rixis, Duellis; Contrarietatibus, Altercationibus. Hæc obiter infra melius refutanda.

Quantum ad Secundos, omnium Corporum Temperamenta & Mixturas, in Astrorum Influxus, eorumque Qualitates impressas, referentes, quam graviter & hi errent, præcipuè cum plurima Corpora, præcipuè Vegetabilia, jam fuerint in suo perfecto esse, Temperamento, Composito, antequam Astra conderentur. (Nam Terra jam germinabat suos Fructus & Herbarum Genera, Species &c. tertia Creationis Die, Astra vero condita primum fuere Die quarta: Ergo horum Mixtura & Compositio, non potest pendere ab Astris) in his, inquam, quam graviter etiam errent, ostendemus infra ex professo suo Loco.

Quantum ad Tertios, Humoristas, Phlegmaticos, Cholericos, Melancholicos, primum suæ Fictionis Argumentum est quaternarius Elementorum Numerus quorum isti vicarios substituunt (nescio quam accommodos) illos quatuor Humores

res. Atqui si ruit, ut jam vidimus, vel si saltem valde improba-  
bilis est ille quatuor Elementorum Numerus, ergo etiam cadit  
iste Vicariatus quatuor Humorum in illo fundatus. Deinde  
Principia Physica naturalia, realia, debent esse universalia &  
communia omnibus Corporibus naturalibus. Sed hi quatuor  
Humores non sunt omnibus Corporibus, imo nec omnibus Vi-  
ventibus, nec sensitivis quidem omnibus communes, sed fingun-  
tur & asseruntur in Homine tantum. *Quis enim unquam asserere  
ausus v. g. Canem, Equum, constitui ex atra Bile, ex flava Bile & Pi-  
tuita, præter Cruorem? vel quis unquam docet, hunc v. g. Ca-  
nem, hunc Equum, hunc Cattum, esse Constitutionis Cholericæ,  
alium Melancholicæ, alium Pituosæ? in hoc abundare & prævalere  
atram Bilem, in illo flavam, in illo Pituitam?*

Similiter quis somniavit in Herbis, Plantis, Fructibus, Arbo-  
ribus unquam dari vel prævalere atram Bilem, flavam Bilem, vel  
Pituitam? Forfan Cerasa, quæ sunt nigra abundant atra, quæ sunt  
flava, flava Bile, alba, Pituita & Nugæ. Cur ergo hæc Mixturæ pro  
Homine solo finguntur? nec revera in ipso, nec in alio ullo Cor-  
pore reperiuntur? vel si in Corpore Humano tantum Locum ha-  
bent, an forsan Homines in Gradu corporeo, seu quæ Corporei,  
sunt diversi Generis, aut Speciei, quam Leporum, Plantarum, aut  
Brutorum Animalium Corpora? cum tamen Hominem Aristo-  
telici ubique cum Animalibus in eodem Genere constitutum  
contendant: hinc eum per Vim Animal rationale definientes?  
Aut si sunt omnia sub eodem Corporeitatis Genere, cur non si-  
militer dicunt Lapidem, Lignum, Canem, Equum, constitui es-  
sentialiter, & esse Composita mixta, ex utraque Bile & Pituita?  
Verum quam & hæc Opinio sit inutilis, fictitia, absurda, infra  
etiam ex professo demonstrabimus, ubi de vera Generatione re-  
rum & Corruptione agemus. Hæc obiter contra Aristotelicos  
tetigisse sufficiat.

## §. 4.

*De Meteoris.*

Aristotelici omnium Meteororum & Aëris contentorum imo & Fontium, Fluminum, Nubium, Terræ motuum, Ventorum, Pluviarum &c. Materiam ponunt & Fundamentum, solas Exhalationes ex Terra & Aqua indefinenter ascendentes, Calore Solis attractas in Aërem: quæ quæ sint majori ex Parte absurda, fictitia, impossibilia (quomodo enim possibile est ex tam exiguo Terra quæo Globo, continuo in vastissimum Aërem, tantam Exhalationum Copiam ascendere, quæ sufficiant tam ingentibus Nubium Corporibus, Ventorum, Fontium infinitorum, Fluminum innumerabilium, & tot aliis immensis Impressionibus Aëris variis, maximis.) Horum singulorum Figmenta & Absurda infra ostendemus propriis Locis. Ergo & in his, ut & in aliis parvis Naturalibus, sicut vocant, Aristoteles parum subsistit, & Somnii plenus deprehenditur, ut infra pluribus patebit ex professo.

## §. 5.

*De Anima.*

Explicata hucusque Corporis naturalis Naturâ, Principiis, Causis, Proprietatibus, Generatione Corpus naturale componentibus, aggreditur nunc Aristoteles explicare similiter viventium Corporum Animas, & definit Animam in communi sic: Est Actus primus Corporis Physici organici Potentia Vitam habentis. Alibi paulo propius ad Veritatem realem accedit, & definit eam sic: Anima est id, quo vivimus, movemur, sentimus, & intelligimus primo. Quid quid sit de his Definitionibus, nolumus eas hic controvertere, cum videantur satis tolerabiles, sed certiolem & magis Christiano-Catholicam habemus, quam supra allegavimus Cap. I. de Logica §. 3. Item Descriptionem

Animæ Humanæ veram, vide ex professo fufius in Theologia noſtra naturali c. IV. per totum & Cap. XI. infra fuſè.

Reliqua, quæ diſcurrit Ariſtoteles de Animæ Subſtantia, de Potentiis, Gradibus, Nūmero, Reſidentia Loco, Paſſionibus, etſi in pluribus ab eo infra diſcedemus, quia tamen non ſunt ita inepta & fabuloſa, ſicut ſuperior Philoſophia de Corpore naturali tradita, ea ut magis rationabilia admittimus, ubi non extat Veritas evidenter in contrarium, quamvis & in iisdem adhuc valdè ſit jejunus, præcipuè in Cognitione Animæ Humanæ immortalis, utpotè Divino Fidei Lumine deſtitutus, in quibus nos Chriſtiano-Catholici longè meliorem & ſecuriorem Notitiam habemus, tum ex Revelationibus Divinis, tum ex quotidianis Experimentis, hodie multo magis perfectis & excultis, quam olim erant Tempore Ariſtotelis. Et hic finimus Philoſophiam Ariſtotelis. Ex quibus omnibus patet, exceptis his Libris de Anima, totam Phyſicam Ariſtotelis ab omnibus adeo hucusque adoratam, inanem proſus, vacuum, ſterilem, fabuloſam, nullisque Uſibus aptam eſſe in rerum Natura, *nifi forſan ad acuenda Adoleſcentum Ingenia, immatura adhuc ad alias utilioreſ Scientiaſ: ob id tamen Nomen Philoſophia naturalis & Natura interpretationis realis, ſolida & practica nequaquam meretur.* Et forſan poſſent Ingenia ejuſmodi Adoleſcentum utilius acui & imbui aliis utilioribus Artibus vel Scientiis, per illud Philoſophiæ Ariſtotelicæ inane Triennium, *quales ſunt ex Mathematicis, v. g. Arithmetica, Geometria, Geographia, Aſtronomia, Hiſtorica, Optica, item Etbica, Politica, Oeconomica.*

*Hiſ inſtructi Adoleſcentes ad altioreſ judicioſoreſ Scientiaſ, Theologia, Juris Prudentia, Medicina tranſirent aptioreſ & capacioreſ, quam cum hiſ Fictionibus & Capitiſ Fractionibus Ariſtotelicis inutilibus, quæ poſtea ferè in nulla Scientia uſu veniunt amplius, niſi aliqua in Theologia ſpeculativa. Facultas enim Medica, Juridica, Politica Scientia & alia, vix unquam amplius reſuſu ad hanc Ariſtoteliſ Philo-*

*Philosophiam Opus habent.* Unde plerumque tota evanescit in Memoria Adultiorum & Proveciorum tractantium alias Scientias.

### SECTIO IV.

#### *De Fundamentis primariis Philosophiæ Aristotelicæ.*

**E**Xaminavimus Doctrinas Physicas hucusque communes Aristotelicas, nunc paucis etiam perpendamus Fundamenta principalia, generalia, quibus eam Doctrinam superstruxit. Præcipua hic tantum pauca attingemus, reliqua plura hinc inde occurrent suis Locis.

In primis fuit Aristoteles in Axiomata fundanda & Regulas universales toti Mundo statuendas ita pronus, ut quoties aliquid suis Conceptibus reperiret congruum, id statim in Axiomata & Regulas generales traheret, sub universali stringendo, debilioris Authoritatis transumptas Radices. Quæ ejus Axiomata sic præscripta, mirata est subsequens Ætas, in ignaviam prona, ea porro non examinans, sed ut infallibilia supponens, ideoque Aristotelem velut Philosophiæ Principem deprædicatum & ejus Axiomata facile adorans.

Hinc plura ab Igne desumpsit ejusmodi Axiomata, qui tamen Naturam Ignis penitus ignoravit, ut infra de Formis Rerum patebit.

1. Videns enim, quod Ignis celerius Lignum siccum combureret, quam madidum, statim inde Axioma universale fundavit statuendo: quod omnis Actus Activorum non sit, nisi in Materiam præviè dispositam, seu, quod omne Agens naturale exigit Materiam dispositam: quod tamen multis Inscitiis est circumseptum. Ubi & quomodo hoc ostendere poterit in omni Actione naturali, tum Vegetabilium, tum Sensitivorum, tum Mineralium, inanimatorum? Imo potius manifestum est, quod

quod agens in Natura, sibi ipsimet disponat Materiam substratam ad Fines destinatos. Omne enim agentis naturalis Consilium alio Fine non agit, quam ut disponat Materiam sibi substratam ad Scopos sibi cognitos & à DEO inditos, saltem destinatos pro Generatione, uti quotidiè experimur. Unde ex unico Terræ Succo, unicoque Horto sexcentæ Plantæ crescunt & fructificant. Si enim agens reperiat in Materia Dispositionem amicam, benè quidem est: sin minus, facilè sibi eandem comparat. Etsi ex unico Aquæ Elemento immediate omnia Corpora tangibilia provenire infra paulò post demonstraverimus, quâ Necessitate, quæso, Agens exiget præexistentem Materiæ Dispositionem? vel si jam præexistat Materia disposita, quis fuit ille Dispositor aut Præcursor agentis, qui per se sufficiens est ad cujuscunque Materiæ, cui inest, Dispositionem? itaque non subsistit universaliter hæc Regula Aristotelis universalis.

2. Advertens Aristoteles Ignem, ad Materiæ combustibilis Concremationem concurrentem, esse externum Agens, statim hinc indicavit, omne etiam aliud agens in Natura, debere similiter agere per modum Ignis, externè concurrente; nesciens interim Ignem non agere per modum agentis seminalis, ut pleraque naturalia agentia, & esse Ignem longè aliam peculiarem Creaturam, ut infra de Formis patebit. Igitur ex mera Ignis Ignorantia universaliter decrevit, quod omnis Causa efficiens, instar Ignis, necessario debeat esse externa. In hoc eodem generali Errore fuit deceptus & confirmatus per Arte facta, in quibus Artifex est Rei artefactæ externus; & quia idem Statuam v. g. vel Faber suum Ferrum, elaborat, juxta Ideam in Mente præconceptam, hinc etiam Aristoteles, præter Causam efficientem externam Rerum, universaliter etiam statuit Causam finalem externam omnino esse necessariam ad Rerum naturalium Generationem, absurdissimè Naturam obligans ad Artes & Inventiones Humanas,

3. Videns Aristoteles ex Lapide Ignem excuti, statim Axioma generale sanxit, quod omnis Forma naturalis de Potentia Materiae necessariò educi debeat. Quod quam sit falsum, infra de Formis Rerum videbimus.

4. Quia vidit Aristoteles, intra Aqvam bullientem, si affundatur frigida, Pugnam aliquam exoriri, & Aqvam bullientem reddi tepidiorem, frigidam verò Calorem aliquem recipere, mox inde conclusit in omnibus Rebus mixtis dari hanc Contrarietatem continuo pugnantem, & in omni Actione naturali necessariò reperiri Reactionem, i. e. agens agere inpatientens, & à patiente repati, consequenter agens simul esse patientens, & patientens simul esse reagens. Quod Axioma quam sit absurdum & falsum, infra de Mixtis demonstrabimus. Nec DEUS, in aliis omnibus Pacis Amator, credendus est solam Naturam Corporalium Rerum Physicarum fundasse in Rixis & Pugnis continuis.

5. Similiter etiam Aristoteles Mathesin, in Naturam Physicam, violenta Interpretatione, aut Metaphorica Applicatione introduxit in Causas naturales, & Naturam realem Numeris, Lineis, Superficiebus, Punctis indivisibilibus, etiam Literis Alphabeticis, nec non etiam Artibus, & architectonicè, prorsus per Vim obedire voluit, Temeritate prorsus ridiculâ. Nam licet ante nata Euclidis Elementa Mathematica, Mathesis esset rudior, Aristoteles tamen, in hac, quam in Natura & Physicis longè peritior, Naturam subter Scientiæ Matheseos Regulas subigere omnino nisus est. v.g. Noverat Circulum Figurarum in Plano esse capacissimam, subito ergo in Axioma universale cogit, etiam Ulcera & Vulnera rotunda, cæteris quibusque in Extensione paribus, esse curatu difficiliora, quod qualiter in Rei Veritate subsistat videant Chirurghi. Putavit nimirum Regularum suarum pronitate deceptus, Vulneris Incarnationem ab externo tantum agente Emplastro proficisci, eamque Exterio-

ritatem, non tantum esse respectu vel relatione Superficieï nostri Corporis, sed respectu potius Figuræ, Distantiæ Labiorum Vulneris in Ordine ad ejus Centrum: Indeque Incarnationem rursus fieri: cum tamen Emplastrum tantum ex Vulnere Impedimenta removeat; Natura verò per se ab interiori Carnem denuo obducat. Hinc etiam plerasque Doctrinas residuas naturales in Mathesi principaliter fundat, nimirum de infinito, Continuo, Loco, Tempore, ut supra vidimus.

Igitur Scholæ Aristotelicæ male accommodant & intrudunt Regulas Matheseos Naturæ Physicæ reali. Homo enim non metitur Naturam, sed ipsa semet. Neque Ethnicus Aristoteles Viarum ignarus Naturæ, Vias magis ostendet, quam Cæcus Colores antea non visos. Unde præter Ignorantiam Naturæ in sui Radice & Quiditate (quam supra malè ineptèque definierat, esse Principium Motus & Quietis, quibus inest per se, non per Accidens, vide supra Cap. II. Sect. II. §. 1.) etiam nescivit (Aristoteles) rerum Causas, Numerum, Exigentiam, Fluxiones Maturitatum, Tarditatum, Celeritatum, ignoravit pariter Resolutiones & Compositiones Corporum, tam Natura, quam Arte factas, sicut hodie à bonis Chymicis scitur. Seminum quoque, Fermentorum item Necessitates, Fines, Dispositiones, Defectus, Restaurationes, Interitus, Subsecutiones, Contiguitates, Dependencias &c. eo quod agens externum Rebus exoticum & peregrinum edoceret. Consequenter etiam ignoravit Formarum Nativitates, indeque prodeuntes Proprietates Rerum; quorum omnium Loco Fortunam, Casum, Tempus, Vacuum & Infinitum exposuit, licet hæc omnia à Natura intrinseca Rerum essent aliena, quæque Disciplinas continent ridiculas. Idem est de ejus Materia prima Mathematica, abstracta, de Privatione, de Causa finali, in Mente Artificis latente. Imo ipsam Physicæ Radicem primariam Naturam ignoravit, cum sua ineptissima Definitione, quam supra rejecimus.

6. Viderunt Ethnici illi in Lacte quatuor Humores reperi-  
ri, nimir. 1. Lac. 2. Serum Lactis, 3. Florem lactis, 4. Crassio-  
rem Partem, ex qua fiunt Casei: hinc statim Axioma universale con-  
didere: Ergo & in Humano Sangvine reperiuntur quatuor Hu-  
mores essentialiter constitutivi 1. Sanguis, 2. Serositas seu Pitui-  
ta 3. flava Bilis, quæ forsan Florem Lactis repræsentat. 4. atra  
bilis, quæ Materiam caseaceam refert; sed quam absurde substi-  
sistat hæc Regula, infra de Mixtis videbimus.

7. Tandem viderunt in Mundo exteriori dari Aërem,  
Aquam, Terram, & in Culina Ignem: igitur confestim Axioma  
concluserunt: In omnibus Mundi Corporibus reperiiri Ignem,  
Terram, &c. quæ Doctrina, quousque se extendat infra vide-  
bimus.

Concludamus igitur hoc Caput secundum de Aristotelis  
Physica & Philosophia naturali, ex dictis, quod illa, si non est evi-  
denter falsa & erronea, infallibile est, eam non esse certam & in-  
dubitatum (pro qua tamen hætenus adorata est à plerisque)  
sed valde inanem & vix probabilem in plerisque. Unde nunc  
inquirenda est melior, securior, solidior, certior.

### CAPUT III.

#### SECTIO I.

#### *De veris Rerum naturalium Principiis, Causis, Proprietatibus in Communi.*

**A**D Principia Rerum omnino est necessarium, ut adsint an-  
te Speciei Constitutionem, nec unum possit migrare in  
aliud. Hinc Principium videtur tantum theoreticè à Cau-  
sa differre, ita ut Principium sit Ens actuale initians, atque hæ-  
tenus causans; Causa verò sit Terminus Relationis ad Causas  
rum vel Effectum, Enti theorico fortè propinquius; vel distin-  
guamus, ut lubet, Principium à Causa, nos realiter intelligimus

Causas initiare, & initia causare, eodem Nomine, siue sint in Elementorum Sinu, siue in ipsa Seminum materialium Familia, de quibus paulò post. His præmissis.

Paracelsus & Ejus seqvaces tria ponunt omnium Corporum naturalium Principia, Salem, Sulphur & Mercurium, siue Salem, Liqvozem & Balsamum. Quæ hic non examinamus, sed tantum advertimus, licet hæc tria reperirentur in singulis Rerum constitutivis, non tamen inde seqvitur, illa habere Vim principiandi. Illa enim tria cum sint Fructus Seminum Archealium, sortiuntur Diversitatem quasi specificam, quam necessario nescirent, si essent vera Rerum Principia, i.e. si ante Speciei Constitutionem adessent, quod ad Principium omninò est necessarium, nec etiam unum posset migrare in aliud, quod tamen est vernaculum his tribus Principiis Paracelsicis.

Igitur non invenimus Corporis naturalis aliam Dependenciam, nisi tantum ad duas Causas seu Principia naturalia, nimirum ad Causas, Materialem & Efficientem, utrasque internas scil. Quales sunt pro Causa universali omnium Corporum materiali, Aqva unica: quia Aqva Initii Naturam in se habet, in Modo, Puritate, Simplicitate ac Progressu initiandi, prout & in Termino Resolutionis Rerum, ad quem omnia Corpora, per Materiæ ultimæ Reductionem redeunt; sed hæc deinceps magis patebunt. Altera Causa seu Principium est Archeus seminalis, fermentalis, seu Vis illa Rebus interna, formatrix, gubernatrix, conservatrix; quæ continet Rerum sibi in hoc subjecto, in hac Specie agendarum, omnes Typos, Figuram, Motus, Horam, Respectus, Inclinationes, Aptitudines, Adæquationes, Proportiones, Alienationem, Defectum, & quidquid sub Dierum seqvelam incidit, in Rei tam Generationis, quam Regiminis negotio. Fines deniqve omnes hæc interna Causa efficiens Archealis in se continet, tanquam Rerum à se agendarum Instructiones, ei demqve naturaliter à DEO, sua infusa est

est Scientia Finium & Habitudo à DEO destinatorum. Res enim singulæ in Natura, desiderant Succum aliquem genericum pro Materia, deinde seminale aliquid efficiens, dispositivum, dirigens Principium internum Generationis. His duobus Principiis & Causis, nec pluribus, opus habent Res corporeæ singulæ. Unde finalis illa Aristotelica externa, quæ tantum in artificialibus Locum habet, vana profus est in Natura, aut saltem non distincta Quiditate ab ipso efficiente, est considerabilis. Quæ enim in Mente Artificis est, Ens tantum Rationis est, nec Causæ naturalis Pondus habere potest. Et hæc sunt, nec plura nec pauciora Corporum & Causarum Corporalium Principia. I. Aqua, nimirum Elementum seu Principium *ex quo*; & II. Fermentum Archeale seu Principium Seminale *per quod* i. e. dispositivum, unde mox producatum Semen in Materia: quæ acquisito Semine, fit eo ipso Vita (seu Materia) illius Entis, media, discurrens usque in Rei Periodum seu Materiam ultimam. Est autem Fermentum illud, Ens creatum formale, nec Substantia, nec accidens: sed Ens neutrum, per modum Lucis vel Ignis Formarum (de qua infra de Formis) conditum à DEO in Mundi Principio, in Locis suæ Monarchiæ propriæ, ut Semina præparet, excitet, & præcedat. Et hoc est Fermentum in genere: singula item Fermenta in Specie, sunt Dona ac Radices à DEO stabilitæ in Seculorum Consummationem, continua Propagatione sufficientes & durabiles, quæ ex Aqua Semina sibi propria excitent & faciant. Fermentum igitur veri Principii Naturam tenet, à Causa efficiente interna, in hoc diversi: quod Causa efficiens consideretur tanquam immediatum Principium motivum ad Generationem, seu Mutationem Rerum constitutum; Fermentum verò Semine sapius prius sit, & hoc de se generet.

Estque Fermentum, originale Rerum Principium, vis indita Terræ, vel Locis, non autem Rebus Seminalibus constitutis.

Fermentum autem quod Rebus jam constitutis, cum Seminum Proprietatibus inolefcit, se habet per modum efficientis ad Semen Rerum. Ast seminale Fermentum non est illud, quod alterum duorum originalium Principiorum: sed productum ejusdem & Effectus Seminis individualis, ideòque caducum & interiens. Ubi alias Fermentum principians in Elementorum Sinibus conditum, immutabile & constans perseverat, nec Morti aut Vicissitudini est subjectum. Plura de his videri possunt apud Helmont. §. 29. & 30. & infra de Generatione & Corruptione. In Rerum ergo naturalium Historia, consideramus Materiam plerumque Semine imprægnatam, prima sui Vita decurrentem ad ultimum illius concreti Terminum: non autem Aristotelis Materiam primam, fictitiam, non Ens, impossibilem. In Causa verò Efficiente consideramus Initia realia, Entium omnium Dona prima, Radices, Thesauros, & Fermenta imprægnantia. Unde non invenimus Corporis naturalis Dependenciam Causarum & Principiorum, nisi tantum ad duas præfatas Causas, materialem & efficientem, internas, quibus tamen plerumque externa quædam excitans associatur, ut v. g. Pater est Causa externa Efficiens Seminis, Semen autem est deinceps Causa efficiens interna & essentialis generati Filii, non autem Pater, sed Semen s. Archeus seminalis, à Patre realiter distinctus in esse & Proprietatibus. Idem est de Vegetabilibus, quæ Seminum quidem sunt Causæ externæ productrices, sed tamen Herbarum, ex hoc Semine nascentium, sunt tantum Causæ occasionales & remotæ.

Alias si Herba patrans esset Efficiens essentialis naturalis Herbæ productæ, non posset patrans Causa comburi, quin productum simul periret. Igitur Semen, seu Archeus seminalis, est Causa efficiens interna, naturalis, essentialis, immediata Herbæ productæ.

Ex quibus patet, sicut Materia & Efficiens Causa, sufficiunt ad

ad omne productum naturale; ita & sequitur omnem Definitionem naturalem Rerum non amplius ex Genere & Differentia Aristotelica, nobis plerumque incognita, petendam; sed ex amborum Causarum prædictarum Connexione, eò quod ambæ Causæ simul totam Rei Essentiam concludant. Sequitur etiam ipsummet productum seu Effectum, nihil esse, præter ambas Causas connexas, & intelligenda sunt de non animatis. Nam rebus animatis superaddenda est Vita, seu Anima viventis. Sic Equus fit Filius suorum Parentum in Animam viventem equinam, quam, sicut & omnes Animas viventium alias, DEUS creat & in infundit, ut infra de Formis videbitur.

Mineralia verò & Vegetabilia, si qua forte vivere dicuntur vel videntur, cum tantum vivant per Potestatem, & non per Formam in Lumine animato; apte defini possunt per solam Materiam & efficiens internum. Omnis enim Effectus producitur vel ab Agente externo, & est productum artificiale: vel à suscitante & fonte externo, quod est Causa occasionalis & externa: quæ tamen intus habet Causam Efficientem, & seminalem, quæque permanet efficiens, in ultimam usque producti Periodum. Causa tamen occasionalis non est agens verum; sed tantum mediatum, externum, transiens; Principiorum autem Natura debet esse stabilis, si Nomen & Proprietatem Principii sustinere debeat. Et hæc duo Principia sibi & aliis abunde sufficiunt, quia continent totam Rerum Compaginem, Ordinem, Motum, Notiones sigillares, Proprietates, & quidquid denique ad Rei Constitutionem & Propagationem requiritur.

Concludimus ergo & dicimus, quod vera Naturæ, Essentiæ, Proprietatum, Causarum, Cognitio non sumatur ab Effectibus impropriis adjacentibus, & Accidentalibus, sicut fecit Aristoteles in suis Physicis, sed à Cognitione Principiorum Naturæ intrinsecorum, quæ sunt tantum Materia & Agens internum, i. e. Aqua & Vulcanus Rei, prout infra in Particulari magis declarabimus:

bimus : Principia autem & Causæ Aristotelicæ sunt mera Somnia , non Naturæ Cognitio realis. Materiam enim primam seu Corporeitatem , cum Mathematica Abstractione pro Naturæ Principio, Fulcro & Seminario supponit; quæ sicut nunquam existit, ita nec initiandi, nec causandi energiam unquam habebit.

## SECTIO II.

### *De Elementis in Genere.*

**M**ulta hæcenus circa Elementorum Numerum, Qualitates, Mixtiones, Complexiones, Temperamenta, fuerunt errata in Perniciem Corporis Humani. Igitur & eorum Anatomiam hic aggrediamur, & post habitis omnibus in hac Materia Paganorum Figmentis, juxta Sacræ Scripturæ, à DEO revelatæ, Authoritatem, nostras recentiores Experientias, & donatum melius Lumen, habitoque Lumine Veritatis Christianæ infalibili, sic procedamus.

Certum est ex Genesi c. I. Quod in Principio DEUS creavit Cælum & Terram, antequam primus Dies eluxisset. Post hæc primo Die creavit Lucem, eamque à Tenebris divisit. Die secundo creavit Firmamentum, quod separaret Aqvas superiores ab Aqvis, quæ supra se erant, & nominavit illud Cælum. Et hoc Firmamentum est non tantum Cælum octavum stelliferum, in quo quarta Die collocavit Luminaria, seu Stellas omnes fixas, sed simul etiam totum illud, quod nos Authoritate nostra, in septem Errones Orbes distingvimus. Sed an hoc Cælum seu Firmamentum contineat tot diversos Orbes solidos, an verò si totum liquidum & fluidum? alibi videbimus, hoc posterius habeatur hodie pro certo.

*Ex his Fundamentis Fide certis manifestum est.*

I. Quod ante primum Creationis Diem, jam erant Aqva in Principio seu Initio creatæ, coelestis cujusdam Indolis participes,

eo quod antea sub Cœli Etymo occultarentur, cognatæ tamen erant his Aquis inferioribus, quibus semel conjugatæ fuerant, ante eorum Separationem, die secunda factam, per Firmamenti Creationem.

2. Quod Tenebræ cooperirent Faciem Abyssi, quodque sic Abyssus Aqvas denotaret: eo quod tum adhuc cœlestes Aqva nostris connexæ super Terram, Abyssum incomprehensibilis Profunditatis facerent, supra quam (Abyssum Aqvarum) NB. Spiritus Domini ferebatur, ut sua Benedictione recentem Aqva Creaturam repleret, innumeris omnium Rerum Specierumque Seminibus, Fermentis, Panspermatibus.

3. Quod Creatio Cœli, Aqva, & Terræ fuerit ante Diem primum, nec annumeretur illa Creatio sextiduo Creationis reliquæ, deinceps in Genesi descripto. Quod DEO etiam placuerit quiescere Die septimo, qui respectu dictæ Creationis Cœli & Terræ, esset alias octavus, si illa prima Cœli & Terræ Creatio Dies fuisset. Ideoque in Dierum Numerum non fuit relata illa Creatio prima Cœli & Terræ, quod ante natam Lucem, Materiæ Elementaris, omnium Rerum initialis & principalis Creatio fieret. Magna autem Luminaria, & Stellæ quarta Die inceperunt, & in Firmamentum digestæ sunt.

Quorum omnium & singulorum pulcherrimam Descriptionem & accuratissimam vide apud Athanasium Kircherum, in suo Itinere Extatico in Mundum cœlestem, toto Lib. I. Igitur constat 4. ex dictis, quod Cœlum, Terra & Aqva, omnium deinceps nascendorum Materia, fuerit creata, ante omnia, & quidem ante primum Diem, in Cœlo autem continebantur Aqva, non in Terra. Hinc Aqvas nobiliores esse existimamus Terra, imo Aqvam esse puriorem, simpliciorem & constantiorem, Principio viciniorem Sortisque cœlestis magis participem, quam Terram. DEUS itaque voluit Cœlum continere Aqvas supra se, & aliquid etiam amplius (propter quod etiam Cœlum vocatur:)

catur:) quod Aërem, Æthera, seu Auram vitalem dicimus. Ideo nec etiam fit Mentio in Scriptura SS. de Creatione Aquæ & Aëris, eo quod Cœli Etymon utrumque includeret. Ideoque hæc duo Elementa, Aquæ & Aëris, nos dicimus esse Primigenia respectu Terræ, ut paulò post constabit.

5. Constat ex dictis, nusquam aliquid legi in tota Historia Genesis de Creatione Ignis. Igitur nec Ignem nos inter Elementa agnoscimus, nec in hoc, Paganismo Nomen subscribimus. Nec etiam, cum aliis Recentioribus, agnoscimus Luminarium & Stellarum quarta Die creatarum Nomine, Ignem Elementum supra lunare, cum neque sit ab Initio, in Principio cum aliis Elementis conditus, ut jam vidimus, quod tamen omnino fuisset necessarium, si Elementi sortem referre debuisset, & ex eo omnia reliqua posterius condita constare deberent. Negamus igitur cum Helmontio, Morando, Tasso, Cardano, Asquvalido & aliis supra de Mixtione Cap. II. Sect. III. §. 3. citatis, Ignem esse quartum Elementum. Rationes vide plurimas apud Morandum, præter jam dictam in Genesi fundatam. Ideoque falsum est, Ignem confluere materialiter ad omnium Corporum naturalium Mixturam. Sicque concidit Elementorum Quaternarius, Qualitatum, Temperamentorum, seu Complexionum & Morborum Galenicorum Fundamentum primarium.

Hæc omnia probat Helmontius mechanicè variis Locis præcipuè §. 10. seu Num. 10. & seq. transcribamus ipsius Verba: Nostra enim, inquit, Mechanica, Pyrotechtonica, mihi patefecit, omne Corpus, Lapidem, Gemmam, Argillam, Terram, Vitrum, Calcem, Sulphur, transmutari in Salem actualem, æquiperantem suo Corpori, unde factus. Et quod iste aliquoties conglobatus, cum Sale circulato Paracelsi, suam omninò Fixitatem amittat, tandemque transmutetur in Liqvozem, qui etiam transit tandem in Aquam insipidam; & quod Aqua ista æquiperon-

æquipereret Sali suo, unde emanavit. Plantas verò, Carnes, Ossa, Pisces, & quidquid similiū est, novi redigere in mera sua tria; unde postmodum Aquam inspidam confeci. Metallum verò propter sui Seminis anaticam Commixtionem, & Arena difficillimè in Salem reducuntur. Ex quibus manifestum est, tantum tria esse Elementa Rerum, non quatuor, seu tria tantum esse Principia Rerum, in quæ tandem Res redeunt, ut jam probatum est.

Didici ergo, inquit, per Ignem, quod DEUS ante primum Diem creaverit Aquam & Aërem, & ex Aqua, Terram elementalem, (quæ est Arena, Quædam Belgicè, infimè in Terra latens, & ubique scaturiens Aquas) eo quod (hæc Terra) esset futura Basis, Creaturarum antesignano Homini, ideò in ipso Initio creari debebat, licet ex sui Natura non esset primigenium Elementum. Quapropter duo tantum reperio primitiva Elementa, Aquam & Aërem, licet neutrius in Scriptura SS. sit Creatio expressa, quia Cœli titulo ambo comprehensa. Cum illis vero duobus simul creavit Luminaria magna, ut Luna, ac minus, lucendo gubernet Aquam, majus verò, luceret super Terram. Hucusque Helmont. Primigenia verò hæc Elementa, Aërem & Aquam, nunquam invicem transmutari posse, tradit idem Author & Mechanicè demonstrat pluribus Locis, quæ vide, si placeat. *Prosequitur* Author hic; In Terra nimis; Aqua fracescens, Semen locale vel insitum acquirit, ideoque vel in Liqvore *Leffas* (est succus Terræ recens in Radicem tanquam Culinam Vegetabilis tractus, sic eum vocat Paracelsus) ad omnem Plantam, vel in Succum *Bur* (est Terminus Paracelsi Chymicus) mineralem transit, juxta Species per Directionem Seminum electas: quæ Semina ex Terræ Fermento (Terra enim primum erat inanis & vacua) deinde mox Benedictione Spiritus, qui ferebatur super Aquas, replentur & germinant juxta suas Species. *Prosequitur*: Docuit me autem Ignis artificialis Experientia, tria prima, Sal,

Sulphur & Mercurium Aqvæ semper manere indivisa, sive interim Aqva vaporetenus elevetur Nubis Specie, sive ad indivisibilia & Atomos rarefiat, sive tandem etiam pristina Aqvæ Forma fluctuet. Quod autem Aqva evaporando prorsus annihiletur, omnino falsum est. Equidem comperi, Aqvam in Nubium Atomos sublata, permanere tamen semper eandem Numero & Specie Aqvam, quam Atomus Mercurii Aqvæ nobis ostendunt Imagine nubis (ut infra de Meteoris magis videbimus); nunquam autem fieri in Aqva Separationem trium primorum, Salis, Sulphuris & Mercurii, multoque minus essentialem Transmutationem ullam. Siquidem est simplex Partium internarum per Ignem extraversio, quæ rursus intro remeant, quoties Vapor in Guttas condensatur. Sed de his alibi.

Cur autem Terram non inter primaria Elementa, inquit Helmont. licet Initio simul creatam, existimem, Causa est, quod Terra tandem sit convertibilis in Aqvam per Privationem suæ Essentiæ. Ideoque credo Aqvam Corpus esse prius & simplicius; cum Aqva nunquam in Terram transmutetur, nisi Virtute Seminum, adeoque vices compositi Aqva assumat, antequam Terra, sive Sabulum (Qvellem) fiat, Ignem verò nec pro Elemento quarto, nec pro Substantia, nec pro Accidente agnosco, sed pro Creatura neutra, ad destruendum tantum nata, non adædificandum aut comburendum. Hæc Helmont. de quo nos paulo post plura. Igitur Aqva est Rerum omnium & Corporum naturalium materialis Causa & Principium, ex qua omnia fiunt, & in quam omnia tandem resolvuntur. Reliquam hujus Elementi & generalis Naturæ Principii, Aqvæ, admirandam Historiam, Prærogativas, Proprietates, Effectus, Miracula videre licet curiosè apud Kircherum in Prodomo Mundi subterranei, Dialogo I. Cap. I. Itinerario secundo, ut infra pauca addemus, de Elementis, in Specie de Aqva. De Ignis Elementaris Sphæra subconcavo Lunæ, supra Aërem constituta, quod sit merum  
 Figmen-

Figmentum & falsum, nobiscum hodie ferè omnes Recentiores consentiunt: Scheinerus, Borrus, Athanasius Kircherus, Cabeus, Arriaga, Svarez, Lusitanus, Caspar Schottus, citati in Scholiis ejusdem Schotti super Itinerariis Kircheri, Itin. I. Dialogo I. Cap. II. Schol. 8. pag. 98. ubi sic ait: Nostro tamen Seculo labefactata fuit, ita, (Opinio de Igne Elemento infra concavum Lunæ latente) ut exulare cogatur à Lycæo. Igitur prædicti Authores vix à nostra Sententia discrepant.

### SECTIO III.

*Confirmatur Doctrina superior de Rerum veris Principiis, Recentiori Kirchero, celebri Authore, & aliis, in quibus ille fundatur.*

SCRIPsit Athanasius Kircher, Germanus Fuldensis, Societatis Jesu Mathematicus Romæ in Collegio Germanico, toto Orbe admodum celebris, in facie Ecclesiæ, Philosophiam novam, prorsus inauditam, à Superioribus & Magistro Sacri Palatii evulgari concessam Anno 1656. de Cælo & Mundo, sub Titulo Itinerarii, sive Itineris extatici cœlestis, subterranei & terrestres, quod Opus Anno 1660. Scholiis suis illustravit Caspar Schottus, Soc: ejusdem Professor, & plurium Operum Mathematicorum Author egregius. Fundat Kircherus novam hanc suam Doctrinam, si tamen verè nova est, in pluribus Doctoribus, SS. Patribus, Authoribus antiquis & recentioribus &c. Inter quos adducit Venerabilem Bedam, S. Brunonem, Anselmum Cantuarensis, Fabricium Pauluccium, Ludovicum Lacerdam, Jesuitam, Marcinum, Mersenum Ord. Minim. Aversam Ord. Cler. Min. p. t. Generalem, Hurtadum de Mendoza Jesuitam, Ismaelem, Bulialdum, Parisinum, Mathematicum Regium, Scheinerum Jesuit. Mathem. insignem, Joannem Hevelium, Joan. Patricium, Italum, Godefridum Wendelium, Canonicum Cameracen-

meracensem, Joannem Petrum Fabrum, Ignatium Derkennem, Jesuitam Belgam, Dominicum Platum Relig. Montis ferrati, Joan. Euseb. Nürenberg. Senecam. Plures Citationes & Textus vide ibi: Ergo non potest dici, quod loquatur improbabilia & falsa.

Kircherus ergo præfatus in Itinerario II. Dial. II. Cap. 3. de Globo Terræ, de Rerum Principiis & Causis sic docet: DEUS omnipotens Voluntatis suæ Efficacia, primum Chaoticam Massam ex nihili Abyllo creavit; hæc autem Chaotica Massa nihil aliud, quam rudis, confusa indigestaque fuit Rerum producendarum congeries, sive Elementorum Hyle quædam, à primo Creationis suæ instanti Rerum omnium in universo producendarum, panspermatice quædam Virtute prægnans, quæ in prima Elementorum divisione, ineffabili Divinæ Potentiæ Vocis, & Energia percussa, in eam emerlit Rerum Diversitatem, quam in Mundo satis admirari non possunt Mortales. Nam Voce divina intonante: Fiat Lux (quæ quidem nihil aliud fuit, quam Calidum Naturæ primigenium, Lux cœlestis, & veluti Anima quædam omnibus Vitam ac Motum tribuens) mox incitata Massa illa, in incomprehensibili suo Squalloris & Confusionis Chao absorpta, benigno illo primigeniæ Lucis Calore dilatata, in varios Raritatis & Densitatis Gradus, variasque Rerum Species, digesta fuit, crassior quidem & fæculentior, appropriata sibi Panspermia imbuta, non tantum in crassum & opacum Terræ Corpus cessit, sed & omnibus Astreis Mundi Corporibus solidæ firmæque Consistentiæ Materiam præbuit. *Deinde Divina Vocis Imperio, Aquarum, Luce primigenia, jam in liquida fluxilemque Materiam dilatarum, Separatio facta fuit, qua Pars ad extremos Mundi recessus relegata, Pars Telluris Corpori consignata, Pars in reliquos Mundi Globos, sine qua Terrea Massa Siccitatis suæ vi consistere non poterat, distributa fuit.* Atque hoc pacto, singula Mundi Corpora, ex Terreo, Aqueo, Igneo Elemento

mento (nos negamus Lucem illam primigeniam, fuisse Ignem Elementum) composita confiterunt. (ubi nota, quod ipsemet Kircherus alibi expresse neget, dari Sphæram propriam Ignis, omnibus nascendis communem, & haud dubiè aliter loqui hic cogitur, ad huc Aristotelicè, ne contra diversa Decreta suæ Societatis, in quibus plures novæ Propositiones Philosophicæ, Aristoteli contrariæ, sub gravibus Pœnis, doceri prohibentur à Sociis Jesuitis.) Paulo post pergit.

Cum vero separata jam, Voce Divina, Elementa, tum in alios Mundi Globos, tum potissimum in terrestres, Geocosmi Compositionem, qui Finis omnium est, & singula Seminali Virtute sibi propria coaluissent, ecce Panspermia illa in Terraqueo Globo, Divina Voce percussa: Germinet Terra Herbam virentem & facientem Semen, & Lignum pomiferum faciens Fructum juxta Genus suum, cujus Semen in semetipso sit super Terram; innumerabilem illam Plantarum, Arborumque Varietatem produxit, quam admiramur: ita quidem, ut Terra Aquarum ambitu, & penetrativa Vi earundem macerata, & Seminalium Virtutum miscella facta, primum Subjectum fuerit, ex quo DEUS Conditor tantum Graminum, Herbarum, Florum, Arborum, Viribus Formarumque Proprietatibus differentium, Progeniem eduxit, quæ & in Semina unicuique Speciei propria, ad perpetuandas Rerum Species coalesceret.

Atque hoc pacto Plantarum omnia Genera nata sunt, (& adhuc sic generantur) & paulò post: Patet id quoque in Productione Reptilium & Volucrum, dum DEUS dixit: Producant Aquæ reptile Animæ viventis & volatile super Terram, sub Firmamento Cœli, creavitque DEUS cetè grandia, atque omnem Animam viventem atque motabilem, quam produxerant Aquæ in Species suas, & omne volatile secundum Genus suum. Ecce hic apertè dicitur: quam produxerant Aquæ in Species suas, & omne Piscium Genus, Aviumque Species, immediatè ex Aquis.

Ergo

Ergo jam Semen in iis præextiterat, quo in tantam Specierum Varietatem, voce DEI percussa Aqua rumpere. Ubi hic advertendum, Aquam hic expresse doceri omnium Rerum Materiam, cum seminali illo Archeo, seu Luce primigenia, omnia Corpora naturalia producentem, ubi per Lucem nequaquam intelligi potest Ignis Elementum. Nam Lux & Lumen non sunt de Ignis Essentia, nec de Caloris. Nam datur Lux & Lumen Lunæ, & plurium Astrorum propria essentialiter frigida, nihil de Igne habentia. Deinde certum est Pisces ex Natura esse frigidos, nequaquam calidos: Quomodo ergo Ignis tanquam Elementum concurrisset, ad Piscium productionem? Quomodo Ignis Effectus frigidus causaret & principiaret contra suam Naturam? Igitur per Lucem illam Primigeniam, cum Aqua omnia producentem, non potest intelligi Ignis Elementum, sed potius Lux quædam cœlestis, & veluti Anima Rerum, omnibus Vitam & Motum tribuens, ut infra pluribus explicabitur.

*Prosequitur Kircherus: & iterum ex vers. 24. Producat Terra Animam viventem in Genere suo, Jumenta & Reptilia & Bestias Terræ, secundum Species suas.*

Item de Elementorum Differentia & Numero, non omnes eodem modo philosophantur. Verum quod ad Physicam Considerationem attinet, licebit ea universe ad duo Genera revocare, quorum primum illud statuatur, quod se habet principaliter, ut activum Rerum Principium, (ecce Causa nostra efficiens interna) primigenia inquam Mundi Lux (quam infra Dialogo II. Cap. IV. pag. 586. appellat Calidum radicale, Ignem Naturæ, Mundi Entelechiam, sive universi Semen, omnia enim, inquit, hæc, unum & idem sunt.) Alterum verò humidum primigenium Principium omnium Rerum passivum (ecce Materia nostra Aqua) quod tamen in plures quasi Species, juxta diversos Subtilitatis aut crassitiei Gradus dividitur.

Iterum pag. 581. eodem Cap. & Dial. pergit: *datur in univ-*

*universo Spiritus quidam, omnes Mundi Semitas pervadens, quem Veteres perperam Mundi Animam seu Mentem, alii rectè ipsam Rerum Naturam appellant, nos Entelechiam Mundi, cum Aristotele vocare possumus, quam ego nihil aliud esse dico, quam Partem levissimam Elementorum Cœlorumque, quæ in Globorum centris simul unita, transit & mutatur in Semen Mundi, à quo deinde producuntur omnia, quæ naturaliter fiunt in hoc Mundo, & facta conservantur: (Ecce Causa nostra efficiens interna, Archealis, seminalis, fermentalis) & duplex est, fixa altera, altera volatilis: illa in Terræ Visceribus atque in toto ejus Corpore, Elementorumque intimo centro suum constituit Dominium, hæc ut omnibus Naturæ Rebus, quæ in continuo fotu, & perenni Alimenti Subministratone egent, subveniat, per universas Partes Mundi, intimosque recessus diffusa, nihil non implet. Atque sicut hanc primigeniam illam Mundi Lucem, à DEO primo Die creatam, Rerum omnium activum Principium: Sic illam nihil aliud, quam humidum radicale, Passivum vero Principium dico: & est subtilissima & delicatissima, omnium Elementorum, cœlestiumque Corporum Aporrhæa, sive Effluvium, in omnia Mundi penetralia diffusum, vis Motiva, Virtus totius Naturæ, Semen Mundi, quod pro Mundanorum Corporum Dispositione, eorum proprio junctum Semini, innumerabiles Rerum Formas individuatur. Et licet unum quodque Elementorum innata sibi seminali Virtute constet, tenuissima scilicet Corporis sui Portione, ab Entelechia tamen Mundi seu Semine universali, non differt, nisi quod illud in ipsis Elementis concentratum, in proprium Elementi Semen, pro Naturæ cujusvis Exigentia cedat. Quod quidem Semen Mundi in Sole, Luna, caterisque Planetis velut in solio quodam dominatur; cœlestia verò Corpora, illud perenni influxu, Motuque perpetuo, communicant primo Aëri, ubi mixtum proprio Aëris Semini, propagatur in Aquam, ubi pariter seminali Virtute Aquam mixtum, defertur in abditissimos totius Telluris sinus,*

*nus, ubi simul perfectâ Mixturâ Terra commixtum Sementi à subter-  
raneo Archeo, Caloris innati opifice, in Semen perfectum omnium  
earum, quæ facunda Mater Tellus continua & indefinente Genera-  
tione profert, concoquitur & digeritur: reliqua vidi ibi. Tan-  
dem dicit: Cum ex prima illa Chaoticæ Massæ Materia (i.e.  
Aqvea) & Cœlos & quæcunqve universi ambitu continentur,  
DEUS Rerum Opifex produxerit, certum est, eum omnia ad  
consequentium Rerum Productionem necessaria, in dictam  
Materiam (Aqveam) primitus infudisse; quod apertè infi-  
nuat SS. Scriptura. Et Spiritus DEI ferebatur super Aqvas, ad  
eas fœcundandas, velut iis incubans, ut Textus docent.*

Iterum Cap. IV. Dial. II. pag. 586. ait: *Postquam Calor ille  
primigenius Mundi, Materiæ centro inexistentis, omnia Rerum  
confusa & indistincta Semina, Virtutis suæ Efficacia divisa, ad  
quidpiam peculiare destinavit, mox eodem Temporis Momen-  
to, ex destinata illa Materia particulari, una cum Forma Mate-  
riæ congrua & debita, Spiritus quidam particulares educuntur,  
qui una cum Forma Rei & Materia, Semen aliquod in ipso in-  
dividuata Materiæ centro constituunt, quod Semen quamdiu  
viget, simile sibi producendi Facultatem acquirit, atqve hoc  
Pacto se in Natura Rerum quoad Speciei Conservationem pro-  
pagando perpetuat (ecce Causa nostra efficiens interna Archa-  
lis, Seminalis, Fermentalis.) & paulò post pag. 587. adducit illa  
tria prima Chymica, ubi Sulphur comparat Calido innato primige-  
nio, Mercurium Humidoradicali, Sal vero Sicco terrestri. Et hæc  
omnia ait: *in ipsa Mundi Entelechia concentrata sunt. Deinde  
comparat illos Spiritus supra numeratos Spiritibus Facultatis vi-  
talis Microcosmi, & sicut in Homine omnia administrantur Benefi-  
cio ejusmodi Spirituum Vitalium; ita idem fieri censet in Vegeta-  
bilibus & aliis Rebus. Deinde reliquo hoc Cap. IV. & V. ennar-  
rat in Specie Generationem prædictam Vegetabilium &  
Sensitivorum, quæ quia nimis sunt longa hic recensere,  
vide**

vide ibi, non pigebit, licet subinde inter hæc intermiscet Terminos antiquos Aristotelicos, de Educatione Formarum ex Potentia Materræ, de Elemento Ignis, ut satisfaciatur Obedientiæ Superiorum, haud dubiè eadem omiffurus, si libere, ut sentit, liceret loqui. Nam in Substantia, nobiscum in omnibus de reliquo consentit, & idem cum ipso sentit, ejus Scholiastes Caspar Schottus, Jesuita. Adeoque hæc Doctrina hucusque deducta, licet nova videatur, non tantum probabilis, sed etiam certa & in Fide Divina fundata esse videtur. Vide ibidem de Animalium, Avium, Aquatiliu, Insectorum Genesi admirabili curiosa, Particularia plurima, ad nostram novam Philosophiam facientia, eamque ut Christianam & solidam facientia, & confirmantia. Nos hic Sectionem istam & Caput de Principiis, Elementis & Causis &c. verum in Genere concludimus,

*CAPUT IV.*

**DE PRINCIPIIS, CAUSIS, ET PROPRIETATIBUS RERUM IN SPECIE.**

*SECTIO I.*

*De Materia Rerum i. e. Aqua.*

**S**ufficienter jam de Aquæ Principio in præcedentibus diximus, & iterum infra de Elementis in Specie Cap. seqv. paucis eandem Materiam attingemus, sed fusissimè & curiosissimè eam legere poteris in Kirchero, Itinerario secundo, toto Dialog. I. Cap. I. ubi lectu dignissima & jucundissima reperies. Nos hic quia brevitati studemus, eo Lectorem remittimus.

## SECTIO II.

*De altero Rerum Principio, seu Causa efficiente interna, Archeo seminali.*

IN superioribus hanc Causam Efficientem internam i. e. Archeum Fabrum, Vulcanum omnium Rerum & Generationum, pluries attigimus. Nunc clarius ex professo eum explicare opus est. Quidquid enim in Mundum venit per Naturam, necesse est, ut habeat suorum motuum Principium ac Initium, Excitorem ad Directorem internum Generationis. Singula ergo quantumcunque dura & opaca, ante sui istam Soliditatem claudunt in se Auram, quæ ante Generationem Semini facundo hætenus internam, futuram Generationem adumbrat, & generatum postea comitatur ad finem Scenæ usque. Quæ licet in aliquibus luculentior sit, in Vegetabilibus tamen, succi Specie comprimitur, ut & in Metallis densissima Homogeneitate inspissatur, singulis tamen Rebus hoc Donum obtinigit, quod hodie vocatur Archeus Generationum & Seminum Facunditatem continens, est tanquam Causa efficiens interna. Ille, inquam, Faber generati aut generandi Imaginem seu Ideam in se habet, ad cuius Intuitum & Formam omnes Destinationes Rerum agendarum componit. Constat verò Archeus hic Exconnexione vitalis Auræ, tanquam Materiæ, cum Imagine seu Idea seminali, quæ Idea est interior Nucleus spiritualis, continens Facunditatem Seminis, Semen autem visibile, est tanquam illius nuclei spiritualis siliqua. Imago hæc Archealis ex Prædecessoris Idea effluens, vel eandem è Condo externorum arripens, non est de mortuum aliquod simulacrum; sed insignitum plena Scientia, ornatum Potestatibus necessariis in sua Destinatione Rerum agendarum adeoque est Vitæ & Sensationis primarium Organum. De mira harum Idearum Efficacia, Potestate & Historia, plura dicemus infra in Materia de Anima,  
de

de Ideis Rerum. Hic Rem tantum per Exemplum adumbremus, Mulier prægnans appetitu suo Cerasum, in fætu illa Parte impingit, quæ Manum appetendo admovit sibi: (id testantur plures Historiæ & Experimentiæ quotidianæ de Prægnantibus, quod fætus parturiant, diversis suis Apprehensionibus & Imaginationibus conformes, de quibus alibi infra.) Cerasum, inquam imprimit fætui, in Carne verum, vivens, pallidum, flavum, rubens. juxta Stationes, quibus Arbores sua Cerasa promovent, i. e. juxta diversa Anni Tempora. Historiam vide hujus Rei apud Helmont: Et citius etiam carneum Cerasum in Pueris v. g. in Hispania rubet, quia calidior Hispania, quam in Germania frigidiori.

Fit ergo Cerasum, per Imaginationem prægnantis: Ita per Libidinis Imaginationem traducitur in Spiritum Seminis vitalis Imago animantium, per Cursum Generationis se ipsam explicatura; prout infra de Anima Vegetativa speciatim enarrabimus. Atqui cum omnis Actus corporeus in Corpus terminetur, hinc fit, quod Archeus Faber, ac Generationis Rector se ipsum statim vestiatur corporali Amictu. Vide Historiam totius Generationis infra loco cit. In animantatis enim, per ambulat omnes sui Seminis latebras, & recessus, incipitque Materiam transformare, juxta Imaginis suæ Entelechiam, seu Perfectionem. Hic enim Cor locat, ibi Cerebrum designat, & ubique in singulis Membris, alium immobilem Habitorem Archeum Præsidentem, particularem, ex universali sua Monarchia, determinat, juxta Exigentiam Partium ac Destinationum Fines. Præsides denique ille sive Archeus particularis, manet Curator & Rector Finium illorum internus & Membrorum, usque in Obiitum animantati; Alter verò Archeus universalis fluctuans, nulli assignatus Membro, Intuitum servat & Inspectionem generalem, super particulares Membrorum Nauceros, lucidus totus, sed ferians nunquam, semper sollicitus Domus

Præfectus. Insuper, ut sublunaria superiorum cœlestium in se exprimunt Analogiam quãdam: sic unum quodque, quo est vitalius, eò perfectius Astra æmulatur, adeò ut ægri sensibiles Ephemerides in se ferre videantur, futurarum Tempestatum gnari. Hinc facile advertunt externam Cœli Serenitatem, Ventositatem, Turbulentias, Lunationes; In Visceribus verò principalioribus, maxime elucent Planetarii Spiritus. Unde dicitur in Microcosmo Homine Cerebrum esse Luna, Cor Sol, Stomachus Jupiter, Hepar Mars, Renes & Vesica Venus, Lien Saturnus, Pulmones Mercurius. Prout etiam in universali Archeo influo, vices & vires Firmamenti apparent, quia sub se continet tot Membrorum particularium Archeos, velut tot Stellas fixas. Primum autem mobile in Viris nunquam Locum habet (sicut revera nec in Cœlo usquam Locum habet, ut hodie communiter Astron:) sed in Fæminis tantum sub uteri Archeo, analogâ Meditatione occurrit, tanquam in postremo creatorum Complemento (Eva enim post omnes Creaturas producta est) Et inde fortè Mulier primis suis conceptibus turbator, cæteros suos Orbes, primis illis Motibus secum ducit, rapitque quoties Uterus, ascendentali Imaginationis Regimine turgidus, Thymoses suas patitur, proindeque particulares Viscerum suorum Archeos, in sui Uteri obsequium rapit, Infirmi- tates Viriles æmulando, sic plerumque miserè Medicos deludens ficta Imaginatione.

Brutorum Archei propemodum se habent, instar Humani. Nec inutilem simplicium supellectilis Cognitionem haurire possumus, ex Plantarum vario Discrimine, & suis Sexibus. Quippe nec sinè Mysterio, in sola Corruptione natis Reptilibus & Insectis, nihil æque Natura variè ludendo intendit seriò, quam analogâ sexuum ut robique Discrimina. Propterea neque eam in Plantis neglexisse autumandum est, licet promiscuo sexu, unicum Semen & facundissimâ prole, faciant beatum.

Pro-

Potissima autem Effectrix majorum virium dignoscitur sub Veneris signaturis, elucens Sexuum sollicitudo, subinde & Hermaphroditica Promiscuitas. Quæ enim Plantæ sunt fæmineæ, primi mobilis Raptum conciliant.

Naturalis ergo Seminis humani Astrologia, suas Directiones Archeales, juxta universalem Cœli motum, componit per se, non autem de Foris mendicat, à Cœlis aut Causis extrinsecis occasionibus. Ergo hæc Causa Physica efficiens, interna, non externa esse debet.

Nam si omne Vegetabile, ut supra vidimus, Semen suum edere poterat, ante Stellarum Creationem (prius enim Terra cum sua Fæcunditate creata fuit, quam Stellæ, quas quarta Die creatas ex Genesi constat: Terra verò germinavit & produxit suas Plantas Die tertia) certè Hominem decebat non minore Privilegio gaudere, & ex innato nimirum Semine, Subsistentiam, Motum & reliqua sua habere, non autem ex Astris; Id quod infra pluribus ostendemus, de Mixtione Rerum, & Influentia astrali, de Archeo etiam infra plura in Cap. de Anima,

### SECTIO III.

#### *De Forma omnium Rerum, ultima Perfectione.*

**L**icet superius Formam ex Causis & Principiis Rerum naturalium censu excluderimus, tanquam potius compositi Complementum & Effectum, quam Causam, quia tamen Forma dat Perfectionem, Virtutes, Proprietates compositis omnibus, hic pro Conclusionem de ea agemus ex professo.

#### §. I.

#### *An Formæ Rerum orientur ab Astris?*

Credidit ignorans Gentilitas, & ei inhærentes adhuc Aristotelici plurimi, totam Rerum sublunarium Moderationem & Vicissitudinem pendere, ex Cœlorum incerto, mereque conjecturali

jecturali Motu, Astrorum Situ, Lumine, Aspectu: non considerantes ex opposito, Donum Divinum Multiplicationis & Generationis effusum fuisse, in universum, ante Stellas & Sdera nata, ut supra jam ostensum, adeoque eatenus, quasi frustraneam fore Benedictionem Divinam Generationis & Vicissitudinum inde sequentium, in Genesi impertitam Elementis, si totalis Gubernatio esset à Motu Cœlorum aut Astrorum, verumque esset illud Aristotelicum Axioma, quod Sol & Homo, generent Hominem. Cum tamen protoplastus Adam, ex limo sit factus, & Inspiratione Divini flatus sit animatus. Cœlos verò nec Mores, nec Scientiam, nec Fortunam, nec esse conferre ulli Rei, infra de Mixtis probabitur. Nunc porro probabimus Cœlos ne quidem Vitam, nec Formam dare posse Rebus naturalibus.

Certum est enim de Fide, quod DEUS, qui solo Verbulo Beneplaciti, universum ex nihilo fecit, sit omnia in omnibus, & hodie quoque sit, Cunctorum Via, Origo, Vita & Perfectio; adeo ut licet Causæ secundæ sint & operentur, tanquam Causæ partiales, Motuum Directiones, & Dispositiones omnes, ad Generationem necessarias; nihilominus tamen proinde, DEUS suum Honorem nulli tribuat Creaturæ, quin semper ipse, ut Causa totalis prima maneat, jugis Rerum Parens, Naturæ Conditor & Rector perseverans creando. Credimus ergo nos Christiani, & profitemur, quod sicut in Initio, sine ipso factum est nihil: ita & hodie Formæ cujusque Creatio, sit Res ex nihilo, per ipsum eundem DEUM facta. Unde & nolentibus ipsis adversariis, Christianis hæc Veritas quotidie excidit: DEUS mihi hoc Frumentum, hoc Vinum, has fruges &c. hoc Anno largiter dedit, aut abstulit, denegavit. Hæc est Vox Populi, Vox DEI. Quod dicimus non tantum, pro Materia semel in Initio creata, sed etiam de Formis quibus libet. Quod sicut Forma est Rei quoddam quasi Lumen, & istius Luminis Apex: ita nemo Formas Rerum patret, nisi solus Pater Luminum, qui omnia dat omnibus,  
nec

nec longè abest ab unoquoque creato. Nec credamus Cœlos ex nihilo condere Rerum Formas naturales, aut Rerum Semina, animas ve dare, quas ipsi nullo modo habent. Nam Fides simul & Religio nos docent DEUM esse & hodie Rerum immediatum Principium, ubique præsens, operans omnium Perfectionem. Ideoque quidquid usquam est essentialiter id totum quantum est, potest, scit & habet DEO, ei que soli, debet. Creatio enim ducit Habitudoinem & respectum ad Rem existentem, in Perfectione Rei autem Perfectio est cujusque Interna essentialis Formas ergo ejus immediata Origo non aliunde quam ex Creatione esse potest, atque ideo immediatè ex unico Rerum Creatore DEO ineffabili.

Itaque cum omnis Forma sit essentialiter aliquod Lumen à Patre Luminum, descendens, qui etiam ambo Principia naturalia Lucem primigeniam, & Aquam creavit & benedixit ante Stellas quarta demum Die creatas, hinc Formæ Rerum naturalium, nequaquam possunt oriri ab Astris, igitur in hoc gravissimè erravit Gentilitas, & in ea hucusque fundatæ Scholæ Aristotelicæ.

## §. 2.

*An Formæ Rerum educantur de Potentia Materia?*

Alii ergo Philosophi hæc advertentes, & simul videntes, Ignem de Igne, de Lapide, de Ligno sumi, adeoque in objecto cremabili esse potentialiter Ignem, statim inde concluderunt & Axioma infallibile condiderunt, generaliter omnem Formam educi de Potentia Materiæ, adeoque Semina omnia continere potentialem Formam, atque eatenus scilicet, quod actualis Forma tandem educatur & procreetur ex potentiali Dispositione, quam vocant Materiæ Potentiam, sicque putarunt omnium Seminum Generationibus idem evenire, quod in Lumine & Igne experti fuerant: Ideoque mordicus deinde do-

cuerunt quod omnis Forma substantialis (nos quidem essentialem Formam omnibus Rebus concedimus, substantialem tamen Formam nulli Rei nisi Homini soli, propter Animam immortalem veram Hominis Formam, concedimus & credimus) siue omnis Actus, educeretur sine medio de Potentia Materiae, i. e. quod omni Forma à solis crearetur Dispositionibus Materiae, vel melius, à solis accidentibus Materiae producat. Quod aequè Absurdum est, sicut alterum prius Argumentum, de Astris jam refutatum, cum Accidens substantialem Formam creare nequaquam possit, imo nec una Substantia creata aliam Substantiam creare potest, ut alibi probabitur. Imo sic Accidentia eripuissent substantiis istam praeogativam, quod Accidentia producerent Accidentia & insuper Formas substantiales, essentialis Substantiarum, Formae autem ipsae substantiales, velut otio torpentes feriarentur, ac suis Vicariis Accidentibus totum Negotii Pondus tradidissent contra Aristotelis Axioma: omne agens naturale, natum est producere sui simile, aut quod Accidentia plus possint quam Substantiae.

Falsum itaque & Atheismi aliquid continere videtur Axioma Scholarum; agens, omne quod disponit ad Formam, etiam ipsam Formam dare.

Nam si Substantia toto Prædicamento differt ab Accidente, etiam Principia utriusque necessariò sic debent Prædicamento differre.

Principium vero activum, motivum, dispositivum, & essentialis Generationum, est sola Causa efficiens interna & Archeus Faber, ut jam vidimus, à quo postquam disposita sunt omnia, tandem DEUS gloriosus creat in illis Compositas Formas Substantiarum.

Quorum ergo Principia sunt Genere & Prædicamento diversa, eorum similiter effectus sunt aequè diversi Genere & Prædicamento, prout & Causae eadem similes, sunt similes similibus Causatis. Unde

Unde sequitur ex dictis quod Calor tantum producat Calorem, non vero Ignem, multo minus Formam v. g. pulli: denique nihil aliud præter Calorem, quia cum Causa efficiens sit interna, & Essentia causati, ideo unum & idem non potest constitui, à Causis propinquis Specie diversis, multo minus toto prædicamento Differentibus, neque enim datur esse sine Proprietatibus Essentialibus, ut neque agens sine organo & medio.

Quo ergo medio vel qua demum Proprietate, extra se Calor erit agens in Productione Formæ aut illius Substantiæ? & quo contactu Calor tangat Formam, ut hanc in altero objecto generali, de Participatione sui esse producat? nam apud Scholas Gentilitio errore Imbutas, omnis Forma Substantiarum est Substantia, quod falsum esse mox demonstrabimus. Igitur nos Christiani hic subsumere debemus, quod neque Astra, neque Accidentia dispositiva ad Formam, possint condere ullam Substantiam ex nihilo, antea non Existentem, eo quod Creatio Substantiæ sit propria soli Creatori DEO. Igitur licet Semen contineat, patrantis Imaginem, Archeum sibi proprium, cum omnibus ad Generationem requisitis, tamen nisi essentielle Formæ, originaliter, totaliter, exemplariter, perfectivè emanativè & immediatè, penderet ex DEO, nunquam Natura operaretur quicquam, quia Potestate activa planè careret, si Orba esset illo respectu relativo, unde certum videtur Formam nec ab Astris, nec à Dispositionibus Accidentalibus educi, tum quia ex D. Gregorio & SS. Scriptura, Terræ collata est Potestas ex se germinandi perinde ut Animalibus crescendi & multiplicandi, quam Astris tribuere, nefas existimamus, tum quia Accidentia, nec per se, nec ut sunt Substantiarum, aut Essentiarum organa, seu Virtute suarum Essentiarum aut Substantiarum, possunt producere Formas, ut putant substantiales, (se perfectiores) imo neque unius Substantiæ Forma, potest producere aliam Substantiam aut ejus Formam quia hoc est solius Creatoris.

Esse enim, quod Res habent, est quidem ipsius Entis, seu Creaturæ ipsius ex dono, Seudo, Talento DEI participativè, DEUS tamen ad Generationem ipsius concurrat ut Causa universalis, independens, totalis, essentialis, & efficienter efficiens, Ens vero creatum concurrat, ut Causa dependens tantum particularis, partialis, & dispositivè efficiens, ita nos docet vera Theologia Christiana, cui Philosophia nequaquam debet contradicere. Plura vide apud Helmont. §. 23.

## §. 3.

*De vero Ortu Formarum naturalium.*

Antequam id declaremus, oportet prius ostendere, quid revera tribuat Creatura ad Formæ Productionem, Igitur notandum I. Quod cum Entia ad generandum nihil habeant à se aut ex se, sed ex mutuo & gratis omnia possideant, fatentur hoc ipso DEUM omnia operari mediatè & immediate; Nam Animal non generat Animal, sed bene Semen ad Animal, ideoque non generat Formam ejus Semen autem, ad Formam Animalis, est tanquam Architectus disponens, non autem ut Formæ Factor, Archeum quidem à generante mutuatur non tamen Formam, imo nec Lumen Vitæ, quo Forma Animalis splendet. Non est itaque Initio Generationis Archeus adhuc luminosus, sed est Aura tantum, in quam Forma Vita vel Anima sensitiva generantis, parum pernituit, donec sufficienter sui Fulgoris Sigillum aliquod umbratile impresserit.

Quæ Aura a vide Splendoris sensato in generante, semel, ac Umbratilitè in se concepti, intendit viâ omni possibili Corpus organizare, ad Receptionem illius Luminis, & Actionum ab illo Lumine Dependendum. Quorsum ergo desiderando anhelans se ipsam magis magisque accendit currit perfectissimè, ut suscipiat istud Lumen, Formam seu Vitam, quam tandem non aliunde acquirat, nisi ab eo, qui est Via, Veritas & Vita, ac Lumen vitale.

Eous-

Eousque ergo, cum Archeus devenerit, nec interim ultra progredi valet, sistiturque, tandem Formam de Manu Patris Luminum, postquam plene suis Muniis est Functus. Hæc sic dicitur Christiana Philosophia Catholica & vera Theologia.

Notandum II. generaliter, Seminum Massam, ut jam monuimus recipere in se à generante corporalem Auram, Vulcanum, quem Archeum nominamus. Lignorum Semina aliquot sive nuclei, continent in se, vel Oleum aut Amygdala, Pineoli, Pistacci, & multorum Olerum Semina, vel sunt Farinacea, ut Glandes, Castaneæ & Cerealia, vel Lacteam fundunt Mucilaginem fecundam. In habitat enim in his omnibus Archeus Sopitus & Coagulo Semium obdormiens, sua Sorte contentus, quamdiu Propaginis est incurius. At ubi semel suum Semen Terræ concreditur, non potest non ejus Humorem imbibere & Turgidum fieri, situm deinde contrahere & mox Fracidum Fermentum arripere, qui Odor & Sapor etsi fracidus, tamen in singulo fit specificus Semine, alteratque ideo suo Fermento acquisito proprium Seminis Saporem, & consequenter inde in sui Transmutationem disponitur.

Nam per Fracedinem natale istud Humidum seu Spermaticum, quamprimum meditatatur sui Resolutionem, unde Vapor quidam veniet, Exhalatio. Gas nimirum (Gas Terminus Chymicus est Spiritus non coagulabilis, qualis ex fermentante Vino, Cerevisia, itemque ruber ille, qui Chrysulca operante nectatur.) hoc inquam Gas, quod ex Putrentibus Rebus facile ascendit, sic concitatur oriturque ex his, sub ista qualicunque Putredine, Calor, qualis passim fit in Lignis sub Terra Fracescentibus, quæque Fungosam ejus Fuliginem extrudunt, quia ista fuligo Caloris & Corporis dissoluti Index, minatur Heterogeneorum Separationem, adeoque è Seminalibus Liqvoribus, aura illa vitalis, licet profundius subinde Conclusa, minatur Eruptionem, prius tamen laxatis habenis vagatur intus.

Sic sæpè recens fœnum insperata fecit Ædium incendia, quæ profectò sunt indicia Caloris non remissi, sed in Gradum surgentis. Aura itaque illa moderatum semel Calorem nacta, sensim Perfectionem meditatur ad eam aspirat, & Substitutam sibi Corporis Molem provocat ad Dispositiones Formarum, Impetrativas, à DEO Luminum talium Patre recipiendas.

Quod jam diximus de Vegetatibus, id apertius liquet in Ovis Piscium Volatilium & Reptilium, omniumq; apertissimè elucescit, in quadrupedum Seminibus. Tandem itaque Lumen tenue Splendens nitensque præfatam Archei auram accendit, fit ut inde fiat vitalis, non quidem quod ille Splendor (ut in actualiter Calidis) fit Anima aut Forma Plantæ, Piscis, Bruti (esset enim alias cujuscunque Plantæ vis eadem Specie Forma.) sed in ipso Splendore, est alia Quiditas Specifica. Odore Specifico prægnans, nec à Splendore longè aliena, quæ ipsum Lumen determinat ad hoc aliquid essentialia, adeo sane ut licet Splendor ille, vi solius Naturæ excitetur (sicut docent Ligna Putrida, Salita, & Sal ipsum Splendentia) nunquam tamen vitalis efficitur, nisi per Creatorem sibi addita Specifica cujusdam Luminis Forma Quiditatis effectrice, quæ sola scilicet Odorem, Splendorem omnesque Proprietates Auræ illuminatæ, in sui Unitatem simul trahit. Hæc est nempe Rei Vita seu Forma, cujus supplementi defectu Fætus in Molam, Monstrum, vel Putredinem degenerat. Et licet adsit Aura vitalis & Splendor ejus, accrescatque, quia tamen deficit Lumen formale vitale, trahens sub Unitatem, Proprietatem & Diversitates sub alternas, fætus, corrumpitur necessariò & mox putrescit.

Igitur solus Pater Luminum, Formarum Lumina, & Luminum Formas immediatè condit, qui Vitam & omnia dat omnibus, nec longe abest ab unoquoque nostrum, ipso DEO Teste & Sacra Scriptura.

Hæc in viventibus ut jam vidimus, seu in omnibus viventium

tium Gradibus Vegetativis & Sensitivis videntur certa & Evidentia, in Mineralibus (quæ tamen alibi etiam à nobis ostendunt esse quodammodo Viventia, ut patet in Virtute Magnetis, Succini &c. vide infra de Anima) in his, inquam, licet difficilius supra dicta appareant, habent tamen in sua Monarchia intus sui constitutiva Radicalia & Seminalia Initia, ut Vegetabilia. Unde licet superiora, & Philosophia hæc Christiana, quæ in naturalibus & Plantis intellectu sunt Faciliora, in Lapidibus verò Mineralibus, Metallis adeoque in Fructibus Aquæ non Vitalibus sunt paulò Difficiliora Intellectu, tamen etiam in illis sat demonstrari potest. Non enim etsi hæc Familia non propaget se vi Seminis, nec extra se edat posteros, proinde deficit Ens in ea, quod illam ad Destinatos Maturitatis fines producat. Nam cum nihil se ipsum disponat usquam aut moveat nisi Semen, necesse est quidquid generatur, id habere intus Dispositorem, qui in Aura Molli, Aquosa, Salsa, Lutosa &c. sedeat: non quidem quod hic fluat aut oberret per istam Massam minerali, proinde ac in Brutis, aut quod proinde in perpetuo Succo habitet, sed Aura illa est per totum incorporata, nec varians ab indole Fructus producti. Imo in Mineralium classe, iste Dispositor est ferè vitalis ac sensitivus. Nam Chymici perfecti, univocè tradunt, si Semen Lapidis Philosophici seu Chrysopœi, semel in ovo illorum fotum, postea in fridetur tantillum, deinceps desperatum fore Conceptum & Progressum ad Lapidem illum Philosophicum. Et hoc cum Ovis Avium sit consimile, etiam proinde hic sinè Vita sensitiva subsistere nequit. De hac Vita Mineralium, Auri, Argenti, Gemmarum, Metallorum, Magnetis &c. mira vide apud Chymicos & apud nos pauca de Anima infra. Concludimus hunc S. admirantes profecto, quod Scholæ Aristotelicæ agnoscant, Materiam omnem secundum, fluere, ex quadam universali Materia prima, non tamen admittant, seu agnoscant, præcipuè Christiano

Catho-

Catholici) omnem Vitam seu omnes Formas, plerasque vitales, ut jam docuimus, immediatè derivare à Vita primitiva, & Actu vitali omnium primo DEO, nimirum omnem Rerum Perfectionem derivare ex universali super essentialique Perfectionis Essentia! etsi artificii Homini etiam perfectissime denegamus omnes una Voce, hanc Potestatem, id efficiendi omni sua Arte, i. e. Vitam influendi ulli effectui, sive artificiali sive naturalis cur hanc Prærogativam in Hominis injuriam attribuamus aliis Creaturis, Homine longè Inferioribus imò Homini à DEO Substratis & Subordinatis, i. e. Soli, Astris, Accidentibus Rerum, Potentiæ Materiæ primæ Fictitiæ? etsi Materia ipsa, ut volunt Aristotelici, desumit suum esse substantiale à Forma & sinè Forma naturaliter stare non potest, quomodo Materia, omni sua Potentia dabit esse & productionem Formæ? quis has Absurditates non rideat? sed de Natura Formarum & earum Ortus hæc sufficient. Videamus nunc an hæc Formæ naturales Rerum, à DEO conditæ, sint Substantiæ seu Formæ substantiales ut volunt per vim Aristotelici? an verò sint tantum Essentiarum Accidentia? an verò Neutrum quid? Gentiles & eorum Erroribus inhærentes Scholæ, in tota hac de Forma Rerum, Materia, sic sentiunt. Quia viderunt Lumen solare per se facere Ignem transvitrum, hinc I. Regulam generalem fecerunt, Lumen solis esse Accidens, Ignem verò productum, esse Substantiam seu Formam substantialem. Ideoque ad Lumen naturale Solis, cæcutientes confugerunt primùm, tanquam ad Substantiæ Ignis (seu Formæ substantialis Ignis) Creatorem. Unde intelligere non potuerunt, Solis Lumen, quin crederent, quod sicut Lumen Solis, videbatur substantialis Formæ Ignis Creator, sic idem simul etiam sit omnium Formarum aliarum essentialium Conditor. Hoc enim Aristotelicorum solenne, & antiquorum quod nacti aliquo Exemplo, (apparente erroneo, aut putativo) statim ad Generalitatem Conclusionum, fuerint prolapsi,

prolapsi, ne indagando per Species fatigarentur, & aliquid reperiretur, quod illos (id est, Scholas Aristotelicas communes) ex Possessione putatæ Scientiæ aut Notitiæ cogeret recedere. Sed & in his Decretis inconstantes, cum viderent Ignem sæpe generari immediatè à Calore, Putredine, Frictione Chalybis, Lapidis, Ferri &c. recesserunt plures à priori Opinione, Cælorumque respectu ac Cooperatione, & II. crediderunt, Ignem etiam aliunde & ab alio Lumine, quam Solis, desumi posse.

Tandem III. cum cernerent Ignem de Igne sumi in Objecto cremabili, statim iterum mutati, concluderunt generaliter, in Materia cremabili esse potentialiter Ignem, & mox eodem Jure sanxere: Omnem Formam educi de Potentia Materiæ; simulque consequenter omnia Semina Rerum continere Formam, eaque fabricari de Potentia Materiæ, i. e. ab Accidentibus, Potentiis, Dispositionibus Materiæ suæ primæ, quam credunt firmiter esse Substantiam. Itaque tota Difficultas in eo versatur: cum ipsi putent in his omnibus Opinionibus Lumen esse Accidens, sicut & Calorem s. Ignem esse Substantiam, consequenter fieri ab Accidentibus Formam substantialem: nos verò cum credamus, Formas naturales Rerum, revera esse de genere Luminum; Hinc operæ pretium hic videtur examinare, an verè Ignis sit Substantia, Lumen verò Accidens? consequenter, an Formæ inter Substantias, an inter Accidentia sint collocandæ i. e. an, & quæ sint Formæ substantiales? sit ergo.

## §. 4.

*An Ignis, Lumen, Forma Rerum, sit Substantia?  
an Accidens? An Creatura neutra?*

De Igne elementari, quod nec Substantia sit, nec Accidens, certum est apud nos, quia non datur in Rerum Natura ullum Ignis Elementum, ut alibi probamus, & si daretur, nulli esset

usui. Igitur tota *Qvæstio* est de Igne nostro artificiali, culinario &c.

Conclusio nostra est: nec Ignis, nec Lumina, consequenter nec Formæ Rerum naturales, sunt Substantiæ, nec sunt Accidentia, sed sunt Creaturæ peculiare, & ab ambobus separata, seu neutra, quæ sibi pares nusquam habent. Roborabimus hanc Conclusionem paucis quibusdam Argumentis: alia vide-re licet fuse deducta apud Helmont.

### Argumentum I.

Ignis, Lux, seu Lumen, Formæ Rerum, Vita, Locus, sunt actualiter aliquid & Entia realia: item agunt, habent Organa & Proprietates &c. sed non sunt tamen Substantiæ, nec Accidentia. Ergo Entia neutra. Major est certa. Minor probatur, & simul declaratur. Vitrum, quod omnes Luminis solaris Radios conceptos transmittit & in Punctum Coni in Aëre colligit, docet nos, quod hoc unitum Radiorum Lumen, sit verus & actualis Ignis, nihil tamen à se ipso Lumine diversus, quam sola Congregatione. Atqui Lumen non est Substantia, ut omnes fatentur: ergo neque iste Ignis est Substantia, Imo etiam Ignis ille in Aëre, non est diversus ab eo qui in Flamma accensa est per Radiorum Congregationem, v. g. in Ligno, Plano, Manu, Capillo &c. Nam quod in Flamma habeat combustibile, in Aëre verò non, id est Igni per Accidens: prout ipsi est nutriri, & non nutriri. Major i. e. quod ille sit verus Ignis, sic probatur: quia omnia agit per modum Ignis culinarii, calefaciendo, siccando, accendendo, cremando, liquando, habetque ea Media & Proprietates, quas habet verus Ignis: nullum vero agens agit per aliena media & Proprietates (quas alias verus Ignis culinariis habet) extra se. Atqui Lumen connexum, seu congregatum per Vitrum, est agens per Proprietates & media alia extra se. (Nam Luminis proprium est tantum illuminare,) Ergo si Ignis non est Accidens

cidens, ut fatentur Scholæ, nec Lumen est Accidens, quia est verus Ignis, ut jam probavimus. Nec refert, etsi collectum Lumen in Cono, vivat absque alimonia: quia satis est, quod Lumen Solis, aut Flammæ istud Lumen in Cono sustentet, absque alio corporali Cibo, adeoque in Cono vivat & subsistat, eodem Solis aut Flammæ Privilegio. Nam ali vel non ali, est accidentarium, & ad esse, ipso posterius: adeoque Quæstio Nutrimenti Ignis & Luminis, hic est impertinens in Quæstione nostra, an sit? Ergo in Puncto Coni est verus Ignis cum omnibus suis Proprietatibus, parum autem supra, vel infra Conum, verè est saltem Lumen, nec amplius comburens Ignis. Igitur cum eadem Res non possit esse in uno Loco Substantia, in altero verò Loco Accidens & jam sit repertus Ignis, qui nihil aliud est, quam merum Lumen connexum: Hinc clarè sequitur, quod jam sit reperta Creatura, quæ non est Substantia, nec Accidens; cum unius & ejusdem Rei Essentiæ, nequeant esse diversæ toto Prædicamento. Nam ut vidimus, hoc Lumen, seu Ignis, idem in Cono est Ignis, non tamen Substantia, supra vel infra Conum est Lumen, non tamen Accidens. Ergo datur merus actualis Ignis, qui nihil aliud est, quam merum Lumen actuale, connexum. Unde inferimus, quod omnis prorsus Ignis essentialiter nihil aliud sit, nisi Lumen.

Dices: Hæc quidem in solari Lumine igneo, seu luminoso Igne Locum habere possunt, qui alio Nutrimeto non indiget. At culinaris Ignis omnino indiget Alimento: ergo cum ipso diversa est Ratio. Sed respondemus negando Minorem, & asserimus, nec Culinarium ullo modo nutriri Alimento, quod sic ostendimus. Quia Nutritio in se & propter se, convertit comestibile, ut illud propter sui Subsistentiam, vel Augmentum convertat, quod assumit. Id tamen Igni non accidit, qui tantum agit ob necessarios Fines suæ Destinationis, quales sunt: separare heterogenea separabilia, commutare per Flammam,

quæque alioquin si non accendantur, tantum separat. Sin autem Ignis Aëre opus habere videtur, id inde est, ne suffocetur à suis Fuliginibus, quæ sic in Aëre receptæ disperguntur. Unde Aër nequaquam est Ignis Alimentum, sed tantum ei inservit, ut explodat in Aërem suas fuligines, quas inflammando combustibile paravit. Nusquam autem invenitur Ignis, qui unquam aliquid de Corpore cremabili appropriaverit sibi, eoque sit alitus vel auctus, quod tamen hactenus creditum est nimis absurde.

Itaque ex Fructibus & Operibus cognoscetis eos, ait Dominus. i. e. Opera Ignis probant verum Ignem. Sunt autem illa, Calor, Exsiccatio, Vaporum Excitatio ac Exhalationum, Combustio, Liqvatio, Accensio, seu alterius Ignis de se Productio, Generatio sui similis cum Illuminatione. Flamma quidem Ignis est Fumus accensus & illuminatus Exhalationis pingvis ex re cremabili, esto: sed quatenus Flamma est talis, & verus Ignis, non est alia Materia accensa & nondum accensa; nec à se ipsa differt, nisi quod unitum in centro Lumen, pingvi Exhalationi supervenerit: quod idem est, atque esse inflammatum. Vide apud Helmont. Exempla practica, cum duabus Candelis &c. Igitur Natura & Definitio Ignis, videtur esse hæc; est Mors artificialis positiva, non autem privativa, plusquam Accidens, & minusquam Substantia. Sed de Natura Ignis paulo post plura.

Redeundo ergo ad Argumenti Substantiam, certum est, quod nemo unquam Lumen inter Substantias posuerit. Ergo neque connexum Lumen, i. e. Ignem. Si quidem connecti, vel non connecti est accidentarium; nec generari potest ab Ente accidentario Ens substantiale. Nec Lumen simplex quisquam dicet esse Accidens, connexum vero esse Substantiam, cum Connexio saltem Gradum dicat, quod à Substantiis est alienum, quæ non suscipiunt Gradum Extensionis aut Intensionis, maxime quod Radii in Cono Luminis connexi, ulterius in decessum proveci, ad sui Simpliciter ac Dispositionem statim redeant.

redeant. Imo Radii illi sunt quidem connexi in Cono, non tamen penitus uniuntur, nec se penetrant mutuo, sed singula servant impermixtum suum esse.

Vide apud Helmont. §. cit. 36. Probas mechanicas oculares hujus assertæ Veritatis Testes. Ergo istud Lumen solare in se mere igneum est, in sola vero sui Connexione differt ab Igne vel Gradu completo illius Creaturæ neutræ. Ergo Ignis & Lumen non est Substantia, nec Accidens, sed Ens neutrum, consequenter idem sunt Formæ Rerum, utpote Lumina à DEO creata.

### Argumentum II.

Ignis aut est Compositum substantiale, sicut cætera omnia creata Corpora, aut non est. Si non est, facile habemus intentum, quod sit Creatura singularis, neutra. Si est Compositum naturale substantiale: Ergo debet constare ex Materia & Forma, quarum utrumque volunt Aristotelici esse Substantiam; sed falsum est Ignem constare ex Materia & Forma: Ergo Ignis non est Compositum substantiale, sicut alia corporea omnia.

Minor probatur ex Ferro & Carbone ignitis. Sic indubium est, quin Carbo & Ferrum ab Igne totaliter undequaque penetrantur, & tamen utrumque, tum Carbo, tum Ferrum interim manent Carbo & Ferrum, ut prius, seu in priori esse, in priori Composito essentiali, constante pariter ex sua Materia & Forma. Ergo sic daretur Penetratio Corporis Dimensionum Ferri & Carbonis, quod naturaliter fieri non potest, darentur Corpora duo in eodem loco naturaliter se invicem penetrantia, daretur in uno eodemque Composito Materia duplex & duplex Forma, quæ omnia communiter absolute negantur. Ergo ad salvanda hæc Absurda potius dicendum est, Ignem in Ferro & Carbone, denique universaliter ubique, carere Materia & Forma, consequenter esse Creaturam peculiarem, neutram, i. e. nec Substantiam, nec Accidens.

Declaratur magis: Si certum est, quod Carbo sit longè porosior Ferro, minusque solidi habeat, & tamen Ferrum ignitum plus urat, quam Carbo: Ergo necessario Ferrum plus continet de Igne in Materia & Forma, quam Carbo. Sed consequens hoc est falsum. Ergo Ignis non est Compositum substantiale ordinarium constans ex Materia & Forma Ignis: quia alias, si aliqua Forma esset Igni propria, penetraret Dimensiones Corporis ferri, quod naturaliter fieri non potest; & sic Ferrum ignitum & Carbo ignitus continerent duo composita substantialia in se, seu duas Materias, duasque Formas, nempe Ferri & Ignis, se invicem penetrantes, in eodem Composito naturali, quod est Absurdum. Ergo Ignis ex sua Natura non est Substantia, nec etiam Accidens, quia est Ens in se subsistens. Ergo est Creatura neutra, seu Ens neutrum.

Nam in Ferro & Carbone non possunt duæ Materiæ vel Corpora, ut neque horum Formæ essentiales, totales ac ultimatae, in eodem Loco & Subjecto sese simul compati. Et tamen verum est, quod verus Ignis sit in Ferro & Carbone. Nam Ferrum & Carbo ignitus, omnes illos effectus præstant, quos alias Ignis quicumque. Igitur necessario fatendum est, Ignem Ferro & Carboni inexistentem, non esse Substantiam, ex Materia & Forma compositam, sed esse Ens neutrum.

Quarunt hic Adversarii varia Effugia, sed omnia inania. Nec dici potest, Formam Ignis abesse à Ferro & Carbone, ejus verò Accidentia & Proprietates ibi tantum inharere; hoc enim multo absurdius esset, quod Accidentia & formales Proprietates Ignis debeant deseruisse suam propriam Formam Ignis, & migrasse in Substantiam Ferri, à se prorsus alienam. Unde est certum, quod Ignis in Ferro ignito, sit verus Ignis, non Substantia, nec Accidens, sed Creatura neutra, habens in se Proprietates diversas, per modum Entium substantialium. Nec dici potest, Materiam Ignis esse Fumum, Flammam verò pingvem

pingvem esse Formam, vel è converso. Nam plurima secum importat hæc Evasio absurda, quæ vide apud Helmont: sed Ignis est tantum Forma assistens Ferro, Ligno combustibili, non autem Forma informans, substantialis, essentialis, Ferri, Ligni.

Confirmatur hoc Argumentum variis Thesisibus certis.

1. Omnis Forma substantialis est ad esse Rei, cui per se inest; sed Ignis destruit esse Rei cremabilis, cui inest, etiam Fumum pingvem vel Carbonem, quo inflammat convertitque. Ergo non est Forma substantialis.

2. Omnis Forma essentialis, substantialis, ita unitur suæ Materiæ, ut semel inde separata, per Extinctionem seu Ablationem, non redeat amplius ad eundem habitum, seu Actum formalem. Atqui hoc non contingit in Igne: Nam licet centies extinguatur in Ligno, Candela, Ferro, semper potest ibidem produci. Ergo.

3. Omnis superveniens nova Forma est impatiens alterius Formæ totalis essentialis. Atqui Metallum vel aliud Corpus fixum, ignitum, ablata Ignis candescentis Præsentia, redit semper in pristinum Statum & Naturam. Ergo Ignis non est substantialis Forma.

4. Omnis Forma Substantiæ habet Materiam suam specificam, in qua est: Ignis vero habet Lignum, Ferrum, Ceram & Carnem, & tot subjecta, quot sunt Species ignificabiles. Ergo est diversa Creatura.

5. Omnis Forma substantialis tandem emergit in Materia, per prævium Semen disposita; sed Ignis caret Semine, imo si quod invenit, absumit.

6. Formæ Substantiarum non habent Gradum, ut fatentur omnes Aristotelici: Ignis autem per folles admittit Gradus, ut experiuntur omnes Chymici, Fabri, Coqui. Ergo.

7. Ignis in Corpore cremabili ita unitur Materiæ inflammabili, ut illi sit instar Formæ essentialis; & tamen revera est illius Destructor.

8. Mate-

8. Materia inflammata per Ignem, convertitur in Gas fuliginosum, quod nondum est Aqua; quia licet Ignis consumpserit vires Rei seminales: permanent tamen primæ fermentales aliquot notæ concreti, quibus tandem in Aëre consumptis & enecatis, redit istud Gas in Elementum Aquæ. Ecce Naturam Ignis heteroclitam, & planè diversam ab aliis creatis Entibus, & Naturis Corporeis; de quo infra in Fine hujus Sectionis plura. Ex quibus omnibus concludimus, quod Ignis non sit Substantia, nec Forma essentialis Substantiarum, sed Rerum positiva Mors & Destructor, Creatura singularis, nulli alteri secunda, à DEO in Hominum usus destinata, & subter nutum Hominis data.

### Argumentum III.

Fortius sic probatur ex SS. Scriptura. Quia per Fidem credimus ex Genesi, primo Die fuisse Lumen, seu Lucem creatam, nec aliud secus; & tamen Creatio non est Accidentium, quæ non sunt proprio Nomine Creaturæ, sed Creaturarum attributa. Similiter credimus in Principio DEUM creasse Elementa; Lumen verò (vel Lux) non est cum illis creatum, sed primo deinde Die. Ergo Lumen seu Lux non debet haberi pro Elemento. Si ergo Creatio Luminis non fuit Accidentis Creatio, neque Elementi neque Corporis, sicut reliqua Corpora naturalia, multò minus fuit Corporis concreti ex Materia & Forma. Ergo Lumen à DEO Opifice non fuit directum, ut sit Substantia vel Accidens, Lumen enim, seu Lux primigenia, vitale Principium (non autem erat Materia) primo die creatur, ut Initium motivum: (prout supra diximus) cum illa tamen Proprietate, ut quoties per sui Connexionem, seu Radiorum Connexionem, in Gradum sufficientem exurgeret, Ignis urens fieret. Itaque sic dicere possumus, Ignem simul creatum esse cum Lumine, in sensu jam adducto. Adeoque est prorsus Creatura neutra, singularis, extra ordinaria, diversa ab aliis Entibus naturalibus.

Argu-

## Argumentum IV.

Denique nec Ignis potest dici Accidens aliquod esse, quod alia Accidentia Specie diversa, ut Calorem, Exsiccationem, Cremationem in se habeat: id enim repugnat in omnibus aliis Accidentibus. Neque Ignis dici potest Accidens esse Accidentis, cum Accidens à Forma substantiali immediatè fluat ordinariè; non autem ab unius Accidentis Forma fluunt plura & diversa Accidentia, ut prioris Entis attributa: hoc enim pariter repugnat. Nequit enim unum Accidens esse Subjectum Inhæſionis aliis diversis Accidentibus. Unde concludimus iterum, Lumen, Ignem, Formas, non esse Accidentia, non esse Substantias, sed Creaturas neutras. Cæterum Ignis consistens in remisso Gradu Luminis, est plerumque Vitæ comes, unito autem Lumine comburit vitalia. Sit igitur Pater Luminum, Creator Luminis, exaltatus in Secula.

§. 5.

*De Formarum Distinctione.*

Sicut autem in Rerum Systemate quatuor tantum dantur Gradus, Inanimatorum scilicet, Vegetativorum, Sensitivorum, & Spiritualium intellectualium: ita & quadruplex est earum Forma. 1. Inanimatorum est essentialis tribuens esse Rei. 2. Vitalis, seu vitale Initium, vigore Alimenti & Incrementi intus interni subsistens. 3. Forma substantialis, quasi per modum abstractæ cujusdem spiritualis Substantiæ se gerens, i. e. Anima sensitiva, non quidem absoluto Nomine Substantia dicitur, sed substantialis tantum, quasi per modum abstractæ spiritualis Substantiæ se gerens, Forma vivens non tantum per Similitudinem, ut Vegetativa & aliæ, sed vere motiva, sensitiva, vide ibi plura. 4. Intellectualis, quæ unica est inter omnes Substantia formalis, nunquam interitura, infinitæ Durationis. Reliquæ tres Formæ enumeratæ, seu Lumina formalia, sicut & Ignis aliaque Lumina, nec sunt Substantiæ, nec

P

Acciden-

Accidentia, sed Creaturæ neutræ, debiles tamen, annihilabiles, ut jam est probatum.

Quod autem Angelus, & Mens humana sint Substantiæ formales, ac verè spirituales, arguit illorum abstractus existendi modus, qui aliis Formis omnibus denegatus est, quæ per modum omnis Luminis subsistunt & intereunt. Unde colligimus in Thesim novam, pro Scholis: *Nullam Substantiam esse annihilabilem vi Naturæ, aut Artis.* Absurdum enim maximè videtur, quod Materia prima Aristotelica in se imperfecta, sterilis & impura, juxta Scholas debeat esse æterna deinceps à prima Mundi Creatione, (ita enim docent) Formæ verò Rerum per Mortem annihilabiles, ut per se patet, debeant esse Substantiæ veræ, Substantiæ inquam, Materia multo vivaciores, imò Materiæ suum esse tribuentes; nihilominus tamen esse debeant tantum momentaneæ. Nam si Forma Rei sic sit maximè & principalissimè Substantia magis quam Materia, adeoque Actus, per quem Materia sit hoc aliquid subsistens; equidem Forma deberet principalissimè subsistere vel substare, aut necessariò falsum esse debet Aristotelicum. *Per quod unum quodq; est tale, illud ipsum est magis tale.* Sed hoc consequens, simul cum Axiomate, falsum est. Id est, belluarum Animæ, & omnes Formæ sunt caducæ, annihilabiles, quotidie pereuntes, per quas tamen Materia subsistit. Ergo Formæ non sunt Substantiæ, sed neutrum quid, ut jam explicatum.

*Confirmatur:* Creata universa sunt ex nihilo facta, unde istius Principii indolem servant, ideoque imprimis Formæ & esse Rerum, redeunt spontè in pristinum nihil. Hominem verò DEUS non immediatè ex nihilo, sed ex limo Terræ creavit, ejusque Creatio fuit longè alia, quam reliquorum. DEUS enim Limum de Terra sumpsit, non quidem pondere adæquatum Homini, instar Statuarii, quia etiam ex unica costa integrum Corpus muliebri plasmavit, ut in utroque manifestaret

staret *Mysterium* hujus *Anomalæ Creationis*, non esse per modum aliorum creatorum: sed *substantiale*, quoad *Formam*. Inde manifestant *Animam Hominis*, non tantum esse *ex legem*, unicamque inter ceteras *Formas Substantiam*: sed etiam, quod ex *Imparitate* limi vel *costæ* ad *integram Personam*, cernere-  
mus *Animam nostram*, esse *Substantiam formalem*, non *quantam*, sed *spiritualem*, & quæ per modum verè *substantis Entis*, quandoque *abstracta*, æternum deinceps, ex *Dono Creationis*, permaneret. Quod nulli reliquarum *Formarum* obtigit, quæ *universæ*, peractâ suâ *Periodo*, *extinguntur*, ut *quotidie* experimur in *Brutis*, *Plantis*, *Inanimatis*. Ergo sola *Anima Humana*, & *Angelus* sunt *Substantiæ formales*, & *veræ Formæ substantiales*. Est itaque *omnis Forma creata à Patre Luminum* in *propriam Speciem*, estque *Lumen quoddam sui Corporis*. Præter *supra dictam Formarum Divisionem*, adhuc *Formæ inter se sunt distinctæ*, non tantum *Luminis Gradu*; sed *tota Specie*. Ideoque *tot sunt Luminum Species in Natura*, quot *Rerum*. Qvalis autem sit *Differentia inter Splendorem Seminum supra insinuatam*, §. 3. & *inter Formas*, vide apud *Helmont*, §. cit. 73. Num. 74. & seq.

§. 6.

*De Differentia Luminum.*

Non omnia *Lumina sunt calida ex Natura*, sed *dantur etiam Lumina frigida ex Natura*, consequenter & *Formæ*. Quæ hucusque sunt *dicta*, spectant ad *Luminis calidi & solaris Naturam*. Nam *Lumen lunare est totum alterius Naturæ* (& haud dubiè *plurium Astrorum*) nimirum *frigidum*, sicut *probari potest per Vitri Transmissionem*. Imò ipse *Splendor calidus Solis*, *reflexus in Lunæ Speculo*, actu *friget*. Unde & *Animæ*, seu *Formæ sensitivæ Piscium*, tanquam *Lumina Lunaria ex Natura sunt frigida*, *Calore destituta*. de hac *Materia* vide *plura apud Helmont*. §. cit. 73. num. 74.

Huic Lumini lunari adscribendum etiam videtur, quod Vespertilio, Glis, Mus, Bubo, & alia noctivaga Animalia sub densissimis Tenebris, eminus sua objecta distingvant, & celerimos Objectorum Motus notent, quos nostri Oculi vix sub Meridie observent. Et interim tamen nitore Oculi sui, medium non illuminant, ut per illud eminus cernant perfectè. Unde videtur unicè id fieri Virtute Luminis lunaris, sive Luna splendeat, ut in Plenilunio, sive non splendeat, ut in Novilunio. Quod autem nitor horum Animalium non illuminet medium; vide ibi Loco cit. Probationes Practicas.

Hinc etiam Noctambuli Homines, clausis palpebris, clarè vident, sub densissimis Tenebris, quo eunt, aut ascendunt, adeoque scandunt securi ad præcipitia, Loca periculosa alia, absque vertigine, eo quod hoc lunari Lumine mirabili fruantur, quod tamen sequenti Die Ignorantes non recordantur. Exempla similium Experientiarum sunt quotidiana.

Quantum Terræ Fructus, Aquæ, Morbi, moveantur & regantur Lumine lunari non est hic narrandi Locus; vide sæpius citatum §. 55, & seqv. ubi plura tractantur curiosa, & Probæ Mechanicæ.

Sicut ergo duo tantum dantur Luminum genera: ita & duos tantum Luminum Fontes, seu Regentes Mundi generales (in suo scilicet genere.) Creator condidit, Solare nimirum, ut præsit Diei, & Rebus ex Calore subsistentibus; Lunare alterum, ut præsit Nocti & Rebus sibi subordinatis, Piscibus, Mari, Aquis. Solis iterum Officium est, ut præsit Rectori Aëri, & omnibus, quæ in Aëre vivunt: Lunæ verò Aquis Matricibus. Unde etiam Animalia Solis calido Lumine fota, continuo Aëris suctu opus habent: ut è contra Pisces indefinenter Aquas suas Lunares trahere cogantur, ad sui Sustentationem, Luminisque sui, seu Vitæ Refocillationem. De hoc lunari Lumine, quod revera sit frigidum, vide Demonstrationes Mathematicas, Loco cit, hæc attigisse hic paucis sufficiat.

## §. 7.

*Concluditur hæc Sectio de Formis.*

Ex prædictis concludimus 1. Quod Ignis & Lumen calidum non differant, nisi per Accidens, i. e. Connexione tantum & Gradu. 2. Quod Radii Luminæ se mutuo penetrent, penetrando se tamen servant impermixtam Essentiam & Proprietates. 3. Quod Lumen sit primario in Loco: Ergo & Ignis est in Loco. 4. Quod Lumen & Ignis penetrent medium. 5. Quod Corpus opacum cum à Lumine nequeat penetrari, afficiatur primum à Lumine in superficie sua, hæc deinde calefacit subsequentes Partes, usque ad Superficiem oppositam. 6. Quod Calor intendatur per Gradus in objecto, & in singulo Gradu habeat singulares Operationes. 7. Quod quidquid Ignis afficit, sit ratione Loci, quem occupat locatum, adeoque per Accidens. Nam primaria Ignis Intentio est illuminando calefacere. 8. Quod tandem Victor Ignis superet Difficultates, ab opaco Corpore sibi objectas & interjectas. 9. Quod Ignis cum immediatè agat in Locum, cremet indifferenter omnia, sinè respectu Corporum interjectorum, tanquam Impedimenta removens. 10. Quod Corpus opacum, fixum, ac resistens Accensioni tandem illuminetur ab Igne. 11. Quod Ignis seu Lumen connexum, reperiens combustibile, maneat in Gradu Connexitatis concentratus, nec separarentur Radii luminæ, eò quod continuò propaget novum Ignem, qui pergit consumendo, vetus autem Ignis indefinenter etiam perit, quamdiu perseverat Accensio: sub cuius Finem totum Lumen perit, cum non habeat Lucem, unde illuminetur. Hæc omnia, cum ignoraverit Aristoteles cum suis Scholis, cæcutiens sub Aspectu Luminis & Ignis, mirum non est, si in tot Absurditates seducti fuerint hi omnes. Nimirum 1. quod Vitas, seu Formas, & Luminæ collocarint inter Substantias, cum inter Accidens & Substantiam

tiam medium Ens neutrum non agnoscerent. 2. Quod docuerint Materiam quamlibet esse Substantiam substantem & perennem, Formas verò esse Substantias privativas, annihilabiles tamen instar Accidentium. 3. Materiam mutare suum esse substantiale, à Forma non substante, sed annihilabili; Quomodo sic Forma dare potest esse substantiale, perenne, quod ipsa met non habet. 4. Quod Formæ cedere debeant Materiæ in substando & subsistendo: quas Absurditates facilè notassent, si non cæcè in omnibus credidissent Aristotelis Scholæ. Igitur sola Mens Humana inter Formas est Substantia: omnes aliæ Formæ sunt de Classe Vitæ, extra Accidens & Substantiam. Impossibile etiam est unquam Materiam fieri Accidens: quia Materia non est annihilabilis. Similiter impossibile est Accidens mutari in Substantiam. Accidens assumit Gradus, non autem Substantia. Ideoque unum Accidens utrimque graduatum, non potest Gradualitatem deponere, ut fiat Substantia.

Unde etsi Lumen reputetur Accidens ab Aristotelicis, nunquam tamen faciet de se Ignem, nisi Ignis desinat esse Substantia. Quia impossibile est, ut Accidens faciat Substantiam, Nec ex se, nec ex alia Substantia id Accidens efficere potest. Hæc omnia sunt certissima, & tamen ignorari videntur.

Finiamus ergo repetendo, quod Formæ Rerum, nec producantur à Sole vel Astris, nec educantur de Materiæ Potentia, aliisque Accidentibus, nec ex alia Substantia ulla creata, sed à DEO condantur, quod sint ex Natura Lumina, nec Substantiæ, nec Accidentia, sed Creaturæ neutræ, peculiare, annihilabiles tamen; sola verò Hominis Forma, Mens Humana, est Substantia æterna à Creatione.

## CAPUT V.

## DE ELEMENTIS IN SPECIE.

**C**ommuniter assignantur quatuor Elementa, nimirum Ignis, Aqua, Aër & Terra; sed nulla assignatur Ratio efficax id convincens, nisi sola Aristotelis Authoritas. Quæcum non sit æterna Veritas, imò, ut supra vidimus, in plerisque erronea, ideò singula hæc in specie hic examinabimus, an revera sic se habeant?

## SECTIO I.

*De Igne Elementari.*

**C**onclusio. *Non datur Ignis Elementaris.* Ita præter Helmontium, docet Morandus Theat. in Curios. Phys. lib. 2. de Genesi Tr. 1. de Elem. ubi plures citantur ejusdem Sententiæ D. D. probat itaque Morandus variis Rationibus.

1. Elementum Ignis non habet in Universo suam propriam Sphæram: Ergo non datur. Prob. Antecedens, quia cum Ignis Natura sit levissimus, alium Locum & Sphæram habere non posset, quam supra Aërem; sed ibi non adest, (sicut ipsemet Aristoteles pluribus Locis ibi citatis docet, sibi ipsemet contrarius) quod etiam Aresius ibi cit. efficacissimis Rationibus probat. Idem docet Tassonus ibi cit. Item Scheinerus, Borrus, Kircherus, Cabeus, Arriaga, Suarez, Lusitanus, Schottus, omnes celeberrimi & alii multi, citati à Schotto in Scholiis Itineris extatici Kircheriani, Itin. I. Dial. I. Cap. 2. Schol. 8. ubi ait: Nostro tamen Seculo labefactata fuit Opinio illa, (de Igne sub concavo Lunæ hospitante) ut exulare cogatur à Lycæo. Et paulò post ait: & dico, inter Aërem Vaporibus pervium, & Lunæ concavum, nullum esse verum ac realem Ignem, sed solum putatum, qui aliud nihil est, quam defæcatus Aër (quem alii ætherem vocant, alii vero propter Consuetudinem, aut ex defectu alterius

alterius Vocabuli, Ignem) nec distinguitur substantialiter à Cœlo sidereo, aut à nostro impuro Aëre. Deinde dicit: Probo secundo ad Hominem Argumento: Corpus illud infra Lunæ concavum, quod Adversarii Ignem appellant, non lucet, neque urit, nec pabulo indiget, ut ipsimet fatentur. Ergo caret Proprietatibus Ignis. Ergo Ignis non est, qui naturaliter sine Proprietatibus subsistere nequit. Plura Argumenta & Refutationes Contrariorum vide loc. cit. apud Caspar. Schottum. Hucusque probatum est antecedens, i. e. quod nullus Ignis datur supra Aërem, nec alibi. Jam probatur Consequentia Argumenti, i. e. Ergo non datur Elementum Ignis. Quia Elementa sunt Partes essentielles Mundi. Ergo debent habere proprium Locum, ut patet in cæteris Elementis, quæ Loco proprio destinantur. Confirmatur & declaratur Argumentum. Etiam si esset talis Ignis Elementaris supra Aërem, nulli tamen Usus foret: Ergo irrationabiliter, imo absurde asseritur. Asseritur enim tantum Numerus quaternarius Elementorum, ut congregari possint illa quatuor Elementa, ad Compositionem Corporum, quæ mixta vulgo creduntur. Sed hanc Mixtionem & Concertationem Rerum naturalium esse mere fabulosam, infra ex professo demonstrabimus. Imo data hac Mixtione quadruplici, non posset descendere Ignis Elementaris ex illa sua sublunari Sphæra, à tot mille Leucis, ut se conjungeret consociis Elementis, Terræ, Aquæ & Aëris, in Compositionem Mixtorum omnium, idque tam raptim statimque ad placitum singulorum Seminum. Nec Ignis proprium est descendere, ut nec Proprietas Aquæ est, vocare ad se deorsum Ignem pro Mixtione in futurum facienda. Hæ enim Mixtiones sunt mera Somnia Ethnicorum. Et si prope Lunam esset verè Ignis Elementaris, ut esset verus Ignis, deberet habere easdem plane Proprietates, quas habet noster Ignis Culinarius, (sicut bene docet Schottus supra) vel certè Ignis noster Culinarius non esset

Culinarius non esset verus Ignis, nec hujus Proprietates essent essentialiter communes Igni Elementario. Cœlestis enim Ignis Elementarius deberet actu consumere, & habere Alimentum, non quidem exterius tantum circa se, sed & intra se penitus permixtum. Nam una Pars Ignis æque nutriri deberet ac altera. Imò, nisi hoc contingeret, Ignis, Aëris Alimento tanquam vicinus, dudum jam vorasset & consumpsisset istud sui Alimentum, & interea Ignis ille Cœlo propinquior, sine Alimento ejusmodi, diu jam periisset. Imo ridiculum est, ut alibi ostendimus, Aërem esse Alimentum Ignis, cum Ignis tantum Aëre indigeat, ut in illum exhalet suas Fuligines, quæ alias Ignem suffocarent. Et dato etiam, non concessio, Aërem esse Ignis Alimentum, jam dudum defuisset Aër omnis, nec Ignis posset Excrementum facere, nec aliquid purius, simplicius, prius aut subtilius. Imò, si ex Aëre Ignem faceret, nec esset deinceps Elementum Igni vicinum, quod ex Igne demum producat aliud: necessario jam dudum non esset amplius Aër, sed quidquid esset nunc Aëreæ Formæ, tantum Ignis esset: vel si Ignis Elementaris non deberet nutriri, licet habeat Qualitates maximè voraces, deberent saltem Scholæ ostendisse, cur Ignis minus alatur, aut vicinum sibi Hospitem, in se convertat, quam reliqua Elementa id agere supponunt? Item, cur Ignis Culinæ, hanc Alimonix pro sui Sustentatione vel Intercidentix Necessitatem habeat adjunctam, cum verus sit Ignis; ista vero Necessitate orbetur ipsum primarium Elementum Ignis? Non enim considerarunt, quod Ignis verus stet in manu Artificis, & in ejus lubitu, atque ad suos Usus ducatur, remittatur, & intendatur. Suscitatur enim Artifex pro suo nutu Ignem è Rebus, in quibus est virtualiter, neque etiam ex omnibus, in quibus est promiscuè: Alias esset Homo Creator Ignis, qui ejus est tantum Excitator. Sed de hoc Argumento jam sæ-

Q

pius

pius egimus supra, & agetur etiam infra. Plura hic vide apud Helmont. §. 23.

2. *Probat* Morandus Conclusionem: *Quia* Ignis non est Corpus simplex: Ergo non est Alimentum. *Probat* consequens: Nam omnia Elementa sunt Corpora simplicia, alioquin non essent prima Elementa. *Prob. Antecedens*: *Quia* Ignis non potest esse, nisi in Materia informata alia Forma, v. g. in Ligno, Ferro, quæ deficiente, etiam deficit Ignis. Ergo non est Corpus simplex, per se subsistens. *Confirmatur*. Nam consumptâ Formâ mixti, perit Ignis. Atqui per Aristotelem mixtum resolvitur in Corpora simplicia. Ergo si pereunte mixto, perit & Ignis ad Defectum mixti, nec mixtum resolvitur in Ignem remanentem, Ignis non potest esse Corpus simplex. Plura de hoc Argumento vide ibi in Morando.

3. *Probat*; Elementum debet esse aptum, ut deserviat Rerum mixtioni; sed talis non est Ignis Natura. Ergo non est Alimentum. Majorem hic supponimus. Minor probatur ex variis Aristotelis Locis, ubi datur intelligi expressissime: neque formaliter neque virtualiter Ignem concurrere ad Rerum mixtionem. Si enim concurreret, saltem per Qualitatem concurreret, sed id negat ipse ibi Aristoteles. Min, hæc *Prob. 2.* sic: Elementum debet esse tale, ut in Mixtione permaneat in suo esse, saltem donec oriatur Forma mixti: sed Ignis statim ac miscetur cum Aqua vel Terra, perit, ut Experientia patet. Ergo. Pro Confirmatione hujus Argumenti vide plura ibi.

4. *Prob.* Elementa, ut possint concurrere ad Generationem Rerum, possunt, imo debent, esse sine Qualitatibus in summo. Sed Ignis non potest esse sine Gradu & Qualitate summa. Ergo. Minor patet Experientia. Nam si Calor remittatur, non dicitur amplius Ignis.

5. *Prob.* Omnia, ad quæ concurrat Calor, salvare possumus per Calorem Solis, & defacto multa generantur ex Calore Solis

lis, ut in Visceribus Terræ mineralia. Ergo frustra ponitur Ignis Elementum. Legatur Tassonus, qui multas Rationes pro hac Doctrina congerit, dignas, quæ videantur; Nobis hic ista sufficiant,

## SECTIO II.

### De Aqua.

**D**E hac Materia constat abunde ex dictis; hic tantum pauca addemus. Confundunt plerique Elementum Aquæ cum Aëre, quasi Aër nihil aliud sit, quam subtilior Aquæ portio. Contra has Phantasias agemus paulò post de Aëre, quam sint erroneæ. Morandus contra easdem statuit hanc Conclusionem loco cit: *Aër est Elementum distinctum ab Aqua. Prob. 1.* Si Aër esset Aqua, reduceret se ad pristinum statum, ut accidit in Vaporibus & Exhalationibus aqueis, ex quibus formatur Pluvia: sed Experientia in Aëre est contraria. Ergo sunt essentialiter diversa. 2. Aër requirit Proprietates diversas ab Aqua. Ergo differunt essentialiter. *Antecedens* patebit infra de Aëre *Consequ. Prob.* quia Qualitates Elementorum adsciscuntur à propriis Formis. Ergo sicut Qualitates sunt diversæ; ita & Formæ debent esse diversæ. Sed plura de his alibi.

Cæterum hujus Elementi Naturam, Virtutes, Proprietates, Miracula ferè stupenda, denique totius Globi terraquei Descriptionem curiosissimam lege apud Kircherum fusissimè in Itinere Extatico 2. Cap. 1. 2. 3. & seq. & apud Helmont. §. 12. 13. 14. 15. &c. Hic obiter notare sufficiat, quod Aqua, post primam sui Creationem, hucusque inter vividum Terræ Fundum, continuò sorbeatur & trahatur. Unde communem nata Vitam Locorum situs nescit, ad Cacumina Montium sua natura sic ascendit facilè sine molestia (una cum Terra virginea) seu Qvellem Belgicè i. e. Sabulo, Arena elementari, ut indefinenter inde Fontes aperiat; Illinc in Mare, & hoc rursus in Terræ

Fundum, indeque iterum continuo cursu & recur su fluit: & hæc Lex servatur Ordine continuo. Hæc Veritas pro se habet Scripturam ipsam Divinam, & Sap. I. ubi testatur: Quod omnia Flumina in & versus Mare properent; & tamen ideo Mare non regurgitet. Si quidem Flumina redeunt ad Locum, unde sunt egressa, ut iterum fluant. Igitur sunt mera Somnia, quæ Aristoteles fingit de Exhalationibus Aëris in Aquam condensatis, ac si hæc essent Fontium & Fluminum Causæ & Origines. Quod hæc Fabulæ sint impossibiles & frivola, vide apud Helmont. Probationes Mechanicas plures.

Idem Author, putat ibidem, Globum Terraqueum esse quidem rotundum, ab Ortum in Occasum; sed ab Aquilone seu Septentrione in Austrum, esse teretis Figuræ. Probationes vide ibi diversas. Nos transimus hinc ad reliqua Elementa.

### SECTIO III.

#### *De Terra.*

**Q**uid de ea sentiamus in hac Materia, an & quomodo Terra sit Elementum, jam supra declaravimus. Hinc paucis reliqua expediemus. Nimirum, quod Terra sit actualiter certis soleis seu Fundis distincta. Externus enim Terræ Fundus conspicuo arenosus est, alibi fimosus, gascus, albus, flavus, niger, rubens, variis denique ludens diversitatibus. Subter hunc Fundum plerumque est Sabulum, & hoc ipsum magna ubique Varietate discriminatum. Subter hunc tandem Fundum, Mons siliceus (Belgicè *Reyberg*) rupium stratum & origo, ac Mineralium sola Radix. Tandem ubique subter hunc Fundum est Arena vivens, Sabulum bulliens (Belgicè *Qvellem*, s. *Droff*) quod in centrum usque Mundi, sui continuitate, Aquis per lutum extenditur. Et licet non ubique omnes isti ex Ordine Fundi sibi invicem succedant; tamen ubique est *Qvellem* stratum Mundi postremum, licet non raro immediatè Aëri expositum,

positum, & conspicuum videatur. Deinde quomodo ad Polum Arcticum seu Septentrionalem, sit quædam Vorago, quæ Mare vicinum cum omnibus Aquis, summa vi rapiat & absorbeat, per magnum Canalem, per totam Terræ diametrum extensum, easdem Aqvas ducat, rursusque versus Polum Antarcticum in Terra Australi evomat, qui Canalis sit instar venæ cavæ in Homine, aliquot mille venis abundans, super vultum Quædam desinens: à quo imbibitæ Aqva festinant pergere ad destinata Munia. Absorptum ergo ibi Mare in dicta Voragine, paulatim per Canales lapideos minores, hincque per alias minores Fistulas ducitur, per magnam Terrarum Partem, Fontes, Flumina, Maria protrudit: Quomodo item in eadem Terra sint varii Ignes Culinæ & Officinæ, ubi Mineralia propagantur, excoquuntur, maurantur: Item, quomodo in Terræ superficie fiant Generationes mille Plantarum, Animalium, Volucrum, & similia curiosa, vide ex professo fuisse apud Kircherum in Itin. Extat. 2. de Globo Terræ, ubi invenies jucunda, stupenda. Terra itaque sic descripta, in nullam mixtionem Rerum naturalium ingreditur. Vide apud Helmont. Demonstrationes Mechanicas Chymicæ.

Terra autem originalis Elementi Virginei, est ipsum constans Corpus Sabuli: reliqua autem omnigena Terra, est Terræ Virginis Fructus, de Sobole minerali. Unde constat, totam, de Bello Elementari, Scholarum Doctrinam, esse anilem Fabulam. Quia Terra nunquam assumitur, vel sponte materialiter accurrit, in Corporum Constitutionem extra se. Ergo nulla pulverosa Commixtio ad Generationem tendit: sed tantum est appositio, mox spontè ac iterum citò fatiscens. Omnis proinde Terra, lutum, & omne Corpus tangibile, verè & materialiter est solius Aqva progenies, & in Aqvam iterum reducitur per Naturam & Artem. Quæ omnia Chymica Ars ad Oculum demonstrat. Si ergo nec Ignis, nec Terra ingreditur Rerum Constitutionem

stitutionem seu Compositionem : Ergo fictitia est illa Com-  
mixtio ex quatuor Elementis. Declarationem Uberiorem vide  
apud Helmont.

### SECTIO IV.

#### *De Aëre, & Elementorum Qualitatibus veris.*

**A**ristoteles, ejusque pedisequæ Scholæ fabulantur, quod Aër  
sit Elementum summè (i. e. ad 8. Gradus) humidum, & me-  
diocriter (i. e. ad quatuor) calidum ; & hoc quidem tantum in  
duabus extremis Partibus, i. e. versus Cœlos ex una, & versus  
Terram, ex altera, respicientibus; in medio vero per Antiperi-  
stasim volunt Aërem esse frigidum, Similiter somniant de Ele-  
mento Aquæ, quod ea sit summe i. e. ad 8. frigida, humida  
vero mediocriter i. e. ad quatuor. Adeoque fingunt Aërem du-  
plo esse humidior, quam Aquam, ex eo, quod Aër ex sui com-  
pressione & congressu Aquam generet. Sic Aristoteles; sed re-  
vera, si rectè inspiciamus, sunt meræ nugæ,

Nam I. quantum ad Aëris Humiditatem somniatam, si  
Aër condensatus est Aqua, jam non erunt quatuor, sed duo  
tantum Elementa, i. e. Aqua & Aër tanquam essentialiter  
idem, & Terra. II. Sic Aër erit duplo humidior, quam Aqua,  
in quo tamen Absurdo, ipsi Sensus errorem crassum osten-  
dunt. III. Si Aqua humectet ob densitatem: Ergo Terra ad-  
huc plus humectabit, quia densior est, quam Aqua: sed utrum-  
que horum est absurdum. Nam sola Humiditas humectat, &  
non Densitas. Plures demonstrativas Probationes vide apud  
Helmont. §. de Aëre.

Expendamus nunc Aëris Caliditatem. Fundant eam Scho-  
læ in eo, quia volunt Aërem esse vicinum Igneo Elemento ex  
una Parte, seu supra, ex altera verò infima, esse calidum pro-  
pter Radios Solis, ex Terra ad vicinum Aërem reflexos; in  
medio

medio verò esse mirabiliter frigidum per Antiperistalim, i. e. ideo, quia utrinque circumstant Partes Aëris calidæ. Nugæ.

Nam ex his sequeretur I. Ergo Calor non est utrinque Aëri proprius, sed per Accidens & emendicatus à Vicinis. II. Negato Igne vicino, corrumpit etiam illa Aëris supremi Caliditas. In Hyeme verò, concidit illa solaris Reflexio calida à Terra in Aërem reverberans. Unde tunc in Hyeme erit Aëri infimo sua Caliditas? III. Si Aër non per accidens, sed per se calet in extremis, unde contra hanc calidam Naturam suam, in medio sui frigebit? an quia utrinque Vicinus calet? sed in tali Casu non Indignationem, sed potius Gaudium sibi Aër proponeret, ex Naturæ vicinæ Conformitate. Cur enim Aër nativam exuat Proprietatem, eo quod utrinque tepentem Aërem sibi conformem attingat? Ergo sic etiam Aqua tepida, affusa alteri tepidæ Aquæ, frigesceret, eò quod utrinque Teporem reperiat? vel frigida ponatur inter duas frigidas, statim calefceret in sui medio? Nugæ Nugarum. IV. Sic in Hyeme, Aër medius calere deberet propter vicinam Frigiditatem à Terra provenientem? Igitur Antiperistasis Aristotelis est merum Figmentum & Deliramentum. Adeoque ficta sunt ferè omnia, quæ hætenus sunt tradita de Elementorum Qualitatibus, & inde deductis Pugnibus, Contrarietatibus, Complexionibus, Morbis, Sanationibus.

Dicimus ergo, quod Aqua, Aër, Terra, ex prima sui Creatione sint frigida, quia sine Lumine, Calore & Vitæ Participatione, ut patet ex Genesi, Calor igitur est ipsis peregrinus, Radici Elementalī externus totus. Præterea Aër & Terra, per se sunt sicca, sola Aqua est humida. Hæ sunt Elementorum solæ Qualitates naturales, ab ipsis Sensibus nobis demonstratæ: Aër verò, quia Vacuitates habet, ut paulò post de ejus Vacuo demonstrabitur, in illis Vapores plerumque combibit, & detinet, qui tamen ipsi sunt per accidens & peregrini. Hic est  
verus

verus Elementorum Status, Ordo & Complexio, quæ ad medicam Professionem tantum ex obliquo, attingunt.

Igitur si Elementa non ingrediuntur mixta, Composita, vana est Aristotelis & Scholarum Doctrina, de Elementorum Numero, Compositione, Temperamentis, inæquali Concursu, Contrarietate, Proportione, Lucta, Gradu. Gradus enim ejusmodi simplicium Seminibus alligantur, non Elementis. Vanæ sunt Nugæ, an Formæ Elementorum maneant, in mixto, quippe quæ non insunt. Nam Elementum nunquam desinit, à quo semel cæpit esse, exceptâ Aquâ, dum scilicet Seminibus desponsata abit in Corpus, quod mixtum hæctenus est creditum. Vana quoque Methodus, quæ per contraria, hinc petita, instituitur. Imo ipsæmet Scholæ, postquam longum latumque de his Complexionibus garriverunt, tandem deficiunt, & fictis quatuor Humoribus contentæ, vix amplius quicquam de Elementorum pugna decernunt. De his inæptiis vide abunde apud Helmont. plura. Quod etiam falsum sit Aristotelis Fundamentum; ex Aëre condensato fieri Fontes, Aquas, demonstrat ibidem Author per Artem Pyrotechtonicam, mechanicè Chymicam, nunquam Aërem in Aquam, aut Aquam in Aërem resolvi posse: quem errorem, plerique tanquam Veritatem ipsam æternam supponunt, & credunt, Vide ibi.

## SECTIO V.

### *De Vacuo in Aëre necessario.*

**C**ertum est per Probationes Mechanicas manuales, Aërem posse dilatari & comprimi. In Canna enim ferrea unius Unæ potest Aër comprimi ad 15. circiter Digitos, cujus compressi Aëris expansione, contingit, quod Spicula vel Jaculum per Asserem trajiciatur, non minus, quam si ex Sclopeto propelleretur. Adeoque Aër facillimè sustinet sui compressionem,

nem, & Dilatationem, prout Visus ipsemet indicat; si ita est, sicut certissimum est, necessario sequitur, in Aëre sic dilatato, juxta geminam sibi inditam Extensionem, dari aliquod Spatium liberum, & omni Corpore vacuum. V.g. si ex Spatio 28. Digitorum, Aër recludatur subter Cannam 5. digitorum, consequitur illud Spatium fere 23. digitos ac dimidium, esse expers Corporum, adeoque vacuum.

In hac Proba Mechanica, infallibili, quotidiana, alterutrum est necessarium, ut vel absolutè in Natura Aëris, ordinariè detur Vacuum; vel certè Corporum plurium Penetratio in Aëre compresso. Tolerabilibus autem videtur esse, ut admittatur Vacuum, quam Corporum diversorum Existentia in eodem Loco. Ratio est, quia Vacuum non longe distat à nihilo, estque Actio nihili imbecillior, quam Actio Entis duplicati. Cumque Natura ex nihilo inceperit, nihilo est propinquior, quam duplo. Adeoque contra duplum plus pugnat Natura. Si quidem integros Montes, Fodinas & Urbes evertit Pulvis Pyrius, ne detur Penetratio Corporum, vel ne duo Corpora sint in eodem Loco. Nusquam autem æquipollens Paradigma pro Vacuo offeretur. Præterea dari Vacuum in Natura ordinarium in Aëre demonstrat Helmont. §. 7. per Probas oculares, experimentales diversas, quas vide ibidem Num. 7. 8. & seq.

Deinde, nisi Aër Porositates vacuas in se haberet, Corpora naturalia nequaquam admitterent sui Dilatationem, aut Exhalationes, aut Gas alienum. Nam per sui Commutationem in Gas (i. e. Spiritus non coagulabiles, ut supra demonstratum est,) exigent mille majores Capacitates, & sic citò deficeret Locus exspirandis suis Flatibus (considera Exemplum in Vino, Cerevisia, recentibus &c.) Aër ergo creatus est, ut sit Receptaculum ejusmodi Exhalatum; qua propter etiam necessarium est, ut Aër idem Vacuum in poris habeat. Recipit tamen Aër illas

Exhalationes per Taxam, Mensuram & justam sui Proportionem. Ubi vero Vacuitates suas ad Mensuram habet oppletas, aufugit Aër, suaque fuga Flammam omnem, v. g. Ignis, in Pyramidem cogit. Quod si Aër à fuga detentus vel impeditus, nimia fuligine (aut aliis Evaporationibus.) oneretur, sese coarctat, & extingvit Ignem, qui se supra meritum fuligine implet. Unde errant Scholæ, putantes, Ignem vivere & ali Aëre, vide ibi in loc. cit. n. 16. majorem Declarationem. Pori ergo Aëris fuligine repleti, avolant, locumque cedunt Aëri alteri adveniēti, ut suam etiam de illo Gas, seu exhalatibus succinam suscipiat. Quæ Aëris fuga Ventum suscitatur, uti & requirit. Aëris ergo Vacuitates replentur moderatè: sin supra onerentur, mox Spatium Aëris se coarctat, angustiōri loco claudit, consumptis Porositatibus vacuis, ut Ignem exhalantem suffocando, ab incepto avertat. Hoc enim est omnibus Creaturis ingenitum per Philautiam. Nec enim secus Aqua se Glacie incrustat, quam nè à frigore Aëris in Gas (i. e. in Spiritus, halitus non coagulabiles) abripiatur: ut infra patebit de Meteoris. Sunt igitur in Aëre Vacuitates necessariæ, ut pro Capacitate hospitentur Aporrhææ omnes evaporabiles, ob quarum Finem Aër compressionem & dilatationem sustinere videtur. Alias enim sublato Aëris vacuo, minimus motus in Natura factus, totum ferè Universum, sui continuitate moveret, suffocatiqve Homines propinqui, mox conciderent, obortis exhalatibus; non secus ac in cuniculis Fodinarum persæpe fit, ubi suffocantur Metallarii, non defectu, aut excessu nimii Aëris, abundantis, nec etiam semper ob Venenum suffocans: sed ideò potissimum, quia Aër in cuniculis, repletus per Gas, seu exhalatus, Mineralium, non remouetur. Idem quotidie videmus in Cellariis, recenti Vino aut Cerevisia fermentante, ut sic dicamus (i. e. wann das Bier oder der Wein gieret / brodmet / illi enim Spiritus exhalantes dicuntur Gas.) repletis, ubi sæpè Homines suffocantur, Lumina extingvuntur.

tinguntur, ob Pororum & Vacuitatum Aëris nimiam repletionem.

Atque ideò, illud ipsum, quod Aristotelici statuunt pro impossibili in Natura, videtur nobis summè necessarium Beneficium Naturæ esse. Quomodo autem illa Aëris Dilatio supra indigitata fiat, & quomodo accadat Compressio ejusdem, an vero alia potius Corpora in Aëre dilatentur per Poros ejus vacuos, redacta in atomos minimas, vide ibid. apud Helmont. loc. cit. Et nos infra de Meteoris plura forsan attingemus. Hæc pro Vacuo Naturæ probando hic sufficient.

## CAPUT VI.

### DE METEORIS AËRIS IN GENERE.

**I**n primis notandum, quod Aqua vi Caloris, vaporetenus elevetur in Aërem, qui Vapor nihilominus nihil est aliud, quam Aqua extenuata, & permanet semper Aqua, ut ante, ideoque talis Vapor per Alembicum percussus, redit in Aquæ pristinum Pondus. Hi Vapores prædicti subtiliantur in Aëre, adhuc magis in Gas aliquid, seu Spiritum quendam, per frigus, & alterantur per Blas Stellarum, (seu per Vim & motum quendam Stellarum mox explicandum) in diversas Formas, Roris, Pluviæ, Nubium, Grandinis, Glaciei, Nivis. Hæ sunt Causæ materiales efficientes omnium Meteororum.

Ut ista magis intelligantur, oportet ea clarius explicare: Gas & Blas, sunt nova Nomina, ignota Antiquis, & tamen inter Entia Physica necessarium Locum obtinent. Gas, ut supra jam attigimus, est Spiritus non coagulabilis, qualis evenit v.g. ex fermentante Vino, Cerevisia, itemque ruber ille qui Chrysulca operante operatur. Blas est vis motûs Stellarum, tam alterativi quam localis, quod infra magis declarabimus.

*Archeus* etiam Paracelsi, cujus sæpè fit mentio, est Aura vitalis, *Seminum* & *Vitæ Directrix*. His prænotatis declaranda est amplius *Doctrina Paradoxa*. 1. Quo pacto, ex *Aqva Gas* fiat, & quam sit diversus modus ab illo, quo *Calor Aqvam* in *Vaporem* elevat: Itemque, quomodo hæc contingant, quæ omnia ex *Aqvæ Anatomia* sunt desumenda.

### SECTIO I.

#### *De Causa materiali Meteororum.*

**I**gitur in Principio creavit DEUS, ter Opt. Max. Cœlum & Terram, & abyssum Aqvarum. Abyssus autem incepit à concavo Cœli, & terminabatur ad globulum Terræ. De Creatione Aëris, nihil legitur, qui Aër tamen est Corpus, & in Elementum creatus; non quidem post sex Dierum Creationem, sed ante, ut repleret Locum, ubi nunc est Aër. Itaque Cœlum in Principio creatum, significat Aërem, estque Cœlorum Materia, alias hactenus incognita. Deinde creavit DEUS Firmamentum, ut separaret Aqvas, quæ sub se manere debeant, ab iis, quæ supra se mansuræ erant.

Firmamentum autem non erat Cataracta, aut tanquam otiosum Interstitium Aqvarum: sed potius operativum illius Separationis Principium. Prout Sol, non est Interstitium inter Diem & Noctem, sed Sol est Factor ipsius Diei. Cœlum ergo, sive Aër, est constitutus Separator Aqvarum, duraturus in hoc Officio, quamdiu ipsemet Mundus. In hunc Finem duas habet insignes Potestates, excelsum nempe Frigus, & ei proportionatam Siccitatem. Habet quidem idem Aër in se ingenua Lumina, quæ in eo volvuntur, ut hodiè fert ferè certa Astro-  
nomorum Sententia, quæque ingenitum Frigus utcunque mitigent: non tamen Aër deficit ab eo munere Separatoris Aqvarum. Et quâ Parte ejusmodi Separatio contingere debebat, (i. e. quæ nobis est vicina) nulla prorsus sunt Lumina, imo nec  
etiam

etiam multum eminus. Quo propius autem Aër ille Beatorum Cœnacula attingit, pluribus scatet Luminibus. Sic se habet Aëris Dispositio. Quod pro generali Fundamento Meteororum, ante omnia, est attendendum, i. e. quod Aëris ipsius Officium sit esse Separatorem Aqvarum, ut mox magis videbimus. Nunc Halitus Historiam aggrediamur, qui Vapores simul & Gas continet, quæ sunt Meteororum Causa materialis, adeoque contenta Aëris nunc sunt examinanda aliquot §§.

## §. 1.

*De Halitibus ex Aqvis in Aërem ascendentibus.*

Gas non est siccum & oleosum Corpus, quod Exhalationem Veteres cum Aristotele dixerunt: sed complectitur præter Vapores insuper & aliud aqueum Corpus. Unde, ut Meteororum Corpora, modus & progressus, melius cognoscantur à nobis, consideremus, Corpus Aqueæ continere in se elementalem & genialem Mercurium, liquidum & simplicissimum: Salem denique inspidum, æque simplicem. Quæ ambo inter se amplectuntur uniforme, homogeneum, simplex & inseparabile Sulphur. Hæc supponimus pro Intelligentia, prout Astronomi suos Circulos, Excentricos, Epicyclos, Zodiacos, ut nostræ imbecillitati intelligendi consulatur.

Sal igitur Aqueæ, ut à minimo Tepore movetur & incalescit, Caloris impatiens, illico in altum, tanquam in Quietis & refrigerii Locum, ascendit, cum proportionata sui Mercurii parte. Atque eatenus & Sulphur, ab ambobus inseparabile, comitari illuc debet.

Tria hæc connexa sic, sunt Vapor, qui in Aërem deductus tepidum, propter easdem Rationes, festinat ascendere, donec refrigerii loca, à Creatore parata, attigerit. Quo jam perductus Vapor, statim infesto sibi Calore deposito, Sal fugæ suæ velut pœnitens, optaret rursus in suo Mercurio Reso-

lutionem accipere, ac in pristinum *Aqvæ* statum redire. Sed obstat excelsum infestumque Frigus. Cujus Occasione, Mercurius *Aqvæ*, sic congelatur, ut ad resolutionem sui *Salis* sit inhabilis. Quapropter statim Vapor ille in Gas, seu Spiritum mutatur, & Gas, seu Spiritus Specie, suspensus, vagatur. Adeo ut nisi frigus exsiccaret Sulphur *Aqvæ* in cortice, & hætenus divideret inter se, quam primum Vapor omnis (prout fit in Vasis nostris vitreis Chymicis visibiliter) omnes Nubes, quatenus *Aëre* Gravior, deorsum rueret.

Hinc videmus, Vaporibus subinde extra metam delapsis (sicut mox à magnis Frigoribus, ubi Auster inopinus afflat) deglaciato *Aqvæ* Mercurio, Salem denuò facilè resolvi, intra suum Mercurium, Frigoris nempe & Caloris importunitates imperrant *Aqvæ* Principiis, ut intro, ve extra vertantur. Sic nempe Pluviæ minores, & Ros, minimis Atomis decidunt, quasi descendentes, & resoluti Vapores.

Non est itaque nova ac substantialis Generatio, dum ex *Aqvæ* Vapor elevatur, sed est tantum Extenuatio *Aqvæ*, propter Partium internarum Extraversionem; Sicut neque etiam dum Mercurius *Aqvæ*, resolvit Salem, quem intra se rursus claudit, & in Pluviam mutatur. Quæ Pluvia nihil aliud est, nisi priorum atomorum *Aqvæ* resolutio, & coadunatio in Guttas majores. Non enim intercedit Essentiæ mutatio, ubi sola est localis Divisio, seu Separatio, & partium Extraversio. Per Exemplum. Aurum flavum & malleabile, non mutat Essentiam, dum per *Aqvam* regiam solutum, colorem ferreæ rubiginis habet, neque dum in Chrysulca, i. e. *Aqvæ* forti, nigrescit, & in minimum Pulverem est resolutum, vel comminutum. Potest enim statim reduci in pristinam auri Formam, adeoque Essentia ejus non est mutata. Ita à pari fit in *Aqvæ* Mutatione, quando resolvitur in Vapores, Gas, Atomos, &c.

## §. 2.

*Explicatur modus, quo Meteora fiunt ex Aquæ  
Halitibus ascendentibus.*

Ut Gas, seu Spiritum commemoratum sapius, melius cognoscamus, in primis consideremus Aërem ex destinatione DEI, esse Separatorem Aquarum, denique in sui Radice simplicem, ita & simpliciter frigidum & siccum. Cum ergo Calor & Frigus sint activiora Humiditate & Siccitate: ideo Mercurii Humiditas, primum patitur ab Aëris Frigiditate: Cumque Mercurius, & Sal Aquæ, suo sint Sulphure frigidiora, ideò ab Aëris Frigiditate celerius afficiuntur, primo quidem Mercurius, quia duorum Sociorum frigidissimus. Atqui cum unum quodque optet manere, sine mutatione Vicissitudinum, in Quietè, & oporteat Elementa sine destructione manere, ideò Mercurius & Sal Aquæ, properant seipsum custodire ab Aëris Frigore. Sicque condensant, loricant, & Glacie se ipsos incrustant, ut magis resistent in Soliditate, qui alias in Gas (Spiritus) mutati attolluntur, (proprium enim semper est Aëri, Aquas ab Aquis separare) vel alias retardant Mutationem & Fugam. Quod si verò Aqua agitata non glaciatur, tum Frigus & Siccitas Aëris, tria prima Principia Aquæ apprehendunt, sic ut Mercurius Aquæ fiat incapax resolvendo Sali, in sua humiditate. Adeoque Sal sub Frigore quodammodo grumescit in Mercurio & Sulphure: ita quod Sulphur, cæteris duobus siccius, etiam facilius à Frigiditate, quam Socii, patitur, magisque à Siccitate Aëris, quam ejus Frigiditate. Propterea dilatatur Sulphur in minimas Partes, quarum singularum Mercurii, & Sales grumefacti, exponunt extrinsece suum Sulphur, ut ab Aëris Siccitate, toleretur. Unde cum Sulphur sit æquale, amborum alterutro, necesse est, duo reliqua dividi, & dilatari ad Mensuram Sulphuris. Ideoque facillimè etiam, Frigore Aëris, Mercurius cum Sale Aquæ glaciatur

ciantur intra Sulphur. Igitur cum Sal & Mercurius, humectando Sulphuri sint inidonei, necessario in Gas (Spiritus) mutantur pariter ac magis magisque subtilitata, subdividuntur in extremam & possibilem Elementi Subtilitatem usque. Gas ergo, non Substantiam aut Essentiam, sed Alteratione tenus, tantum variat. In Vapore enim, Sal Caloris impatiens, cum Mercurio affurgit, habentque sibi Sulphur inclusum. Et Gas, Sulphur Aquæ extravertit, exsiccatur, & subdividit. Vapor enim dum locum Refrigerii attingit, plerumque Nubis Specie oberrat semicongelatus, nec ascendit: sed adveniente Frigore Brumæ, cum jam illa Aëris Regio supra modum inalgescit, mox Aër fit serenus, Nubes disparent, & in Gas mutantur. Sic in Montibus Helvetiæ & Sabaudia, Nubes sub pedibus Homini fluctuant, per earum Foramina Mundum deorsum aspicere possumus, propter Frigus loci immane. Quidquid verò supra Nubes est, sine Nube est: quia totus ille halitus paulatim in Gas, (Spiritus) extenuatur, & videri desinit. Vide apud Helmont. plura, §. Gas Aquæ n. 14. 15.

## §. 3.

*Quid sit, & quomodo fiat Aëris Serenitas?*

Dum ergo Halitus & Nubes vaporosæ Gas fiunt, subtiliantur, & quo subtiliores, eo quoque altius subdividendo scandunt, magisque Visum fugiunt. Alias enim Sol, ob Nubium Multitudinem & Densitatem, nunquam nobis luceret, multoque minus Terram calefaceret: Ideo nictant Stellæ, totumque Cælum Coloris expers, splendidum: Lazureum tamen Colorem refert. Nam licet Gas subtilissimum, invisibile sit in suo Corpore: quia verò ab Aëris adhuc omnimoda Perspicuitate distat, ideo in tanta sui Profunditate, cæruleum Colorem mentitur. Gas enim, quod prima sui Divisione, umbram dat aliquam, in mille sui Subdivisionibus non apparet, nisi quod in multa  
Profun-

Profunditate, saltem Colorem præfatum referat. Plura vide, si lubet, loc. cit. Igitur ex dictis, Halitus ex Aqvis elevati in Aëre, nimirum Vapores, & Gas, sunt Causa materialis, omnis Meteori, Nubium, Pluviarum, Roris, Pruinæ; nunc alteram Concausam consideremus paucis.

## SECTIO II.

### *De Causa Efficiente Meteororum.*

Cum Stellæ, & omnia Sidera à DEO sint destinata, ut nobis sint in Signa, Tempora, Dies, Annos; igitur patrant nobis Temporum omnes Mutationes, Tempestates & Vicissitudines. In hunc Finem opus habent duplici Motu, locali & alterativo. Utrumque Motum, novo Nomine, Blas vocamus. Unde Stellæ potius Motu per Locum, quam suo Lumine, Blas (Vim suam) excitant. Obscura enim Nocte sæpe flantem Boream, Auster sequitur, & Austrum vicissim Boreas. Blas ergo, quod tepidum spirat Ventum, non ipsius Cœli calore, aut Lumine, sed Loco, Directione & Connexione opus habet. Quo cum Stellarum Lumen pervenerit, Valvæ Aëris se pandunt, aut claudunt. Igitur harum Valvarum Claviger est Motus Astrorum, qui simul Peroleos, seu strata Aëris, movet. Non igitur omnis Calor, ex præexistente Igne vel Lumine fit, nec Frigus dicit Caloris nudam Absentiam: sed Blas motivum Stellarum, est Virtus pulsiva, ratione Itineris per loca, & Aspectus. Quæ Circumstantiæ in Stellis, Qualitates primas in hæc inferiora imprimendo causant: non secus, ac in Hominibus, Verecundia Ira, Timor, Passiones Animorum &c. Frigus & Calorem in humano Corpore, concitant. Idque Stellæ ex Dono Creationis habent. Sed ut hæc paulò clarius intelligamus, per aliquot Paragraphos ea magis explicabimus.

## §. 1.

*Quomodo Meteora in Aëre perficiantur & deorsum ad Terram remittantur?*

Falsum est antiquum Assertum, quod Aër moveatur raptu primi Mobilis, quia fictitium est illud primum Mobile, & Cœlorum Soliditas mota, ut alibi insinuavimus. Nubes verò Ventorum ductum sequuntur. Ventorum autem Motus sunt irregulares, idè, quia sunt Blas Stellarum, non autem Motus Orbium cœlestium olim creditorum. Imo etiam longè supra Nubes Aër penè immotus est. Vide apud Helmont. hujus rei Exemplum Historicum §. Gas Aquæ num. 20. Stellarum igitur radii, plenis Viribus, vastam Aëris Monarchiam transmeant, & in illa suas Alterationes seminant. Neque enim, etsi proprios Effectus non producant, nisi in Termino Scopi sui, in quem diriguntur ad Usus mortalium, non desinunt tamen, per Metas, quæ transeunt, Aërem alterando imbuere suis Impressionibus. Magisque adhuc, quod hac in Parte sint Cœlorum, Cataractæ, i. e. in immenso tranquillæ Aëris Spatio, est Gas Aquæ, quod exquisitissima Subdivisionis Subtillatione, ut jam vidimus, multoties per Frigus Aëris recusum, & subdivisum est, per Frigora, quæ transivit. Hoc Gas nunquam spontè in Aquam pristinam deorsum rediret, nec descenderet iterum ad Loca frigidissima, per quæ sursum scandendo evasit, nisi Blas Stellarum superum, ipsum ad descensum cogeret. Nam cum Gas illud altissimum in Aëre, jam ad tantam sui Subtilitatem sit reductum, & singulæ ejus Atomi velut Fervoribus jam affatæ sint in exteriori Sulphuris superficie, nequeunt certè in Pluviam redire, nisi Vento aliquo svavi descendant ad mediam Regionem, ubi coagulandi Initia, sub tepido Auræ afflatu, reassumant. Igitur opposita quædam Alteratio illi, à quo Gas abiit, debet idem Gas in Aquam reducere. Tepor scilicet svavis in Aëre tranquillo,

tranquillo, Atomos hujus Gas decidere facit, suo Sulphure contactas, quæ velut pelle discerpta, aut Vitri instar à tepido in frigus repente delatæ franguntur, & sic Mercurius Aquæ, Salem suum resolvit, ad cujus Resolutionem ipsum Sulphur liqvatur in pristinam Aquam. Estque ejusmodi Corporis Aquæ inversio & per Frigoris Examen, Tortura ista, necessaria, ut omnis fermenti prioris Vis, è Nubibus tollatur. Alias enim multa Corruptio, multusque Nebularum Fœtor, mortales mox deleret. Ut in liqvato Argento, minutulæ Atomi Auri, ad fundum labuntur: sic sidunt Atomi Gas, labendoque increfcunt, quæ alias præ Frigore Aëris, infimæ rursus attolluntur, nisi propitius tepor, Loco frigidissimo subinde obstaret. Sic, nimirum Pluviæ, Imbres, Nimbi, sic Grando, Nix, Nebula & Pruina, pro Alteratione per Accidens, à Blas tam motivo, quam alterativo Stellarum, Locis frigidissimis sunt oborta sæpe. Adeoque Gas & Blas sic explicata, totam Rempublicam Meteororum in Colonias suas diviserunt

## §. 2.

*De Fundis, Poris, Valvis, Peroledis Aëris.*

Habet etiam Aër suos, non minus, quam Terra, Fundos, quos perfecti Chymici Peroledos vocant. Invisibile itaque Gas explicatum, in suis variis Aëris stratis hospitatur. Et, ut Aquæ sunt sua Baratha, suæ Voragines; sic & Portæ sunt in Peroledis prædictis, quas Periti Cataractas Cœli & Valvas, dixerunt. Neque enim Gas, ex Profunditate Cœli decidens in Locum Nubium, sinè Directore Blas Astrorum fertur. Imò non nisi per stratas, ac ordinatas Valvas Aëris decidit. Planetis nempe non omnes Valvæ promiscuè patent, sed singuli per suum Blas sunt clavigeri sui destinati Peroledi. Quod Astrologis bene attendendum. Sic enim Venti aliquando perpendiculariter deorsum properant, Terramque feriunt; aliquando verò lateraliter Valvas suas egrediuntur, Ædes & Arborea diruunt, Na-

ves evertunt. Tepidior autem Aura, Ventum ex profundo Aëris venturum, ac Gas illic custoditum, secum deorsum ducturum, Blas Cœli prænuntiat. Unde Gas mox in Vaporem rursus resolvitur, & deinde in Pluviam. Nubes scilicet tunc apparent, quæ nondum ante, ad nullum Mundi angulum, spectabantur. Ideo, quia ex profundo Aëris superni, deorsum mox delabitur invisibile Gas, quod statim in Vapores, atque inde guttatim concresecendo defertur. Ista enim est Destinatio Aëris, ut continuò Aqvas ab Aqvis separet. At aliquando una Pars Aqvæ, ad minimum in centuplum suæ Dimensionis extenditur, dum Halitus fit, tantoque subtilior, quo Gas ejus minutius subdividitur. Et sic Ordo iste, & Lex hæc Universi est, ut singula ad humanam Necessitatem & Mundi Conservationem ferantur. Ideoque sic gravia, i. e. Vapores, sursum tendunt, & levia, i. e. Gas & Blas, deorsum trahuntur. Hinc videtur, Blas Stellarum in Pluviam cieri, & in Serenitates aliasque Tempestates ferri: quoties Pluralitates illius Gas, in Peroledo Aëris tranquillo, propemodum Suffocationes, nimiasque in Aëre Compressiones minari apparet. Hæc ergo est Aqvæ irrequieta Destinatio, ut continuo sursum & deorsum pergendo, non secus ac Venti, inordinato & irregulari Motu respondeant suo Blas Stellarum: sicque eadem & non imminuta Aqva, quæ ab initio Universi extitit, manet adhuc, est, eritque in ejus Finem.

Cæterum considerare possumus Peroledos Aëris, tanquam Iagenas Stellarum, per quas suum Blas, trans determinata saltem Loca explicant, ad Usus & Alteritates Temporum requisitum. Maximeque, quod superior, ac ferè tranquillius Peroledus, Causam contineat, quare sint Venti, Fructus, Ros, provinciales. Nam cum Ventus sit fluens Aër, ut infra dicemus, adeoque Instabilitatem in se habeat, necesse est in Peroledo tranquilliori, Causam stabilitatis localem invenire. Valvæ ergo sunt in Peroledo, clausæ vel patentés, juxta Blas Stellarum, cui parent.

parent. Nec mirum, esse limites, seu Terminos invisibiles in Aëre, tantæ Potentiæ & molis cohibitivos. Nam invisibilis Mundus major est, visibili Mundo. Visibilis Mundus, seu Mundi visibilis Pars, vix alteram rerum, & minimam Potestatum Rempublicam continet. Unde Bruti sunt Homines, qui tantum ad Res in Mundo visibiles attendunt. Nam major Mundi Pars, invisibilia continet. Plura de his vide loc. cit. n. 31. & seq.

§. 3.

*Declaratur magis hæc Vis Stellarum.*

Aër ergo, nisi hoc Blas præfatum Stellarum habeat, manet quietus, nec Motus Principium in se habet, aut à seipso, sed aliunde advenit ipsi. Adeoque Blas Siderum motivum, concitat Ventos, Tempestates, Exundationes, per diversos Aëris Peroleos, nunc in altum, nunc deorsum, transversum, in longum, lateraliter in omnes Terræ oras transcurrendo. Etsi enim Elementa, non habeant Opus Motu, humana tamen Necessitas postulat eorum motum. Cumque nihil esset se ipsum movendo (excepto Seminibus dato Archeo) complacuit sibi Creator noster, collocare in Stellis enormentiam Vim, non valde ab similem mandato Oris nostri. Ita ut Blas Testimonio nobis sit, DEUM sua præpollenti bonitate, & Stellas pro nobis fecisse, horum fines, juxta nostras Commoditates, dimetiendo. Ideoque Blas juxta dicta, movet, non tam Lumine, Radiis ac Motu, ut Motu, sed quatenus ad Loca quædam Stellæ deveniunt, quibus hæc sua debent Officia. Unde Locis insunt Proprietates stabiles; sin verò non sint stabiles, id aliorum Astrorum respectu, secum analogo Motu delatorum, pro Durationis Alteritatibus, advenit. Blas ergo, etiam silente Vento, Æstum in Aquis, in Mari & similia ciet. Hæc de Blas motivo.

Blas autem Stellarum alterativum, in Productione Calo-

ris & Frigoris consistit; idque præcipuè cum Ventorum Mutationibus. Humiditatem verò & Siccitatem ex se Stellæ non habent, nec dant: Nec enim Humiditas citra Materiam, ut Qualitas nuda, est considerabilis in Natura, ideoque nec ex Stellis ad nos defertur. Omnis enim Humiditas ex Aqua fit, quæ fuit ante omnes natas Stellæ. Ergo ab illis Humiditas provenire non poterat. Siccitas quoque in Aëre, Aquarum Separatore, erat ante natas Stellæ (quia ante primum diem Aqua & Aër creata sunt, ut supra docuimus) nec etiam Siccitas extra Corpus, ut Qualitas, est considerabilis; adeoque hæc duæ Qualitates non causantur à Blas Stellarum alterativo. Calor autem & Frigus sunt Qualitates magis abstractæ à Corpore, quia reperiuntur etiam citra Corpus, ut in Lumine Solis, Lunæ. Duo ergo sunt tantum Luminaria magna, ac proinde duæ tantum horum duorum Luminum originalium Qualitates, in Aërem per Blas sparguntur, unde Meteora omnia moventur. *Calor* enim Vitæ est Proprietas Solaris: Frigus vero est alterius Astri i. e. Lunaris. Stellæ reliquæ sua his duobus Luminaribus Principibus Nomina dederunt. Quoties ergo Stellæ, quæ sunt de Natura Lunæ, feruntur per loca solaris (i. e. Peroledos solares) fit tepor in Aëre; sin vero solares Stellæ, subter ea loca solaris decurrunt, fit *Æstus*: Ad quas Aëris Qualitates, Gas Aëris diversimode quoque alteratur. Calet hinc scilicet pariformiter Blas per fundos Aëris. Ideo & Gas, vel in suis stratis detinetur, vel deorsum ad nos defertur. Idem est de Stellis, quæ sunt de Natura Lunæ, si ferantur per Loca Lunaria, fit Frigus in Aëre &c. Gas ibi contentum in Nivem &c. migrat, ut paulo post, in Specie de singulis Meteoris, ordinariis & extraordinariis, declarabimus. Qui plura de illis causis Meteororum in Genere, item quid sint illæ Aëris Porositates, Fundi, Peroledi, Vacuum Aëris &c. scire desiderat, legat ipsam *Helmont*, fuscæ & confuscæ de his tractantem. Nos ad Meteora in Specie & singularia trans-

## CAPUT VII.

## DE METEORIS IN SPECIE.

**M**ateria igitur Meteororum, sunt Aquæ Halitus, continuo in Aërem ascendentes, ibique per frigus in Spiritus, seu Gas subtilissimum attenuati, in fundis Aëris diversis hospitantes, qui deinde per Blas, seu Vim motivam & alterativam Stellarum variis Viis depelluntur per Aërem versus Terram, in Meteora diversa, Pluviam, Nives, Grandinem, Ventos &c.

## SECTIO I.

*De Pluvia, Nive, Grandine & ceteris ordinariis.*

**Q**uoties ergo, ut jam insinuavimus, Stellæ lunares feruntur per Loca solaria, fit Tepor in Aëre. Sin autem Stellæ solares subter eadem Loca solaria decurrunt, fit Æstus. Et ad has Aëris Qualitates, Gas, seu Spiritus illi Aquæ subtiliati, in Peroledis Aëris contenti, diversimode alterantur. Calet hinc scilicet pariformiter Blas per fundos Aëris. Ideo etiam Gas, vel detinetur in suis stratis, vel deorsum ad nos defertur: Sic, ut Atomi illius Gas, ob nimiam Exiguitatem invisibiles, amittentes sui Constrictionem, ac Frigoris excessum, in minimas rursus guttulas concidant, & deorsum properent: Ubi contingit Pluvia. Quod si vero Tepor Peroledos inferiores afficit, cum deorsum oberret Gas, proritatum per Blas, Nimbi fiunt æstivales. Gas nimirum, sive Spiritus per Gelu concretus, oborto statim tepore, liqatur, ac præceps deorsum ruit. Mercurius enim Aquæ suum Sal resolvit, & Sulphur hæc duo, i. e. Mercurium & Salem obvolvitur, sicque in Pluviam decidunt. Si vero istud accidat superiori Peroledo, Guttæ inde decedentes, in mediis Aëris stratis argentibus, glaciuntur, sicque in Nivem vel Grandines præcipitantur.

tantur. Sin autem Tepor per aliquot continuos Aëris Perole-  
dos, dominatur: diuturnæ Pluviæ continuantur.

Hinc etiam patet, quod inæqvale Blas Stellarum, in diver-  
sis Aëris Fundis, diversos Effectus pariat. Sæpe infimi Perole-  
di tepent, estqve Dies planè nubilus, & Nubes plurimæ. Alias  
vero, alter & tertius Peroledus tepent, argente infero. Unde  
Nives. Sicqve reliqua Meteororum cohors nobis causatur.

## SECTIO II.

### *Quomodo Glacies fiat?*

**H**ic serio notandum: quod Aqua se ipsam glaciæ, non au-  
tem glaciætur efficienter ab alio. Frigus enim, etsi con-  
gelare hæctenus putetur, id tantum est occasionaliter, non ef-  
fectivè. Aqua ergo aliquo sensu suo percipit Frigus Aëris,  
non quidem Caloris nudam aliquam Absentiam, aut Privatio-  
nem (id enim nequaquam in se est Frigus) sed ut Causam, in  
naturali Qualitate positivam. In primis enim indubium est,  
& Visu constat, quod Aër frigidus sensim consumat Aquam,  
Nivem & Glaciem: has duas tamen segnius: illam vero ocius.  
Obvium etiam, quod quidquid sic suffuratur Aër, id statim eo  
ipso in Gas vel Spiritus invisibiles transferat. Si ergo Frigus  
Aquam induraret in Glaciem, cessaret etiam continuo ulte-  
rior Aëris actio, facta jam Glacie. Sed Consequens est fal-  
sum: ergo & Antecedens.

Nam Sulphur Aquæ, à Frigore facilè arefcit & dividitur;  
ideo Mercurius & Sal Aquæ, sentientes gelu Aëris, volentis se-  
parare Aquas ab Aqvis, & quod deberent tolerare Extensionem  
& Exsiccationem sui Sulphuris, adeoque omnino violentam  
Impressionem Separatoris, desiderantqve manere, ut sunt:  
Hinc tota Aqua simul, se per crustam loricat, ut Separatori Aëri  
frigido, resistat. Quod quidem perficere non valet, quin & in  
Glacie

Glacie, jam aliqua Sulphuris Pars, Extenuationem sui sit passa: adeoque etiam hactenus Glacies Aqvæ supernatat. Quod autem Sulphur Aqvæ, in Glacie, licet sit extenuatum, non tamen Aqvæ Naturam deposuerit, vide Probationem Mechanicam ocularem apud Helmont. §. Gas Aqvæ n. 35.

Ita nempe est Elementorum Perennitas & Constantia, ut licet Aqva in Vaporem, in Gas, in Glaciem, imo in Corpora concreta abeat; materialiter tamen semper maneat eadem Aqva pristina, alibi Fermentis & Seminibus supervenientibus larvata, & alias, solis primarum Qualitatum Importunitatibus, absque Semine, variatis. Vide plura, si lubet, loc. cit.

### SECTIO III.

#### De Ventis.

**F**ingit Aristoteles cum Scholis, Ventum esse Exhalationem siccam (non autem Aërem) à Terris Virtute Caloris elevatam, quæ cum à Nube præpediatur sursum scandere, lateraliter velut furiosa discurret, tantæque molis robora efficit. Sed hæc sunt meræ Fabulæ. Quasi verò illa Exhalatio Levitatem suam pristinam amisisset, per primam Nubium repulsam, ideoque furens discurret lateraliter; quasi verò Nubium contextura esset continua, nec usquam scandenti Exhalationi, à tantilla Nube semel repulsæ, nullus amplius per Nubes daretur introitus sursum, nullusque transitus, ac si Nubes essent adamantinæ, duræ, marmoreæ. Videamus Exemplum. Quasi lagena Aëre impleta, & subter Aqvam depressa, ascendens autem reperiret Manum sibi obviam obstantem, proinde lateraliter per Aqvam furiosa discurreret, & perdidisset priorem nisum sursum deinceps; sic Exhalatio similiter ut oblita sursum scandere, tametsi non continuam Nubem reperiret, (non enim ubique & per totum Aërem sunt Nubes semper) optaret sic deinceps lateraliter potius ferri, quam sursum naturaliter.

T

Neque

Neque enim considerarunt Scholæ, cum suo Aristotele, Ventorum lateralem Motum debere esse sic refractum, adeoque etiam necessario debiliorem Motu suo sursum. Ideoque magis valet Ventus dirimere celsas Turres, quam debilem & merè vaporosam, ubique facilè penetrabilem, supra se Nubem, discutere aut pertransire. Nugæ Nugarum & absurda cuncta.

Unde Aristoteles etiam Salem Maris, scribit, Originem habere ab Exhalatione (Exhalationem Aristoteles ne in minimo quidem agnovit: nam Exhalatio est volatilis, Sal vero Maris frigus; neque enim potest Aqua Maris, alioquin dulcis, Volatilitatem Exhalationis magis fixare, quam ipsum Salem Armeniacum:) omnia quoque Meteora, & Ventos præcipuè, imo Terræ Motum & Cometas (quorum ille Cometa noster Anno Christi 1618. millesies erat Terrâ totâ major, unde ergo pro illo tanto Exhalationes à Terra minore?) itemque Lapides, Rupes, Saxa, dicavit solis suis Exhalationibus Terræ. Sed defuit hisce Somniis adæquatam Promptuarium, unde tantæ & tot Exhalationes prodirent, qui tot diversis immensis effectibus, (uti sunt Nubes, Venti ingentes, Cometæ, Terræ Motus per centena milliaria, Rupes Saxa, Mineralia) sufficerent. Totus enim Terræ Globus videtur his nimis exiguus & insufficiens, prout ex dicendis mox magis patebit. Dicimus ergo melius, quod Ventus sit *Ær* fluens, à Blas, seu Virtute Stellarum, motus, per suas Valvas, Fundos, Peroledos diversos, hinc inde per *Ærem* constitutos, quibus sæpè miscetur Gas, seu Spiritus attenuatus Aquæ & Vaporum, diversimode in iis inclusum.

#### SECTIO IV.

##### *De Iride.*

SOMNIAT Aristoteles cum suis pedisequis Scholis, Iridem constare ex duplici Nube, una nempe profundiore & spissiore, altera vero tenuiore illi desuper extensa, ut Speculi vice referat

referat Solem ex adverso. Ita Scholæ. Sed ipsa Sensus Experientia convincit hoc anile Commentum. Testatur enim Helmontius, se infimam Iridis partem Pedibus aliquando calcasse, & Manibus tetigisse, idque non solum in Montibus nebulosis, sed in aperto apricoque Campo, adeoque Manibus, Pedibus, Oculis, Testibus, cognovisse illius Aristotelici suppositi Falsitatem, cum ne simplex quidem nubecula esset in loco Iridis, imo nec ideo Colores Iridis turbabantur aut Confusionem patiebantur.

Deberent saltem Scholæ explicare sequentia: Cur ergo Iridis semper Arcus, aut semicirculi Figuram, nunquam verò Speculi Speciem referat? Cur si Iris sit Solis reflexi Imago, in medio sui non luceat, ut Sol; cum alias Parelius (i. e. bini aut terni Soles subinde apparentes seu reflectentes) sicut Sol fulgeat, indistincto rutiloque Lumine? cur Iris non potius sic appareat in Figura orbiculari, solari, quam arcuali? Cur istæ duæ Nubes semper pari Arcus Forma, & eadem Colorum Varietate complicentur? Cur Speculum, ex adverso Solis positum, non illos eosdem Colores repræsentet, sicut Iris, si duplex ista Nubes sit vice Speculi? Cur duplicata ista Nubes, saltem exterior & convexa Parte, latitudinem vagam Nubium non mutetur, si concava penetretur exuberante Luce Solis occidui? cur Sole subter Nubes occultato, & nusquam micante, nihilominus sæpè Iris appareat? Cur Sol in se uniformis, semper varios istos Colores, tanquam propè consitos, & non unicum tantum, juxta Luminis sui Simpliciter depingat? Cur subinde plures Irides in uno Campo appareant simul? Si quidem in tam vasto Aëris Circulo Horizontis, non cadit Reflexio in uno, atque altero Milliari: sed Nubes Soli opposita, non habet directè suam Reflexionem, nisi in oppositam Partem, sibi in Horizonte respondentem, non autem in vicinam suo lateri. Denique absurdum est, quod superior, rarior Nubes Coloris expers, & quam Lumen Solis facilè penetrat, in densiore altera, Colores

fingeret, quos nec Sol, nec ambæ illæ Nubes in se habent. Hæc Figmenta, inquit Helmont. demiratus sum, dum Iridem Manu contrectarem, & nullam prorsus Nubem circum viderem: Sic ille. Aliter igitur examinanda est Iridis Natura: Eam nos putamus esse Meteoron Anomalum & Mysterium, ex sua Origine Divinum. De Parelio (i. e. quando in Meridie duo vel tres Soles, apparent, æque lucidi) idem videtur sentiendum. Sed Tonitru non æque Mysterium, ac Portentum includit. Sed de his suo Loco infra. Nunc de Iride.

Hanc Iridem, per Sacram Scripturam edocti, Fide credimus, datam esse in Signum Fœderis inter DEUM & Homines, quod Mundus deinceps Aquis non amplius sit periturus. Ergo ante diluvium non dabatur Iris per ferè duo millia Annorum; alias per Diluvium Mundus non fuisset deletus, contra DEI Verba Iridi attributa. Unde sequitur ulterius, Iridem datam à DEO in merum Signum, adeoque ne hodie etiamnum ullam Rationem Causæ habere, relatione alicujus Effectus, nec ejusdem adhuc sciri Causam. Præterea, jam ante Diluvium aderant illæ Causæ in Natura, quas hodie Scholæ attribuent Iridi, & tamen tunc nondum dabatur Iris. Ergo hæ Causæ Aristotelicæ allegatæ sunt falsæ. Tandem ex dictis sequitur, quod nisi Iris & hodie in Signum sit illius fœderis, & propter suam primævam Constitutionem fiat, alias appareat frustra & irritò Scopo, quod non est dicendum.

Igitur & hodie Iris nobis, ictum olim Fædus, subinde commemorat, ut credamus & perpetuo simus memores DEUM Peccatorum vindicem, per Diluvium Mundum perdidisse & eundem Vindicem esse, & Judicem conscium Peccati nostri. Per Iridem ergo vult nos DEUS comminatarum Pœnarum perpetuò memores, qui hoc Signo Iridis denotat, se esse Naturæ Præsidem & Vindicem perpetuum. Ut autem Iris significaret illud Fædus, decebat eam præse ferre, non quidem insolitum

insolitum aliq̄vod in Aëre Spectrum, indifferens ad quodlibet aliud, sed in Iride Myſterium promiſſi fæderis ſubefſe, quod ſponſionem & promiſſam Fidem Signo panderet. Videntur hi tres Colores in Iridie & Splendores placidi, repræſentare trium Sulphurum, in Mineralibus concrematis, Species elucen- tes, adeoque hi Colores dant Teſtimonium, quod Terra Mine- raliſium Matrix, tandem extrema Sulphurum ſuorum Ul- tulationis Liq̄vefactione, Iram DEI luitura ſit. Iris ita non, am- plius Aquam, ſed Ignem videtur præſagire.

Naturaliter tamen diſcurendo de Iride, videntur ejus Co- lores ſingulari Privilegio immediatè eſſe in Loco Aëris, in Aë- re autem eſſe tantum, Loco mediante, adeoque illi Colores & Iridis Figura in modo exiſtendi, eſſe de Natura Luminis. Ex- plicationeſ horum Terminorum vide apud Helmont. §. 18. n. 10. 11. 12. 13. & alibi, & nos ſupra paucis attigimus. Quod au- tem Sol ſit Cauſa Iridis, id naturale putamus; ſed quod à Sole immediate in Loco, ille arcus taliter coloratus ſtatuatur, nul- latenus autem in Aëre (alias neceſſario cum moto Aëre move- retur) id Signi Vim habet myſterioſam. Unde Iris videtur eſſe Creatura neutra, nec Subſtantia, nec Accidens, ut Ignis, Lumen, Formæ Rerum naturales, de quibus ſupra de Formis diximus. Itaque Iris incepit ſupernaturaliter in Signum & Myſterium, cumque hodie in Aëre, ſine Materia Radicem habeat, per mo- dum tamen naturalium (nam & ſic Lumen Solis eſt in Loco Aëris, non ipſo Aëre, alias ſimul ejus radius moveretur, cum Aëre moto; & hinc etiam Sol unico ictu per Loca Aëris ſuum Splendorem, ad nos ejaculatur, non autem per ipſum Aërem, alias longo Tempore Opus haberet, donec à Parte una Aëris ad reliq̄vas omnes ſucceſſivas Aëris Partes uſque ad nos penetraret) cum inquam, ſimiliter Iris in Aëre, ſine Materia Radicem ha- beat, ſicut Splendor naturalis Solis, Formæ & Lumina, hinc ejus nihilominus, Cauſam efficientem, illiusque præſentiam ve-

neremur, & in Signum fœderis, adhuc Iridem commemorari darique hodie, ut olim teneamus, idque ex Rationibus Divinis & humanis jam allatis. *Dices*: Ergo quoties datur Iris, sit Miraculum? Respondetur, quid inde absurdi? Si Rem penitus intueamur, videbimus Divinam Bonitatem actualiter semper, ubique & intimè, immediatè Præsidentem operari omnia in omnibus. Et licet sit ordinarium in Natura Organum, quo moveamur: DEUS tamen est altera principalis, totalis & independens Causa Motus, & concurrat ejus Origo, miraculosa DEI Manus, in singulo Motu. Sic quoque in Iride concurrunt Sol & Locus, velut Causæ secundæ, est tamen altera Causa independens, totalis, miraculosa & immediata, quæ Iridem direxit, ad Gloriam suæ Bonitatis, & icti fœderis, non tantum cum Noë, sed cum Posteris ejus, usque in Finem Mundi. Adeoque eadem Origine & Fine, quibus Iris incepit, spondetur duratura, quamdiu erunt mortales, & cum sit Signum fœderis cum Filiis Hominum, non autem cum solis Filiis Noë, etiam pactum quoddam includit. Miraculum ergo in Iride est, quod Colores ejus non sint in aliquo Corpore, sed immediatè in Loco ipso, instar Luminis, idque immediatè à Manu DEI, sine concursu Causæ secundæ. Nec mirum est, ex conditione Pacti, intervenire Effectum supernaturalem. Nam multis Locis occurrunt Miracula perpetua e. g. ad statuas Beatissimæ Virginis DEIPARÆ, ad Reliquias Sanctorum. Nec Freqventia Miraculi, redigit factum tale in Numerum Naturæ. Imo quædam Miracula facta sunt hodie ordinaria, ut patet in Materia Sacramentorum, in Multiplicatione unius Grani Frumenti, in mille Granis, & similibus millenis.

### SECTIO V.

#### *De Tonitru & Fulgure.*

**A**ristoteles & Scholæ statuunt, Exhalationem intra Nubium Thecam accendi, elidere Fulgur, ejusque Nubis tot esse Ruptu-

Rupturas, quot Fragores & Tonitrua; sed omnia ineptissime dicunt. Nam Falsitatem evincit ipsa Sensuum Experientia contraria. Testatur enim Helmont. de se ipso §. 18. n. 18. Sic vidi in Montibus, plures Nubes vagantes, attactu frigidissimas, nullas tamen alicujus Firmitudinis, aut Roboris, ita ut discontinuatæ, edere possint tantum Fragorem, vel Fulmen tantæ Potentiæ, Motu deorsum, adeoque violento, & præter Naturam Ignis ascendentis, disjicere valeant. Vidi, inquit, circa me, Fulmina, & Tonitrua in illis Montibus etiam subter Pedes meos audivi. Attamen illas Nubium Firmitudines & Tonitru, nugas Aristotelicas, nec vel minimum deprehendi. Vidi, inquam, subter Pedes meos Fulgura & Tonitrua varie ludere, ubi primum nulla esset Nubes, Nubemque descendere, quasi voce Tonitru advocatam; si vera esset Aristotelis Opinio, Nubes deberent esse marmoreæ. Itaque, prosequitur Author dictus, Fulgur & Tonitru, cum Magnificentia Potestatis Divinæ, non autem cum Formidine sum intuitus, licet bis fuerim in Domo à Tonitru percussa. Magnificentias enim Domini, eo magis admirando laudavi, quo mihi essent viciniore ejus effectus. Igitur, ut Iris Signum est fæderis sempiterni, & nuncius Divinæ Bonitatis; ita Tonitru Potentiæ DEI Admirationem & Adorationem causatur. Nihil est enim in Rerum Catalogo, cujus hætenus præpotens Conditor habenas non regat immediatè. Inculcat nim: ubique Amorem & Timorem sui, adeoque Potestatis suæ vult Hominem ordinariò admonitum, juxta illud: *Vox Tonitru verberavit Terram*, Subitanum enim Blas (seu Vis Stellarum) & portentosum, in Aëre concitatur. Cælum subinde serenum, mox etiam citra Ventum, Nube atra repente conspurcatur: sæpius enim Cælo sereno (etiam in media Hyeme, ut hic Pragæ aliquoties ipsemet expertus sum) citra Nubeculam ullam tonat. Adeoque Tonitru Nubem non exigit; sin autem repenti Nubem concitet, fit ideò,  
 quia

quia Frigor Peroledos Aëris concutit, sicutque Gas intus detentum, deorsum in spissam Nubem, Fragore Aëris contractum. Unde ergo frigida Nubi tantus Ignis intrinsecus furens? Unde cum appareat, Tonitru non habere plane Causam naturalem in Nubibus Meteori, credendum omninò est, omnem Causam habere, non supra, sed præter Naturam: adeoque esse Effectum portentosum. Nam de Fide est, Dæmonem esse Principem hujus Mundi, ejusque Principatum inter fideles Christianos non elucescere, nisi solo Tentatoris Officio. Obtinuit ergo Mundi hujus Principatum, ut sit pro Judiciis summi Monarchæ, Executor aliquis, adeoque ut sit arbiter Tonitru, & Fulguris, sub stipulatis tamen Conditionibus. Nisi enim injectis repagulis, à Divina Bonitate, frenaretur ejus Potentia, Terram unico quateret ictu, & Homines perderet. Frigor enim, sive Vox Tonitru, est Blas spiritale Dæmonis, ingentis sæpe Roboris effectus. Non est autem Tonitru conjunctum Miraculum, sed Portentum Naturæ continet; adeoque licet Ignis Fulminis, sit naturalis; Modus tamen & medium, sunt Potentiæ Diabolicæ.

DEUS enim, ut Pater amantissimus, amari vult primariò; per se autem, immediatè, Formidines non lubens incutit, quia ex Timore, aut ex Formidine Poenæ & Supplicii amari, non est suæ Bonitatis. Igitur suæ Potentiæ Terrores, & indignantis Majestatis Formidines, non nisi per appropriatos Apparitores, spirituales Ministros suos, incutit, i. e. per Spiritum terribilem. Sic nobiscum sensit & censuit, tota semper Antiquitas, quæ Jovem, vel Jehovam, DEUM Tonitruum, aut Altisonantem vocavit semper. Tonitru ergo & Fulgur, etsi Causas concurrentes naturales habeant, illarum tamen Motor est Spiritus incorporeus.

*Confirmantur I.* hæc Asserta, ex stupendis & imperscrutabilibus Tonitru, Fulminis & Fulguris Effectibus, ubique notoriis,  
in

in quibus omnes Homines, etiam doctissimi, debent sese accusare Ignorantiæ Causarum ejus. Vide apud Helmont. plures Tonitru miras Historias, n. 20. §. cit. Ubi narratur, de Turri aliqua, per Tonitru ablata, nusquam amplius apparente, tandem post aliquod Tempus in herboſo Cœmiterii Gramine, fossa aperitur, qua Sutor aliquis sepeliri debebat, & ecce, sub Cespite immoto ac viridi, apparuit primum Turris amiffæ Gallus æneus supremus, cum Cruce ferrea, deinde Turris Pinnaculum, ac tandem tota Turris effoditur. Contigit in Tractu Leodiensi, Curingiæ, Anno 1554. Vidit idem Autor præſens unico Fragoris Tono, aliquot Myriades Quercuum & Corylorum combuſtas, primo Germine & Foliis, tota nempe Silva Loco ducta, prope Vilvordiam, non procul à Bruxellis Belgii, ubi interim frequens Betula, Fagus & Alanus, denſa Confuſione aliis commixtæ, à Tonitru illæſæ permanserunt. Alias vero unico ictu multa longe diſtantia, Fulmen ſimul ferit. Quis enim, mille Artificis, varias Technas ac Ludibria ſatis explicet? Sufficit plures concurrere Actiones ſpirituales, à Naturæ ordinario Concurſu alienas, in diſtans quoque atque in propinquum, potentes æqualiter.

Vox ergo illa terribilis Tonitru, Terram verberat, Bombyces necat, Cereviſiam concutit, illæſo vaſe, eamque aceſcere ſubito cogit, Carnes maſtati Bovis ſuſpenſas, flaccidas facit, Lac coagulat ſubito Aciditatis Fermento. Sal autem, vel extra ad Cadi vel Teſtæ Labrum, de foris appoſitus, avertit ejuſmodi Effectus. Debile certè hoc eſſet reſiſtens Agenti tam potenti, ſi in Natura reſiſtens Sal, deberet prævalere Agenti.

Unde ergo tanta Vis Sali? Haud dubiè, quod Dæmon Salem odit, ideoque in ſuis Sagarum Sabbathis, Sal perpetuo deficere dicitur. Sat enim gnarus eſt Dæmon, quod Sal exorcifetur, pro Aqua luſtrali, quod Baptizans etiam Sale utatur, quod Sal ex Lege DEI in Sacrificiis adhibeatur, adeoque quod Sal etiam

non benedictus, sua pessundet imperia. Si ergo ex Fructibus Arbor, ex Operibus etiam Author Tonitru sit cognoscendus, eoqve magis, quod tam debilia Remedia Salis tanto resistant Robori Fulminis.

*Confirmatur II.* Per Benedictiones Ecclesiæ Sententia nostra, præcipuè per Campanarum Benedictiones, ubi ex Decreto Ecclesiæ præscribuntur Formulæ & Preces, (etiam in Benedictionibus Palmarum, Candelarum, Fructuum) quibus omnibus Ecclesia confirmat Præsidentiam Dæmonis in Tonitru, & aliis subinde terribilibus Ventis, Tempestatibus, per Blas Dæmonis excitatis; Sic enim loquuntur Ecclesiæ Exorcismi: *Procul pellantur omnes Insidia Inimici, Fragor Grandinum, Procellæ Turbinum, Impetus Tempestatum, infesta Tonitrua, Ventorum Flamina: prosternat Aëreas Potestates dextera tuæ Virtutis, & hoc audientes Tintinnabulum, contremiscant & fugiant: Ante Sonitum ejus longius effugentur ignita Jacula Inimici, percussio Fulminum, Impetus Lapidum, læsio Tempestatum, &c.* Sic ferè sonant omnes Exorcismi, Benedictiones. Vide Pontificale, Rituale, Missale. Ergo Ecclesia, Sponsa Christi, nobiscum sentit. Alias si Tonitrua, Fulmina, Fulgura, & ejusmodi Effectus terribiles, essent pure naturalia, frustra contra ea præscriberet, institueretqve illos Exorcismos, frustra Tempore Tonitru pulsarentur Campanæ. Unde similia Portenta, maximè in Tonitru, non tantum ipsa Fulgetri, aut Lapidum Jaculatio, sed etiam Fragor Tonitru à Potestatibus Aëris, i. e. Dæmonibus ac Hostibus nostris, dependent, utpote, quod nulla Nubium, aut Aëris Laceratio, posset tales Fragores, horumqve stupendos Effectus edere naturaliter, nisi portentosa & hostiles Potestates sese immiscerent & colludent. Hanc nostram novam Philosophiam, rideant Athei & Ethnici, qui nullum Numen, nullum Spiritum abstractum sciunt, aut credunt, & non nisi visibilia cum Brutis quærun & admittunt.

mittunt. At saltem non possunt non admirari Effectus stupendos Tonitru quotidianos, & Ignorantiam earundem Causarum confiteri.

## SECTIO VI.

### *De Terræ Motu, melius Tremore Terræ.*

Scholæ communes dicunt, Terram tremere propter Aërem, Ventum, vel Exhalationem, subter & in Cavernis ac Poris Terræ congregatam, quæ foras Exitum quærens, ac sibi subinde faciens, Terram faciat subsilire. Et hinc non raro per Hiatus & Fissuras mox illa erumpens exitalibus Morbis Ortum dedit. Sed hæc Opinio plena est ponderosis Anxietatibus, & inevitabilibus Absurditatibus, adeò ut non parum anilis Fabulæ contineat. Examinemus Substantiam ejus.

1. Ab impossibili vel possibili eam trutinemus. Ex superioribus certum est, Locum, ubi talis Exhalatio Terræ, Tremorem faciens, lateret, debere statui in aliquo ex illis Terræ stratis, & fundis diversis, supra de Terra enumeratis C. 5. 53. Nam extra hæc, in Terra alius non potest, dari Locus. Atqui nec in extima lutea, nec in substrato Sabulo arenoso, nec in Monte siliceo, nec in Sabulo intimo bulliente, i. e. in Terra Virginea, assignari potest tam longum Spatium, v. g. sæpe per 100. & ultra Milliaria extensum (nam sæpè integræ Regiones, Provinciæ, eundem Tremorem patiuntur) in quo tam magno Spatio hospitari possit, vel de facto hospitetur, tam magnum Corpus aëreum, exitum foras quærens, Turres altissimas etiam, Naves in Mari, Aves in Cœlo simul concutiens. Nam si alibi lateret, erumperet potius primâ debiliore parte obviâ. v. g. per Terræ partem luteam, arenosam aut bullientem Virgineam, facillimè, nec ponderosiores, solidiores, duriores Terræ partes, lapideas, per tot Milliaria ubiqve moveret, percuteretque, nec Aërem, nec everteret Naves, in Mari liquidissimo,

nec altissimas Turres. Ita enim fert Natura Exhalationum, Proportio & Motuum Regula, ut similia aërea Corpora erumpant, primâ parte debiliore inventâ, relictis ponderosioribus ac solidioribus. Nec dantur per 100. Milliaria, æqualiter, simul tot æquales debiliores Partes elevandæ. Imo quo profundior quærat pro iis locus in Terra, eò majores difficultates assurgunt, tum propter Aquæ majorem abundantiam, (per quam, faciliè erumperent talia Corpora Aërea inclusa) tum ob graviores Terræ Sarcinam desuper, adeo ut velut infinita sit Potestatis, quod talem Tremorem Terræ faceret. Ergo impossibile (data etiam tam magna Exhalatione, motrice Terræ tremoris) Exhalationem tantam, sub Terra, Locum tantum, per tot miliaria extensum reperiri posse, simulque movere, æqualiter tot Terrarum tractus, tot inæqualia Pondera. Vide Helmont. §. 19. n. 5. 6. 7. 8.

2. Demus etiam per impossibile, tam vastum Locum continuum, per 100. Milliaria æqualiter sic extensum dispositum: Quis tandem erit Excitator, Fotor, Motor tantæ Exhalationis, vel Corporis illius immensi? Certè non Ignis aliquis. Nam quis hunc Ignem ibi accenderet? Quid foveret eundem per tot Annos, ne extingveretur vel suffocaretur? Prout alias, ex Natura omnia Lumina & Ignes suffocantur in cavernis, ut docet Experientia quotidiana. Deinde hic Ignis, si semel viâ factâ, erumperet, cur non simul totus exiret per Rupturam primam? Cur apertam semel Viam factam non retineret? Cur post primam Rupturam, secundo, tertio, quarto, iterum concuteret eundem Terræ tractum? Si vero Ignis non est Excitator tanti Corporis, sed forsân Lumen aliquod Solis, Lunæ, vel Stellarum, quis non videt hinc adhuc majores obstare difficultates? Nam quomodo horum Luminum Radii calidi, penetrarent in esse Luminis, per illas fortissimè obseratas Clausuras, Cavernas? si forsân Pulvis pyrius tormentarius per tot millia-

ria

ria centena & Tractus longissimos esset substratus, ut fit in cuniculis, sane is uno impetu erumperet, non bis, ter, quaterve hunc impetum repeteret, sicut docet quotidie militaris Experientia. Itaque assignari non potest Ignis, Calor, Siccitas Lumen, Pulvis &c. Excitator Exhalationis tantæ Potestatis, seu Correlativum ejus.

3. Demus etiam per impossibile, talem Excitatore[m] quemcunque naturalem, nulla tamen Exhalatio, aut Corpus aëreum, ex Natura suæ Levitatis, aliquid tale operari, aut Corpus tam grave, tam immensum, attollere potest, multò minus tam vastas Terræ Regiones, à centum & ultra Milliaribus. Deinde cur tale Corpus aëreum inclusum, non potius ubi resistenciam reperit Exitui, spargit in Cumulum vel Gibbum, vel insistit, donec Terra incumbens, hiet, Voraginem & Viam pandat? Cur potius talem Tremorem faciat? Cur non similiter Aër, vel Exhalationes tales, in aliquo Vase vitreo inclusæ, non elevarent illud vas in altum, & sursum versus Vitrum effringunt? cur idem Vitrum non tremere faciunt? Quod si id non faciunt in levi & fragili Vitro, Vesica, Vasculo? Cur in ponderosiori, solidiori, imo porosiori Terra, Montibus, Urbibus &c. id efficiant? Plurima alia Argumenta fortissima, & Demonstrationes Impossibilitatis, per oculares mechanicas Experientias, vide loc. cit, à num. 14. usque 28. Concludimus ergo vacuum esse Scholarum Figmentum, quidquid de Terræ Tremore edoctum fuit hactenus. Nam si jam deducta paucularitè considerentur, reperietur in Terræ Tremore Vis quædam infinitæ Potestatis, quæ Montes Turresve elevat, sine respectu Levitatis, aut Ponderis, quasi nihil potens sit resistere huic Virtuti motrici. Adeoque tenendum censemus, Terram tremere & pavere, quoties eam Angelus Domini ferit, in Prænuncium alicujus mali, vel pœnæ à DEO infligendæ subsequaturæ. Patet idem ex Evangelio Matthæi Cap. 18. Et ecce Terræ Motus

mis Sanitatem, in Puncto restituant, Montes transferant; imo quotidie Sacerdotes singuli Christum DEUM in Altari ponant, tractent, Peccatores per Administrationem Sacramenti Pœnitentiæ & Baptismi, à Morte ad Vitam revocent? quæ majora præstari possent à Creatura finita? Sed hæc de Anima satis,

*CAPUT XII.*

**DE ANIMA, SEU POTENTIA  
VEGETATIVA.**

**D**ividitur hæc communiter in triplicem Potentiam, scilicet in Nutritivam, Augmentativam & Generativam. De his tantum attingamus selectiora, quæ occurrunt, nec apud alios facillè inveniuntur; omissis interim vulgaribus illis Aristotelicorum Quæstionibus, præcipuè Metaphysicam magis, quam Physicam sapientibus: quæ apud communes Authores facilius videri possunt. Hic primum agemus de Nutritiva & Augmentativa simul, quas communiter inter se non distinguunt realiter. Pauca dein adjiciemus de Generativa.

Et quia Nutritio & Augmentatio fiunt potissimè per Digestiones, incipimus à Digestionibus, & earum præcipue Instrumento seu Medio, de quo Authores inter se variant; quodnam sit illud, per quod Digestiones Officium suum peragunt. Omnes tamen ferè, totum Naturæ Nutritionis, Digestionis &c. Fundamentum, putant versari in Caloris Cardine. Sed nos, licet jam supra rejecerimus in mixtis, Ignis Elementum, Mixtiones Qualitatum Elementalium, & Temperamenta; ac omnia in Semen ideale, Archeum, & Spirituum Vitalium Progeniem retulerimus, hic tamen nihilominus, quid tandem Calor agat in Digestionibus? Et quænam ejus Officia, ex professo examinabimus.

*SECTIO*

## SECTIO I.

*Calor non digerit Cibos efficienter, sed tantum  
excitativè.*

**D**Ecepit hæctenus plerosque Digestionis Metaphora, qua rustico Sensu Concoctionem fecerunt Synonymam cum Digestione. Unde sicut Elixationem sciebant esse Concoctionem; sic etiam Digestionem transtulerunt ad Bullitionem, & utrobique putarunt, Calorem esse Causam illarum Operationum naturalem, totalem & unicam. Videbant enim per Elixationem & Assationem plurima tenerescere, & alterari; & ideo hanc Metaphoram in ipsam Naturam realem transtulerunt: maxime dum sentirent Hominum & Quadrupedum Ventres calere. Hinc deinceps insudatum tantum est Calori augendo potius, quam Digestioni roborandæ. Hæsitant tamen dein, dum viderent Cibos, per Elixationem & Assationem, non profus in Succum totali Metamorphosi transmutari, prout tamen requiritur in Digestione; sed tantum teneriores & molliores reddi; ac Jusculum quidem exprimi, carnosas tamen Fibras remanere tenaces, duras, in sua priori Specie. Hinc etiam diversos Calorum Gradus, Genera, Species excogitarunt, nimirum: Calorem igneum, elementarem, digestivum, febrilem, tertianum, quartanum, radicalem, qui Elemento Stellarum correspondere debet, & similia finxerunt inepta Effugia. Interim verò sunt obliti, quod Contrariorum eadem debeat esse Conditio: unde debuissent è contra etiam comminisci, tot diversos Gradus, Genera, Species, Frigorum. Nimirum Frigus naturale, digestivum, elementare, radicale, primigenium, febrile, tertianum, quartanum, tot Caloribus contrarium in eodem modo, Gradu, Genere, Specie: quæ omnia sunt nugatoria. Et quomodo, obsecro, Calor in Canibus posset Ossa digerere; cum nec Ignis eadem in Chylum convertere possit? Igitur Elixatio  
Culi-

culinaris, & Digestio naturalis sunt inter se valde diversa. Quidquid enim in Stomachum ingeritur, peractâ Digestione, est transmutatum, longeque separatum ab Elixatione, cæterisque Cocturis culinariis, quocumque gradu Caloris paratis. Calor Animam per se, & primario, non nisi calefacit, & per Accidens tantum separat aqvea à pertinacibus: Digestio vero tota debet esse transmutativa. Et licet in nobis Digestio fiat concomitante Calore, illa tamen ipsa Digestio non est Calor, licet per Accidens sit Calori annexa. Ideo in Pisce nullus actu Calor est, nec tamen proinde infelicius digerit Animantibus calidis, nec ab ingestis malè se habet, sicut Homo. Ergo Digestio non consistit in Calore.

Deinde, si Digestio esset opus Caloris, sequeretur necessario majorem Calorem, continuo felicior & uberior Digestio. Quo enim quælibet Causa potentior est in Natura, eo Effectum suum proprium potentius etiam perficit. Consequenter, sic Stomachus Febricitantis potentius digereret, quam sani. Quod tamen falsum videmus. Nam in Febricitantis Stomacho nihil rectè digeritur. Statim enim Ova, Pisces, Carnes, & Juscula intus cadaverizantur, ideoque Ructus nidorosos efficiunt: & tamen in Febricitante est Calor, & quidem nimius; licet verò esset temperatus, dum scilicet non sentitur molestus, nec sitim excitat; nihilominus tamen cassâ est tunc Digestio. Hinc tales Ægri abhorrent Carnes, Pisces, Juscula & similia; eo quod absente Fermento digestivo, facilè similia in Ventriculo putreant, Nidorem contrahant, & velut cadaverizentur. Non aliter ac Caro cruda, Carpio, Pectori, plantis Pedum, vel Cervici, calidis superligata, tantum abest, quod resolvantur in Chylum, potius mox abinde paucis Horis putrent, & fætent, licet sint salsa. Idem est in Corpore impuro febricitante, ubi Calor quidem adest; deest autem Fermentum digestivum.

Si ergo Calor esset Causa Digestionis; in Febri autem deest,

Digestio, adsit Calor, & plus sit semper incumbendum Digestioni, quam Refrigerationi: præcipuè si Calor adsit non adedò infestus; sequeretur ex his omnibus, quod potius in Febri studendum esset Caloris Augmento (:propter Digestionem:) quam Refrigerio, Digestioni Adversario. Adeoque mutari deberet totus medendi Stylus, & Scopus: nec amplius adhibenda essent refrigerantia, nec conducerent acida, esurina, Sulphuris, Vitrioli, Salis nitri, Citri: sed acribus esset potius Calor excitandus & augendus pro Digestione & Nutritione meliori. Unde sicut stultum videtur dicere, quod Nix frigefaciat, quatenus alba est: sic æque ridiculum est asserere, Fermentum specificum Stomachi, digerere propter Calorem naturalem, ipsi inexistentem, & quidem per Calorem digerere Res durissimas, ut patet in Canibus. Imo Experientia testatur, Vitrum album & opacum, quod Gallina deglutiverat, fuisse repertum, circum quaque imminutum, sine Acuminibus, globosum in Stomacho Gallinæ. Vide Helmontium §. 29. n. 22. Quod Calor nullatenus præstare potuit: imo Vitrum resistit etiam Aquis fortibus, quæ alias etiam quævis Metalla resolvunt. Imo pluribus Avibus Fermentum adeo potens est, ut nisi subinde Lateribus, Creta, Argillaque vescantur, ex multitudine Aciditatis malè habeant. Contra verò Febricitantis Stomachus totus nidorosus, Cibos etiam ante triduum sumptos, non raro adhuc visu distinctos rejicit, vel aliquando in flavum, aut æruginosum Liqva-men versos, evomit, aberrante scilicet Fermenti Scopo. Et hoc Vulgus putat esse Bilem.

Refert etiam Helmontius de se, Experientiam in Passeribus factam: dum scil. adhuc Puer Passeres alerem, inquit, exserui Linguam aliquando, quam Passer morfu apprehendebat, & deglutire conabatur, & tunc sensi magnam Aciditatem in gutture Passeris; Unde, ait, conclusi mecum, cur Passeres sint tam edaces, & digerentes. Idem se expertum fuisse narrat loco citato, quod acidum Sulphuris Stagma, Hypothecam suam

suam imbuerit, & statim in Succum, Parte qua maduerat, resolverit; Prosequitur: Unde sui adhuc Puer & Tyro confirmatus, quod Cibi transmutentur ab Acido; adeoque, quod in Stomacho habitet Fermentum, quod omnia ingesta, licet dulcia, in acidum statim commutaret. Hinc etiam omnia sunt acida, quæ Appetitui desidi propinantur acuendo, restaurando. Qualia sunt Omphacium, Acetum, Succus Citri, Aurantii, Sinapi, etiam Sal, & Sal Petræ, quatenus Spiritum esurinum in se habet, & placidissimè acidum. Item Berberis, Cerasa, Citonia, arrident Ægris apepticis. Hujus ergo Fermenti tam necessaria est Contemplatio, ut Vitæ Gubernaculo præsit plurimum. Non est autem Fermentum istud digestivum, in sola Aciditate aliquali situm. Neque enim Acetum, vel Jus Citri Farinam fermentat imò nec Farina fermentata, proinde est Stomachi Fermentum: sed hoc Stomachicum est Acidum esurinum, specificum, & humanum, ita quidem per singulas Brutorum Species distinctum, ut cuilibet ipsorum sit appropriatum. Mures enim Glires, & Sues citius Fame pereunt, quam edant Phaseolum. In Homine vero plerumque hoc Fermentum ad Generis amplitudinem adspirat. Interim plures Caseum horrent, Vinum, Lac & alia spernunt: quia non conficiunt. Igitur quæcunque luctantur cum nostra Digestione, adversantur Fermenti illius nostri Proprietati specificæ, & Fermentum nostrum conculcare nituntur.

Fermentum ergo digestivum est Proprietas essentialis, consistens in quadam vitali Aciditate, ad Transmutationes potens: Ideoque est specificæ Proprietatis. Unde & Falco citius moritur, quam Panem comedat: quia contrarius est ejus specifico Fermento stomachico. Mures etiam sinè Potu, sola Farina, vescuntur, eamque in Succum, seu Chylum resolvunt, quod à Scopo Caloris longè est alienum, qui humidum potius expellit, & crassiora retinet exsiccando. Ergo Calor non est Author Digestionis, sed est alia quædam Facultas vitalis, quæ vere &

formaliter transmutat Alimenta. Et hanc vocamus nos Fermentum. Horum autem Fermentorum plura in nobis sunt, ut infra de Digestionibus videbimus. De hoc Puncto, quod contra Naturam Caloris sit, Cibos in Chylum, in Sangvinem, in Liqvozem alimentarium, in Laticem, in Urinam, Lac, & similia humida expellere, dissipare, exsiccare, crassiora tantum retinere, vide fusius deductum hoc cit. §. 29. n. 28.

Sed cum Fermentum subinde desit Stomacho, patet ex hoc, quod Fermentum ipsius non sit ipsi proprium; sed quod aliunde illuc affluat & inspiretur. Ideoque Lien incumbit Stomacho sic, ut Gallinæ Lienem circa Stomachum unitissimè congestum habeant, ideoque etiam potentius digerant. Ex quo manifestè sequitur, Fermentum Stomachi, à Liene inspirari. Unde summè deploranda videtur Cæcitas communis, quod Viscus illud nobile Lienis, in Cloacam pessimi Excrementi, Atræ Bilis condemnetur à Scholis; cujus tamen unius Subsidio, Fermentum stomachale nobilissimum suppeditante, vivimus, Vitamque & Regna aurea Saturnia possidemus.

## SECTIO II.

### *De Digestionibus.*

#### §. 1.

#### *Refertur prima Opinio Antiqua.*

**V**eteres cum Galeno ita sentiunt, plures Actiones concurrere in Nutritione. Nimirum dicunt 1. Cibus conteritur Dentibus; quæ Contritio, ab aliquibus dicitur prima Concoctio, sed perperam: quia est tantum Præparatio ad Concoctionem. Nam nisi conteratur, difficulter liqvat. 2. Transmissus ad Stomachum Cibus liqvat. 3. Concoquitur: in qua Concoctione pereunt Formæ Ciborum, & separantur partes magis defecatæ, conficiturque quidam Succus albus, qui dicitur Chylus, ac per Venas

Venas Mesenterii pervenit ad Hepar, Excrementis interim transmissis, per Intestina ad inferiora, In Hepate iterum fit alia Concoctio, in qua secernuntur Partes puriores, & fit Sanguis, relicta atra & flava Bile: quarum prima à Splene trahitur, secunda à Felle. Deinde ex Sanguine in Corde generantur Spiritus vitales, in Cerebro animales, secundum aliquos. Ultimo Sanguis per Venas capillares attractus ad omnes Partes nutriendas apponitur, & iterum particularibus Concoctionibus, secretis aliis Recrementis, ex quibus dein fiunt Pili, Ungues, Dentes &c. dum expelluntur Vi Expulsivæ. Postea tandem vertitur à Potentia ipsa Animæ nutritivæ, in Carnem, Medullas, Ossa, Nervos, & alias Partes nutriendas. Adeoque isti ponunt 4. vel 5. Digestiones: primam in Stomacho, pro Chylo: Secundam in Hepate, pro Sanguificatione: tertiam in Corde, pro Spiritibus fabricandis: Quartam in singulis Membris. Sic illi:

§. 2.

*Exponitur secunda Recentior Opinio.*

Recentiorum quidam aliter hanc Digestionum Oeconomiam tradunt, sic: Extra Controversiam primo est, Cibos & Potum, una pariterque dissolvi in Cremorem, plane diaphanum in cavo Stomachi; idque fieri Virtute Fermenti primi, manifestè acidi, à Liene mutuati. Hic Cremor omni prorsus Aciditate haustâ Fermenti spoliatur, simul ac labitur è Stomacho in Intestinum, quod dicitur duodenum: ibique acidus ille Cremor prior, statim Salis induit Saporem, suumque Salem acidum in Salem salsum libenter commutat, & hoc etiam per fermentalem aliam Intestini Dispositionem. Tot enim dantur diversa Fermenta, quot dantur diversa Corporis Partes. Quod autem Fermentum, primum istius Digestionis acidum, causam totalem Liqvationis duriorum Ciborum, Stomachus non habeat in se, vel à semetipso, sic probatur: quia Digestio, Appetitus

titus, & Oeconomia Stomachi, aliquando abeunt & redeunt, absque Extinctione: quia non sunt ipsius Stomachi, sed ex Lie-  
ne inspirantur, ut supra vidimus. Sunt enim Gustus & Odo-  
ris acidi, quæcunque confectis Cibis per Vomitum ejiciuntur,  
licet etiam multo Saccharo condita fuissent. Unde & Ructus  
acidi veniunt.

Hinc nempe Salsaturæ omnes, & Ciborum condimenta, ad  
acuendum Appetitum, sunt acida v. g. Suceus Citri, Aurantii,  
Granati, Omphacium, Tartarus, Acetum, Berberis, Pampini  
Vitis, Sinapi, itemque Sal Maris, quatenus Spiritum acidum in  
se continet. Quo respectu commendantur etiam Liqvores  
Sulphuris, Vitrioli, Salis nitri; non quidem, quod illorum Aci-  
dum absumatur in augmentum Fermenti specifici, & appro-  
priati, in Splene habitantis. Fermenta enim nihil habent præter,  
aut extra se, in Natura, quod dignè sibi possit assimilari: cum sint  
Dona specifica Naturæ vitalis. Ideo enim Fermentum, qua Par-  
te Fermentum est, vitale, ac liberam est Arcanum, nulli alteri  
Qualitati jugale. Sufficiunt ergo supra enarrata Acida, si con-  
diant & præparent Cibos, ad faciliorem Splenetici Fermenti  
ingressum. Adeoque Fermentum Stomachi vitale Acidita-  
tem sibi habet comitem singularem; ipsa autem Aciditas non  
est Fermentum ipsum; sed saltem ejus Organum: quia Digestio  
in se, est Opus ipsius Vitæ. Et si in Acido isto diverso Fermen-  
tum hoc consisteret, Acetum, Oleum Vitrioli, & similia, fer-  
mentarent Massam Panis, & nostros Cibos perfectâ transmu-  
tatione conficerent; quod tamen est falsum. Ergo Fer-  
menta sunt de Classe formalium, & seminalium vitalium, ad-  
eoque Animæ sensitivæ Opera. Hæc de prima Digestione.

Quod autem inde Chylus mox deferatur ad Hepar, pro  
Sangvificatione, ibique secernatur Bilis flava ad Splenem,  
& atra Bilis ad Fel, tanquam Excrementa proscripita, negamus  
absolutè. Falsitas patet, partim ex suprascriptis de Figmento fla-

væ & atræ Bilis, partim constabit ex dicendis. Nam Fellis Viscus non est Cloaca à DEO ordinata, ad recipienda Excrementa aliunde ejecta; sed est Viscus vitale, Membrum nobile, continens Balsamum Vitæ necessarissimum: quod Balsamum simul cum Jecore, subministrat Fermentum specificum, pro Sangvificatione in Jecore perficienda. Adeoq; Fel est Jecoris & Sangvinis Balsamum, & ante Sangvificationem inspirat Cremori suum Fermentum, existenti adhuc in Venis Mesenterii: quæ Venæ sunt Stomachus Jecoris, & Officina prævia; ipsum verè Jecur, est quasi Oeconomus per suum Fermentum sangvificativum. Hæc omnia vid. apud Helmont. ex professo §. 31. n. 18. & seq.

Et sicut Cibus ab Ore labitur in Stomachum, ibique Finem suæ primæ Digestionis expectat: sic etiam Hepar suæ Vitæ Spiraculo & Fermento, in sibi substratas Venas Mesenterii, inspirat Actum Sangvificationis. Nam ab Intestinis immediate rapitur Cremor ille in Venas illas, quæ sunt Viæ Stomachi Hepatis. Sed cum ille Cremor sit adhuc multus, totus est indistinctus, (:adhuc enim Urinam continet in se, :) ideo debuit prius suo Excremento exonerari, ut convenientius sangvificetur. Præcedit ergo Sangvificationem Productio & Separatio Excrementi prævia: adeoque Uterus lotii, ante Venas Meseraicas incipit. Igitur in Fellis Fermento mutatur, quidquid in Cremore fuit acidum, in Urinæ salem. Fellis autem Stomachus est duodenum, & sequens Arundo Intestini vicini, desinitque in Principiis Venarum Mesenterii, vide loc. cit. n. 25. plura. Itaque hæc est secunda Digestio, Fellis scilicet, distincta à prima Chyli, & à tertia Sangvificationis, distincta, inquam, est ab utraque Fermento, Utero, Viscere, Gustu, Effectu, & Fine.

In prima enim Stomachus est Receptaculum: Splen vero de se Fermentum inspirat acidum in Cibos, unde Cremor fit acidus. In secunda vero Digestione, gracilia Intestina sunt vice Stomachi: Fermentum autem ibi à Felle inspiratur ad  
Corruptio-

Corruptionem & Separationem aquæ Partis, mutaturque tunc Acidum volatile in Salsum volatile: & hæc omnia fiunt celeri attactu, quasi radialiter & vitaliter. Tertiæ deinde Digestionis Stomachus, ut dictum, sunt Venæ Mesenterii, quorsum Jecur, Fermentum cruentum inspirat, estque rubicundus & salsus Cruor, ejus Effectus. Vid. loc. cit. n. 30. 31. Unde Fel est magis necessarium Vitæ, quam Renes & Vesica. Videmus enim his duobus carere Aves, non tamen Fellis nobilioris Viscere. Adeoque statuimus Fel esse Viscus vitale, & ipsum Corpus ejus esse Liqvozem amarum ex optimo Cruore paratum: Balsamum Jecoris & Sangvinis continentem. Quicquid autem sui in Intestinum fortè duodenum rejicit, illud est sui Excrementum & Liqvamen, à Felle spretum; nequaquam autem est Bilis flava, aut atra fabulosa. Vid. loc. cit. n. 35. & seq. A Duodeno ergo mox incipit Chylus, suum Salem acidum volatilem commutare in Salsuginem parem, resolutam in Cremore; residua autem & corporaliior Cremoris Substantia, in Venis Mesenterii, à Fermento Jecoris inspirato, Sangvificationem expectat. Interim Latex salsus à Renibus attractus, committitur Renibus & Vesicæ ad expellendum. Unde dicimus, quod in Vasis Mesenterii, incipiat tertia Digestio, & terminetur in Jecore, Vid. l. c. n. 38. Consequenter, asserimus Sangvificationem, ipsam fieri, in Jecoris Stomacho præfato, qui est ipsum Vas Mesenterii. Alias enim Hepar nimis paucas & exiles Venas habet, pro tantæ molis Succo debitè perficiendo. Extra se, nempe in Venam cavam, ultima Cruoris Perfectio Sangvificationis, inspiratur à Fermento Jecorario. Et hæc quidem, Fel & Jecur, Munia sua perficiunt, non quidem corporali Contactu, Congressu aut sui Commixtione, nec amplectendo, aut recipiendo intra Gremium, sed solo inspiratu, i. e. Fel dimittit suum fermentale Blas in Intestina, & Jecur in Venas Mesenterii. Ex his omnibus deducitur, quod in Stomacho sit duplex Coqvus, unus à Liene

à Liene, & alter sibi proprius : qui uterque Coqvus diversas edit Digestiones. Porro acidum Fermentum in Stomacho dissolvit Cibos in Succum ; sed Fellis Fermentum acidum, Chylum saliendo, separat Chymum pro Cruore, & inde subtrahit Laticem, Urinam, Sudorem, Stercus, flavum, liquidum, & Partes crassioris Saburræ. Et ideo non est in Stomacho ipso formalis Transmutatio Ciborum. Probas hujus Assertionis vid. l. c. n. 49. Unde Cibi verè & essentialiter non commutantur, nisi dum in una Parte Cruor, in altera Stercus planè putridum, fiunt. Viscus etiam, Cruori faciendo deputatum, non potest vacare Stercoribus parandis flavis in Ileo & Colo, vid. l. c. n. 50. & seq. Tandem ergo Cremor à Pyloro in duodenum labens, mox intra Sphæram Activitatis, à Fellis Inspiratione correptus, Aciditatem sui in Salem commutat, & aqvosior ejus Pars à meraciore fit segregabilis, quæ à Renibus trahitur. Unde Urina est satis salsa, Cruor autem parum. Hæc ergo tertia Digestio, fit præsidè Fermento Hepatis, quod cæco Gas Odore, Sangvificationem in suo Mesenterii Stomacho, incipit, & tandem in Vena cava perficit.

Quarta Digestio completur in Corde, ejusque Arteria; in qua Elaboratione, rubens crassiorque Venæ cavæ Cruor elaboratur, fit flavior, & planè volatilis. Cor enim utrinque auritum dicitur, & habet ad Sinum sinistrum, pulsantem Arteriam unicam, magno sibi Trunco insertam, ut sic duplici Remigio fortius Cruorem trahat trans Septum, quod est inter utrumque Sinum, in medio Cordis. Hoc Septum est porosum & Sinum Cordis distingvit; Nec remeat Sangvis à sinistro Sinu in dextrum; sed tantum Spiritus Vitæ, tanquam per exile Cribrum. Differt ergo Cruor Hepatis à Sangvine arteriali, per quartam Digestionem, Colore & Consistentia digesti manifestam.

Quinta Digestio transmutat Sangvinem arterialem in Spiritum vitalem Archei, de quo vid. l. c. n. 62. Nam in Cruore

Jecorario, vix potest esse aliquis Spiritus: sed videtur ille Cruor esse, tanquam Massa quædam mumialis, & Materia ex qua; sed nondum habenda pro perfecto vitali Sangvine. Nam si Cruor Venæ cavæ à Jecore Spiritum mendicasset, frustra esset Cordis dextra Auris, quæ non alio fine operatur incessanter, quam ut à Sinu sinistro, aliquid Spiritus trans Septum Cordis trahatur, & Cruor in Vena cava, juxta Cor, Participatione illius Spiritus, vivificari incipiat. Vide loc. cit. n. 64. In quarta ergo Cordis Culina Sangvis ab Hepate delatus fit, Sangvis arterialis, qui in quinta Digestione fit Spiritus Archealis vitalis. Unde nos unicum tantum Spiritum in Corpore agnoscimus, quæliacunque habeat Organa particularia diversa, sive Oculorum, sive Aurium, aliorumque Sensuum aut Membrorum principalium, aut secundariorum Organa singularia. Nec in quarta, nec quinta hac Digestione proveniunt ulla Excrementa, nec dissimilaria Effecta. Igitur falsum est, quod in omni Digestione fiat Excrementum; Si vero aliqua ex prioribus Digestionibus Excrementa illuc irruant, vel innascantur, morbosum illud est, turbulentum & confusum imperium, non ordinaria Digestionum Oeconomia.

Sexta & ultima Digestio perficitur in Culinis singulis Membrorum. Ubi tot sunt Stomachi, quot Membra animalia. In hac nimirum innatus cuique loco Spiritus, suum sibi coquit Alimentum. Sub qua Digestione, ut variæ incidunt Dispositiones: ita & Dispositionum istarum contingunt varii Errores. Adeoque Morbi, qui vulgo attribuuntur quatuor fictis Humoribus, potius transmutatis hisce deberentur. Vide l. c. n. 68.

Tandem ad Finem Intestini Ileii, est quidam Sacculus, qui dicitur Intestinum cæcum: in hoc sedet Fermentum stercoreum; quod cum Opus sit Corruptionis, & non Nutritionis, ejus Putrefactio nullatenus computanda est inter Digestiones Alimentorum. Stercoreum enim Fermentum non procedit ab aliquo Viscere, aut Facultate vitali. Hoc cæcum Intestinum

num est exiguum, necessarium tamen Receptaculum omnis Stercoris. Hæc omnia fusius deducta vid. l. c. Nobis hæc pauca sufficiant.

### SECTIO III.

#### *De duobus Stomachi Janitoribus.*

Supernus Janitor dicitur Orificium Stomachi, inferior Pylorus. Ille in bene valentibus clauditur, dum Stomachus Cibos & Potum recepit, donec peracta Stomachi Digestione, Chylus, seu Cremor factus sit. Tunc enim, nec ante, Pylorus se pandit. Orificium autem supernum clauditur, instante Satietae saltem, (:si non satis ingeritur:) dum Stomachus incipit concoquere. In Pyloro præcipuè deprehenditur magnum Sanitatis & Morborum Momentum consistere. Nam in Febribus evomitur subinde hodie indigestum aliquid, quod pridie fuerat ingestum. Ergo abinde Pylorus manserat clausus. E contrario in Passione cœliaca Pylorus nunquam clauditur, prout etiam in continuo potantibus. Vide Helmont. § 32. l. 2. ubi plura enarrantur Exempla. Quæ omnia convincunt Pylorum non tantum esse Janitorem, sed etiam moderari Digestionem primam, & evidentissimam, nec eum subjacere Imperio Retentivæ, aut Digestivæ. Orificium autem superius aperitur, ad singulos Ciborum Bolos, & haustus Potus: *quia vix tolerare potest, quod sibi quicquam supernè in Gula impendeat.* Quomodo Pylorus efficiat vomitum, dum clausus se contrahit sursum, non quidem per Corrugationem Stomachi, sed motu totali Stomachi sursum ad Gulam, adeoque Pylorus Vomitum imperet, & Retentivæ non auscultet, suamque Potentiam sæpè ostendat absolutam, dum invitâ Expulsivâ, deficiente Digestivâ, nauseante Attractivâ, adeoque pessundatis aliis Stomachi Facultatibus, furiet, & aberret (:prout jam de Febri & Cœliaca narravimus:) de his inquam omnibus, vid. loc. cit. per totum.

Et quomodo sæpe furiet instar Uteri fæminei, vid. n. 18. quomodo ab eo, ejusque Erroribus & Exorbitatione nascantur Morbi plurimi, Tremores, Cordis Palpitationes, Deliquia, Febres acutæ, Tumores, Arthridites, & cur? vid. n. 10. Et quid in Vomitu sit illa Materia flava, vitellina, cærulea, viridis, quæ sæpè ejiciuntur? an sit Bilis fabulosa? num. 12.

Imo plus videtur esse positum in Pyloro, quam in Orificio superno: quia Pylorus videtur esse Rector totius Oeconomix stomachicæ, usque in ultimum Intestinatorum Gyrum. In qua siquidem cum Fellis Operatione perficitur, proinde etiam Fel Pyloro superstrui & incumbere debuit. Quorum amborum, si non est plenus consensus, mox oriuntur Diarrhææ, Tormina, Dysenterix, Hæmorrhoides vid. n. 17. & seq. item *quid sit Fames & Sitis propriè?* contra antiquorum Opinionem n. 20. item *quod Sensus Appetituum sit in Pyloro & Splene.* n. 21. item *quod Pylorus sit Patrator unicus & Causa Appetitus, Nauseæ, Vomitus, Cholera, Dysenteria* ibidem. *Et parvo sæpe Remedio adhibito Pylori Furor sedari potest & solet, & corrigi clades præfate, v. g. per bina Ovorum Vitella dura, Aceto rosaceo temperata* vid. n. 22. *Similiter frixis Equorum Ungulis in Butyro, ac pulverisatis sæpe frequenter sedatus fuit Pylori furor in Dysenteria. Sic post Crapulam hesternam Vertigines & alia Capitis mala, facillè curantur, sumpto sequenti manè Jentaculo, quo mox furor Pylori sedatur.*

Denique, de reliquis ejus Erroribus, & quomodo sæpè pertinaciter clausus, loco Cremoris acidi, fabricet flavam, vel æruginosam Materiam, vid. n. 23. usque in Finem. Nos hæc tantum hic delibare voluimus.

#### SECTIO IV.

##### *De Ratione Victus.*

**H**ippocrates præfert ex omnibus, semper assveta non assvetis, licet assveta in se minus sint salubria: nec facillè; nec tuto,  
nec

nec celeriter ab assuetis vult Diætam esse mutandam. Ergo id multo magis censendum est de assuetis electis, optatis, desideratisque Cibis & Potibus, utpote, qui dictante intus sibi Naturâ, Remedium sæpius præluxisse comperti sunt; Vid. Helmont. §. 60. n. 6. Et quotus quisque est, qui repudiatis Regulis à Medio sibi præscriptis, sæpe hæctenus non convaluerit? Occurrunt quotidie ejusmodi Exempla. Nec in ipsis Morbis Præscriptio Diætæ medica, videtur Locum habere. Tunc enim plerumque Appetitus jacet consternatus, quique sui Complacentiam, ne totus pereat, syadet potius; & cujus Conservatio tanti est Momenti, quanti est Vitæ Indicatio. Statu enim Appetitus vacillantis Natura sibi plerumque suggerit convenientem Cibum; idque non raro, tum potissimum, dum maximè Opus est indiga.

Similiter Diætæ Medica vix Locum habet in Convalescentia, vid. l. c. n. 12. ubi Author fatetur se per quinquaginta Annos practicantem, sanasse suos Ægros, spretis Diætæ Regulis præscriptis Medicis, ibid. n. 12. & seq. Interim tamen etiam Sobrietas maximi est faciendæ, tanquam Cardo totius Diætæ. Unde idem Author, si Appetitus circa aliquod Objectum ferretur, lubens illud permisit suis Clientibus, cum Moderamine tamen Mediocritatis, n. 17. Natura enim nostra sapientior est quovis Medico, magisque perita suæ Utilitatis, & gnara Damni, quam omnia Scholarum Ingenia, ac proinde sibi seligit & optat convenientissima. Sicut enim Pecus nunquam perit, quia Siti suæ satisfecit, nisi fortè Venenum deglutivisset, nimiaque Voracitate succumberet: quæ omnia sunt certissima; sic etiam certa videntur sequentia. 1. Quod Potus in Febribus multa Ariditatis incommoda subvertat, indubium est. 2. Certum est, quod bibere in Siti, non sit minus naturale, quam Micturientem minxisse naturale est. 3. Ideoque hoc, id est, bibere non requirit Medentis consensum: sicut eodem modo alterum, i. e. mingere, vel potius mejere, non eget Consultatione. 4. Quod

simul cum Potu exhiberi possint aliquot Guttæ, quibus faciliè penetrantibus, præsertim in Siti, plurimæ una cum Siti Febres, jucundâ ægrorum Voluptate sæpe suffocari possint, quod l. cir. n. 19. per Experimentiam probatur. Compertum est 5. Quod ingens Appetitus erga Rem, juxta Regulas medicas apparenter nocuam, plerumqve dicitur ab ipsa Natura, cui suum innouit Remedium, non autem Scholarum Libris. 6. Quod ideo parum anxii esse debemus, circa Res optatas parum nocuas, minusqve solitas. 7. Quod si Remedium debeat Morbo prævalere, Cibi & Potus, in sua Latitudine, nequeant continere robur Entis Pharmaceutici, quin operetur suos Effectus. 8. Quod Cibi, si non Remedium, etiam vix Noxam contineant, loquendo de Cibis indifferentibus.

Deniqve dicimus, quod Abstinencia, & Parsimonia, sint optima Media in Diæta; magisque, ubi ad Libitum aliquid editur, juxta Proverbium: Quod sapit nutrit. Sufficit enim Appetitui per Qualitatem, non per Quantitatem. Nam si Satietas gravet Sanos, multò magis gravabit Ægros & Debiles. Præ omnibus autem Masticatio est necessaria Ciborum. Cum enim omnis Cibus debeat mutari in Cremorem, sitqve exquisita Masticatio, quæ Digestionem faciliat; hinc omnia bene sunt masticanda. Quia unicus Bolus, non ritè masticatus, plus facit Negotii in Corpore, quam tres Boli mandendo bene masticati & contriti; De his vide plura apud Helmont. §. n. 21. Hinc, quæ in Crapula sumuntur, supra Fermenti stomachici Potestatem, calefaciunt quidem intus, sed putrescunt, nec etiam eatenus digeruntur. Quantum vero de tenerioribus Cibis in Crapula est assumptum, digeritur & elabitur à Stomacho, & secum magnam indigesti molem præcipitat, tam propter Vasis tensionem, quam Naturæ onustæ, & Frena deserentis incuriam. Sin autem digestum fuerit, quod est longè tenerrimum, idqve justo diutius in Stomacho moretur, necessario quoque  
istud

istud retentum, nimium acescit, vel planè putrescit: deduciturque in amarum Excrementum, manè non raro per Vomitum rejectum, quod falso putatur Bilis à Vulgo. Tinctores enim unica Cortinæ Tinctura, supra 100. diversos Colores mutant, si Panni prius diversimodè fuerint affecti; Sic etiam unicum aberrantis Stomachi Fermentum, univocum Cremorem alias, si adhuc Diversitates in se planè non digestas contineat, pro Partium Diversitate variè formiter disponit & determinat. Adeò ut licet ordinario, non nisi Partem Cremoris digestam tingat suo Fermento; indigestam tamen Partem non desinit afficere, & pro recipientis Defectu perperam imbuere. Tandem, quicquid assuetum, non malignum, sed optatum assumitur, id quoque absente Satietae, facilius digeritur, & tuto etiam in Morbis admittitur, si sobriè & moderatè sumatur. Fermenta enim faciliè subigunt, quæ assueta sunt, & præcipuè desiderata, vid. l. c. n. 23. Ubi Consilium invenies, quomodo præcipuè in Morbis stomachicis cibandi sint Ægri, per Potabilia, & maximè per panata, itemque Cerevisia vel Vino tincta, cui micæ Panis simul sint mixtæ (:apud nos dicitur vulgò eine kalte Schale:) ut sic simul sint Cibus & Potus.

Quidquid ergo Ciborum in Stomacho non dissolvitur, in Cremorem diaphanum vitalizantem; vel licet in se sit dissolutum, non tamen suscipit Fermentum, ut Latex, salis Muria: id ipsum vel Excrementum est, vel faciliè fit tale, & Corruptioni est obnoxium. Unde valde est attendendum, quid Æger aspernetur, vel appetat. Naturæ enim ancillandum est, non imperandum. Fermentum scilicet, quos Cibos debet conficere, Cibos illos præscribat; non autem Medicus pro suo Appetitu, neque unicam ex Doctoribus Formam pro quibusvis Calceis sumat. Unde non est mirum, quod Febricitantium Stomachus, Carnes, Ova, Juscula, & similia abhorreat: quia, cum

tunc

tunc maximè caleat, sapiens Natura rimet, ne Cadaver intus in se existens fiat. Ideo statim ejusmodi Edulia sibi suspecta averfatur. Vid. plura §. c. toto.

Concludimus ergo: nusquam Qualitatem Ciborum, quatenus talium, nocere; solam vero Quantitatem obesse posse. Vidit enim DEUS omnia, quæ fecerat, esse bona; & consequenter quodcunque in Cibus ordinavit, vel Potum, bonum esse Cibus vel Potum. Igitur nullus Cibus nocet Ægro, si Pharmaca alias in se sunt efficacia & bona. Vid. plura apud Helmont. in Supplem. §. 1. Paradoxo sexto, per totum.

Supremum verò Præsidium Sanitatis, dicimus esse Sobrietatem. Alias, quæ sapiunt, optimè nutriunt. Et concocturus est facile Famelicus, quæ sapiunt maximè. Pro sordibus à Stomacho, & à Venis meseraicis; pro crudiore & minus sincero Chylo abstergendo, videntur optimè facere, Spiritus Tartari compositus, Pillulæ Ruffi, conserva Rosarum. vid. ibi l. c. Denique finiamus: hæc tantum addendo, quod juxta communem Doctrinam tres compleantur principales Concoctiones in Homine: 1. In Stomacho. 2. Per Venas Meseraicas usque ad Hepar inclusive. 3. Inde usque ad singula Membra. Prima illa, & secunda Concoctio, feliciter succedit in Vigilia & Motu; ideoque Excrementorum omnium uberior Expulsio: tertia verò, seu ultima, in Membris singulis melius fit in Somno; dum nempe vitale Lumen sese Humori cocto, propter Assimilationem, inspirare debet. Qui Somnus etiam omnem Excretionem compescit, præterquam suam, id est, Sudoris.

## SECTIO V.

### *De Potentia Generativa.*

DE hac Materia audiamus Helmontium, qui in Suppl. § 9. per totum sic loquitur: Vidi somnolentus Uterum Plicis, miro Artificio contractum, & se sub Conceptum pandere, per

per proprium Blas magneticum: idque adæquatè ad Seminis extensionem. Quæ scilicet Plicarum diductio, causat Suctum & Attractionem Seminis, ratione Vacui. Et in hoc Rhombus Conceptionis jacet in Fæminis. Continet enim Causam immediatam Complacentiæ, & Attractionis Seminis in Uterum. Et hic est DEI Digitus, qui hos Loculos diducit, sine Medio organico: unde Fæcunditas aut Sterilitas à DEO censetur. Itaque ex Parte Fæminæ, debet adesse hæc magnetica Diductio; ex Parte vero Virili, debet Semen non esse infame aliquo Contagio, aut Labe aliqua. Si hæc duo sint integra, sequetur certo Generatio; si vero Semen fuerit defectuosum ex Parte Viri, nihil fiet. Uterus enim semel malè imbutum Semen recipiens, illud mox rejicit, nec deinceps se aperit, ut intro sugat in Vitam Semen Viri istius.


Postquam ergo Semen virile est fæmineo Semini sociatum, in concavo Uteri, mox cessat illius Magnetis Suctus, & clauditur Uteri Ostium prope ejus Cervicem. Uterus vero contentum undequaque & adæquatè, excluso omni Aëre, benevolo favore amplectitur, incipitque amborum exactior Commixtio, propter occultam Syngamiam, utrinque in Seminibus explicatam. Mox deinde, licet conceptum Semen initio sit turbidum, & Liqvor opacus, biduo tamen abinde, transparentis Albuminis Similitudinem assumit. Sexta autem Die, nec prius, apparuit mihi Seminum incola Archeus, tanquam Vapor nubilus, qui postea, decimo tertio Die, Hominis Figura, umbratili-ter dotatus fuit, cum aliqua clarificatione suæ Spissitudinis. Tum enim Semen, decima fortè sui Parte accreverat, sibi-que primigenio nupserat Liqvo-rem alimentarium. Mirabar interim Egoitatis inceptam Philautiam, quæ vel in Seminibus inciperet meditari mox sui Incrementum. Nam ut recens Lac se incrustat statim Pellicula: ita & Semen mox à triduo sese Pelle loricat, quæ tamen sensim evadit manifestior.


Porro licet Aura sub Hominis Figura cerneretur; nondum tamen Character sexualis à me notari potuit. Circa Diem ergo 17. vidi, quod Aura hæc figurata se demergeret, & planè desponsaret intra Albumen, & quasi dormiret toto triduo, & Horis circiter 12. eratque in Semine rursus quoddam Chaos opacum. Quo intervallo sibi secundinam visibilem obduxit: & Duritiem Membranæ, quam in Materia non reperiebat, sibi fecerat, per Vim formativam & transmutativam. Aura nimirum formatrix hæc, dum sculpsit Corpus, non utitur Separatione, nec ideo Opus habet Materiæ diversitate, quâ sibi in Typo propositas Organorum alteritates fabricet. Quo triduo exacto, tum prius apparuit Spiritus ille Formator, Sexuum Signaturâ insignitus, non tamen amplius per totam Seminis Molem obambulans indistinctè; sed sub quadam Confusione, illi triduo propria, tota ista Aura, in singulis partibus coaluerat. Neque enim tum adhuc alter erat vagus, & fluctuans in ista Massa: sed unicus insitus, sibi per Partium rudimenta continuus, totam Generationis Repartitionem absolvebat. Fuit iste Labor suus, indefessus, sine Labore tamen & Tædio. Et licet in Opera non lassaretur, Vicarium tamen sibi adscivit. Nam magis magisque partium Distinctio explicatur, & totius fit Accretio ex materno & puriori Sangvine, sibi que format Humidum radicale, solidarum Partium constitutivum. Igitur & à materni Sangvinis Spiritu vitali, sibi Incrementum & Fomentum haurit, quod sibi mox assimilat Unione perfectissimâ. Alitur nempe, & crescit Spiritus, in Seminis adumbratione, non secus atque ipsa Embryonis corporea moles. Influens tamen Spiritus mihi non est visus ante Diem 32. à Conceptu. Tenuis tunc quidem adhuc, & à materno Sangvine desumptus, in vicinam Speciem traductus. Hic verò circa 41. Diem, Lucem aliqualem seu Splendorem adeptus erat, simul & Staturam humanam; sed conglobatam expressit, deformem tamen ob Capitis dispropor-


portionatam Magnitudinem. Quæ Lux erat tanquam Fulgor ex Flamma, quam Aqua Vitæ exhibet. Et non multo post aliquot Momenta, subito hæc Lux se ipsa facta est lucidior. Et licet Anima sensitiva in Brutis Speciem absolutam faciat, ideoque ibi per se subsistat; in Homine tamen eadem, non Speciem, sed Luminis tantum subordinatam Alteritatem, seu Gradum ad Mentem continet, ideoque vix subsistentem absque Mente immortalis. Et licet in Homine sit Vita sensitiva; at non est Ens specificum à Creatione; sed seminale per Libidinem Protoplasti occasionatum, cujus Character à Mente totus coeretur. Vita ergo sensitiva sub illo Splendore cæruleo, & obscuro, informat mox Spiritum Seminis, & informatur à Mente atque Luce clariore. Intercedunt tamen 4. 5. 6. aut 7. puncta Funis pedalis. Quia Semina distant dispositionum Perfectione, & agendi Alacritate. Hinc enim quod uni Conceptui sit una quadragenaria vel tertia; nec tamen propterea Empsichoses tardiores vel segniores, imperfectiores sunt velocioribus: Non secus ac præcocia Ingenia, non raro sunt tardioribus postponenda. Tota saltem Generationis nostræ series spirat aliquid augustum. Quamvis enim opifex Formator Archeus, humanam in se Figuram contineat, & Corpus ad sui Similitudinem figuret; non tamen est fabrica humana ab initio in Statura erecta, neque confuse globata; sed curvata, quomodo jacet Fetus in Utero. Falsum ergo est, quod Natura ubique sit circulata. Quippe quæ suis ubique satisfacere voluit Finibus, qui ab Opifice glorioso Naturæ, & non à Natura induuntur. Neque enim alias à Generante, recurvata Reflexio inditur Spiritui seminali erecto; sed procedit à Digno ejus, qui à Fine usque ad Finem disponit omnia suaviter.


Mox itaque concepto Semine, Uterus clausit Ostium infernum, ne quid irruat peregrini, quod Conceptum turbet. Denique Vasa uterino Imperio subjecta supernè etiam, veluti addito


Ostiaro clauduntur: quia tunc nova oritur in Utero Respublica, nova futuri Fætus Oeconomia: ideoque & in confinibus Vasis erigitur singularis Culina; usque adeo, ut Embryo, non ex Cruore Hepatis; sed ex puro puroque Sangvine arteriali dudum alatur & crescat. Mox vero deinde, postquam hæc Culina pro Embryone (: qui victurus est Orbe proprio: ) est instructa, Uterus Cruorem præparat, quem Embryoni propinet, & proinde everritur, quidquid minus utile occurrit; adeo ut toto illo Motu, plerumque Mater se malè habeat. Cum enim non amplius per emunctorium Uteri expurgari possint Sordes, quæque nec Partus Maturitatem possint expectare, sordes illæ in bonas retroeunt Partes, Conditionem Excrementi assumunt, & foras per Vomitum, aliasque sentinas extruduntur. Embryo ergo Sangvine arteriali, in Culinis Utero vicinis præparato, primum alitur, donec post primam Quadragenariam, vivente Anima potitus, sit sui Juris. Culina vero illa præparatoria in Carne lieni formi, qua Utero adhæret secundina, exercetur. Ideo & irrita sunt sæpè Fætui adhibita Auxilia; & ore tenus Matri exhibita: quia ante introitum ad Embryonem recoquuntur singula, iterumque in ipso Fætui, antequam eundem augeant. Infans autem editus, antequam duriores Cibos sit ferendo, blandioribus assuescit. Ita enim dudum pascitur Sangvine arteriali, qui nulla post se stercorea deponit. Nam quæ nato Infantulo, mox primo Vagitu excidunt, sunt Cruoris Jecorarii reliquæ, qui non nisi plerumque post tertiam Quadragenariam, primum in præfatas Culinæ admittitur. Et hæc Excrementa sunt, quæ Partus necessitatem maturant, & sollicitant. Infitus vero semel Semini Spiritus, in Semina demersus, mox Corporis Necessitates, si non præcognoscit, saltem addiscit: & dein Consanguineum sibi Spiritum, quadam Cognationis Symphonia in Alimoniam trahit, Tandem Uterus Maturitatem sentiens, se corrugando contrahit, quod eniti Prolem Veteres dixerunt, & emittit Fætum. Fusius hæc, si lubet, vid, loc, cit. Nobis hæc sufficiant.











factus est magnus. Unde? Angelus enim Domini descendit de Cœlo. Quod autem aliàs Hiatus post Terræ Tremorem, alioquando apparuerint, sædumque virus & fumos avernales expirarint, id totum suis Causis naturalibus est nexum: nec sunt ejusmodi Effectus Tremoris Terræ, nisi per Accidens, non autem Causæ. Si objiciatur Exemplum Vesuvii, Ætnæ, & similitium Montium Ignes evementium, non est ad Rem, nec est paritas Rationis.

Nam in illis Montibus latent & nascuntur Sulphura, & ejusmodi Materiæ ardentes: quod dici non potest de omnibus aliis Mundi Partibus, præcipuè de integris Regionibus & Tractibus per 100. Milliaria extensis, quæ sæpe tremere videntur hoc Portento. Denique totam hanc Materiam fusissime tractatam, & demonstratam, vide loc. cit. abunde.

Adeoquæ Aristotelica contraria Opinio, videtur à Diabolo tantum inventa, ut DEO nostro amantissimo, suus obnubiletur Honos, & ut omnem Numinis pavorem mortales seponerent, & tantum Mundo visibili, corruptibili, omnia attribuerent. Hæc de Meteoris sufficiant.

Ex istis facile poterit quis videre, quid sentiendum sit de reliquis Meteoris. Nos tantum singularia in hoc Opusculo adducimus, in quibus hætenus videtur nimium erratum fuisse. In reliquis, quæ jam incipiunt esse magis nota & confessa apud Recentiores, benevolum Lectorem remittimus ad eosdem Recentiores magis excultos.

### CAPUT VIII.

## DE COELO ET MUNDO.

**C**um hanc Materiam jucundissimam, ex professo novâ & Christianâ Philosophiâ admirandâ, explicet fusissimè Athanasius Kircherus, Jesuita Germanus, Romæ Mathematicos

feos Professor, Phoenix nostri Seculi, in suo Itinere Extatico bino, in Mundum Cœlestem & Subterraneum, impresso Romæ Anno 1656. & denuò recuso Herbipoli nuper, Anno 1660. cum Scholiis Caspari Schotti, etiam Jesuitæ: Eadem hic transcribere, aut compendiosè deducere non videtur Operæ præmium: cum illa ipsa Itinera Kircheriana sint mera Compendia aliorum Tomorum grandiorum. Itaque eo Lectorem remitto. Non pigebit certè Laboris. De hac eadem Materia Cœli & Mundi, id est, quod Cœli sint fluidi, non solidi, quod Terra non moveatur, sed Astra, de Numero Cœlorum & aliis, videri etiam potest compendiosè Nicolaus Causinus, Jesuita, de Domino DEI, item Caspar Schottus, supra nominatus, in suo Cursu Mathematico Anno 1661. edito, & alii. Nos ad reliqua extraordinaria substantialiter explicanda properamus.

CAPUT IX.

DE RERUM GENERATIONE  
& CORRUPTIONE.

**Q**uid de hac Materia sentiendum, facile constat ex superioribus. Si enim Generationis naturalis Principia Aristotelica sunt frivola, fictitia, i. e. si Privatio est merum Ens Rationis; Itemque Materia prima, quæ instar infamis alicujus Lupæ, sit continuò novarum Formarum appetens, contra Naturam Rerum naturalium, appetentium semper potius sui Conservationem, quam Corruptionem. Si etiam Forma non est Pars compositi, sed ei completo primum adveniat, ut Ens neutrum: Ergo simul cum his Principiis fabulosis Aristotelis, corrui etiam Generatio & Corruptio Aristotelica, illis superinstructa. Deinde si omnia Corpora naturalia potius, & verius, consistent ex sola Causa materiali interna i. e. Si omnium Rerum Materia, est sola Aqua, Efficiens vero internum est Semen,

men, Fermentum, Idea, Archeus Seminalis, quæ perdurant & operantur in Composito usque ad rei Epilogum, ut juxta Vi- res ac Proprietates à DEO sibi inditas. Ex his inquam jam de ductis supra, facile constare potest, quid verè sit Generatio & Corruptio realis, non mentalis. Adeoque non opus haberet hic ulteriori Deductione. Ut tamen semel jam statuta soli- dius confirmentur, & magis declaretur, quid propriè sit Ge- neratio & Corruptio, addemus adhuc aliqua notatu dignissi- ma, per aliquot sequentes Sectiones & Paragraphos,

## SECTIO I.

### *De Generatione.*

#### §. 1.

#### *De Principiis Generationis.*

**S**I propriè velimus loqui, duo tantum dantur primaria Ele- menta, Aër & Aqua, eò quod non possint resolvi in invi- cem. Terra verò, velut Aquà orta, non potest dici propriè Elementum, eo quod in Aquam iterum reducatur. Elementa vero non sunt in se invicem convertibilia. Si autem Aqua in aliquod terreum Corpus mutetur, id accidit vi Seminis, ad- eoque Aqua Elementi Simpliciter tunc exiit, consequen- ter Terra non videtur propriè esse Elementum, quia in Aquam converti potest, ut constat Experimentiâ Chymica. Ignis et- iam non est Elementum, aut Substantia, sed Mors Rerum artifi- cialis, in manu Artificis, ad grandes Usus à DEO data, pro Ar- tibus. Corpora vero, quæ creduntur mixta, materialiter sunt Fructus solius Aquæ, neque alterius Elementi Conjugio opus habent: Corpora nimirum sive opaca, sive diaphana, solida sive fluxilia, homogenea, sive dissimilia, i. e. Lapidés, Sulphu- ra, Metalla, Mel, Cera, Ossa, Cerebrum, Cartilago, Lignum Cortex, omnia denique & singula, sunt Aquæ solius Fructus,  
quia

quia omnia in Aquam omnino inspidam reduci solent totaliter. Igitur debent sola Aqua constare & contenta esse. Pleraque enim illorum per Ignem destruuntur, & mox spontè dant Partem Aquæ. Quæ licet quodammodo concreti Naturam referat, tandem saltem ablatà Seminis illius concreti Contagione, Aqua illa, sive rerum Mercurius, in simplicem & inspidam Aquam Pluviæ remigrat. Sic demum Olea & Pinguedines, per Ignem separata, adjecto pauco Sale Alkali, Smegmatis Naturam assumunt, & in Aquam elementalem abeunt. Imo quæcumque aperto Igne concremantur, in ipso Nubium Hospitio, spontè in Aquam reducuntur, ut supra in Meteoris.

Exhalationes item, quæ juxta Scholas debent esse Materia quotidia Ventorum, Nebularum, Cometarum, Mineralium, Saxorum, Salsedinis Maris, Fontium & Fluviorum, Terræ motuum, omnium Meteororum; hæ, inquam, Exhalationes, cum Penuarium tantum in Natura non habeant, nec Materiam tantis quotidie Rebus generatis, tantæque Moli sufficientem, mera sunt Somnia, ac imperitè suis Effectibus proportionantur. Nam quæ Materia Exhalationum, vel solis Ventis quotidianis erit sufficiens? Itaque & eas à Materia & Principio Generationis, adeò deprædicato, nos excludimus.

## §. 2.

*Nulla Generatio, aut Transmutatio, fit sine Fermentis.*

**D**E his abunde vide Helmont. §. 21. n. 1. 2. & seq. Duplicia autem videntur dari in Natura Fermenta. Unum quod continet in se auram fluxibilem, Archeum seminalem, qui suo fluxu aspirat in Animam viventem. Alterum vero saltem continet Initium Motus, seu Generationis Rei in Rem. Quod quidem Fermentum licet sui initio non habeat Auram seminalem, quæ scopos Rerum in composito gerendarum, complectatur, mox tamen Vapore potitur, quem Fermenta tam localia,

i. e. locis singulis contenta, quam, quæ ipsamet Materiæ dispositio externis Fomentis acquirat, suscitant. Unde Archeo aliquid simile fit, quod se suumque sensim Hospitium transmutat, aptat, ad auget, agitque porro deinceps reliqua, ad Proportionem Perfectionis & requisitum Auræ illius seminalis acquirendæ. Hoc nempe Semen, quadam primum genericâ Amplitudine, luxuriat. Nam licet gaudeat, substratam sibi Massam, ad Fermenti concepti Scopum direxisse, non rarò tamen aliunde fomites occultioris Luminis suscipit, sumptoque temerario ausu, etiam in Animam viventem adspirat. Exempla hujus Rei paulo post subjungemus, quomodo generentur Pediculi, Pulices. In prioribus ergo & vitalibus Seminibus fermentalibus generans ipse, inspirat Archeum cum sui Similitudine, simulque Auram vitalem una cum Seminis Massa: In posterioribus verò Fermentis, inflatur tantum Fermenti Odor, à Vasis continentibus, aut ambientis Contagio. Quæ ubi ritè coaptata fuerint, mox in Plantam, vel Insectum formantur: excitatâ nimirum Aurâ illa ab Odore, & Fermento fracedinis, quæ deinde in Archeum, Rectorem Rei, exaltatur. Fiunt itaque Semina à conceptu generantis, facientis Imaginem sui per Libidinem, vel à Odore Fermenti, quod Materiam disponit, ad ideam rei possibilis. Nam prout ab Odore Materia haurit Transmutationis dispositionem; sic ab Imagine deinceps fit Materiæ dispositio: quæ Fermentum specificum Rei generandæ procurat & promovet. In hoc autem Fermentum distat à Semine, quod Fermentum sit Odor, vel Qualitas alicujus Fracedinis dispositiva ad Alteritatem & Corruptionem Massæ. Semen autem sit Substantia, in qua jam Archeus inest, qui est Gas quoddam spirituale, continens in se Fermentum, Imaginem Rei generandæ, & insuper Notitiam dispositivam Rerum agendarum. Odore itaque, quæcunque Situm aut Fracedinem contrahunt, etiam Vermes mox concipiunt. Ideoque Balsama putrescere, aut vermescere nesciunt. Unde ex Odore, Vermes etiam plurimi nascun-

nascuntur; sicut è contra per Odores etiam Sanatio perficitur & impressa pelli Contagia, Odoribus subinde expelluntur. Sed de Effectu Odorum, in hac Materia Generationis, paulo post speciali §. eos declarando, agemus. Fructus ergo, quos Vetustas credidit esse Elementorum congeriem, sunt proles unius Aquæ imprægnatæ à Semine, quod in locis Mundi, tanquam in suis uteris, Aquam disponit ad generandum. Nam ubicunqve Aqua Odorem acquirit, mox etiam in eo ipso Fermentum, & deinde Semen, in Materiæ per Fermentum dispositæ incepta dispositione, concipit. Quæ omnia cum nova videantur & Paradoxa: paucis Exemplis illustrabimus nunc & magis Terminos hos declarabimus.

§. 3.

*Quomodo generentur Cimices, Pulices, Pediculi, Mures?*

Pro hoc intelligendo, recole quæ supra diximus, de Fermento secundi generis. Hinc enim non tantum Pediculi, Cimices, Pulices & Lumbrici, Hospites ac vicini fiunt miseriæ nostræ, nostrisque quasi ex Penetralibus nascuntur & Excrementis; sed etiam si v. g. Indusium sordidum, intra Os vasis, in quo est Triticum comprimatur, illico intra paucos dies (v. g. 21.) Fermentum Indusio haustum, & Odore granorum Tritici mutatum, transmutat ipsum Triticum sua pelle incrustatum, in Mures: eoqve magis admirandum, quod ejusmodi Insecta, sexuum signaturis distincta, prolifcent mox cum iis, quæ Parentum ex Semine nata sunt alibi. Ut & hinc amborum Seminum Paritas & Fermentorum vitale Robur par conspicuum evadat. Et quod mirabilius est, ex Frumento & Indusio, Mures, non quidem parvuli, aut lactentes, nec minutuli, aut abortivi, sed formati prorsus exsiliunt.

In nobis subinde Phtirialis oritur, & Pediculus aperta

epidermide humana egreditur, alias quoque in Poris generatur, non quidem Ovi putamine lendis inclusus, sed exiguus & vix conspicuus. Pulex vero, non nisi exterius semper, desumpto Fermento, generatur. Nec satis est in Scholis dicere, talia insecta è Putrido exire. Nam & Ova Avium insigniter putrent, fatentque immensum, ante pulli Constitutionem. Vita ergo inesse debet istis putridis Rebus, non minus quam Ovis. Nec satis est dubitasse, unde talia Insecta vitalem Spiritum uniformem & specificum, è nostro desumant, cum naturalis Generatio præsupponat impressum Similitudinis Sigillum. Nam in Generatione hac anomala, sufficit Archeus, non quidem humanus, sed qui in Excrementis, Virtute fermentali, & Identitatis ergo, semper generat talia Insecta pariformia. Adeoque licet sit monstrosa & anomala Generatio respectu nostri, est tamen naturalis & ordinaria in Ordine ad Causas, nobis tantum Fermentum, & folum addentibus. Fermentum itaque indusii Tritico inspersum, per retroitionem resolvit Materiam, & formatur sic mas adolescens, non autem recens natus; eo quod respectum habeat, ad alium fiendi modum.

§. 4.

*Quomodo generentur Pisces, Vegetabilia & reliqua Corpora.*

Quia ergo Aristotelici Fermenta nescierunt, hinc etiam ignorare debuerunt Corpora solida constitui ex sola Aqua & Fermento. Vegetabilia etiam & Grana, ac quæcunque iis nutriuntur Corpora, ex sola Aqua prodeunt. Nunquam enim Piscator in stomacho Salmonis aliquid Cibi inveniet. Sic ergo ex sola Aqua, etiam fluviali, fit Salmo, & eadem nutritur. Sic Sturio caret Ore, soloque Foramine pusillo in Guttore infra patet, quo præter Aquam nihil haurit totus Piscis. Nutritur ergo & fit ex Aqua pariter omnis Piscis: si non immediatè,

at

at saltem si gravida sit Seminibus & Fermentis. Ex falso Mari Piscis ferè omnis dulcis extrahitur. Ergo idem Piscis Salem non in Salem, vel saltem Aquam in se, non in Aquam convertit. Conchylia etiam Ossium loco, sibi lapideas testas ex Aqua fingunt, prout & Limacum genus omne. Sal ergo Maris, qui vix cedit Igni candenti, in Piscibus Fermento eorum dulcescit, volatilis fit eorum Caro, & sub Nutritione etiam totus dissipatur, absque residentia & face. Sic etiam Sal in primævum Aquæ Elementum transit; sicque Mare, licet Rivos falsos recipiat, non tamen inde fit falsius. Nam Aqua purissima, licet omni Inquinamento libera, nihilominus sub Linea Æquinoctiali, mucida fit, fatet, mox livescit, dein viridescit, & ultimò rubescit horrore insigni: Quæ deinde sponte in se de integro redit. Concepto nimirum loci Fermento hæc adveniunt; eoque consumpto, cessant. Sic purissima Fontis Aqua, fracido Vasis Fermento mucescit, Vermes concipit, Cyniphes parit, imo pelle tegitur. Paludes ex Fundo fracescunt: hinc Ranæ, Conchylia, Limaces, Hirundines, Herbæ. Imo etiam natantes Herbæ, Aquam tegunt, solo Aquæ fracidæ potu contentæ.

Et prout Lapides è Fontibus, quibus Semen & Fermentum saxosum inest: sic etiam Terra Fermentis metallicis facta, ex Aqua *Bur* metallicum vel minerale efficit. Aqua vero alibi, conclusa Terræ, si prope Aërem est, Caloris momento agitata, fracescit, nec amplius Aqua, sed Succus *Leffus* est (est Succus Terræ recens in Radicem tanquam in Culinam Vegetabilis tractus, Terminus est Paracelsi) Virtute cujus Succus, fracidi Fermenti, Terræ Potestas collata est germinandi Herbas. Succus enim ille Terræ fracidus, pusilli Caloris stimulo ascendit in Fumum, fit fungosus, ac pelle circumdatur, pro Fermentorum inibi latentium requisito. Vices itaque Fermenti & Vires Seminis, ista Fracedo habet, sensim in Archeos, per Virtu-

tes seminales, in Vitam quantam properans. Succus igitur Terræ fracidæ *Leffas* à Paracelsistis dicitur. Unde surgit omne Plantarum genus, carens visibili Semine, sataque Semina eo promoventur in suas destinationes. Tot ideo sunt Fracedinum rancidi Odores, quot rerum Sapores proprii: quia Odores non tantum sunt Saporum nuntii, sed & Parentes promiscui, ut infra pluribus ostendemus. Palescit initio Fumus ille *Leffas*, jam coactus, deinde subflavescit, mox subcandide viridescit, & tandem saturatè viret, explicataque Speciei Potestate, varios Colores & signata assumit. Plura vide apud Helmont. de *Leffas* Succo §. 21. n. 32.

Similiter Pluvia, in Terra Fermentum fracidum concipiens, *Leffas* (Succus) facta, in Radicis stomachos trahitur Suctu quodam, & experitur intra hanc Culinam, novam Fermenti inquilini Fracedinem. Mox inde ad Corticem, seu Hepar Plantæ defertur, ubi novo illius Visceris Fermento ditatur, fitque Succus herbaceus ac ligneus, ac tandem concepta Maturitate lignescit, herbescit, vel in Fructus abit.

Caudex vero, si sub Terra citius fracescat, proprio dehiscit Fermento, fumum trans Corticem emittit, qui sui Initio fungus est, sed tandem in veram Radicem durefcit, sicque Plantati Rami arborefcunt, Artis compendio. Plura de hac Materia vide Loc. cit. n. 33.

De Generatione Corporis humani, & proportionaliter de Animalium perfectorum Nativitate & modo, agemus infra suo loco.

## §. 5.

*De Odorum fermentalium Potentia.*

**Q**Via Odor continet Symbolum Fermenti, & hinc seminariam Transmutationis Causam, ideo concludimus rerum Vires & Robur masculum ex Odoribus esse. Nam ubicunqve  
Aqua

Aqua Odorem acquirit, mox quoque in eo ipso Fermentum, & dein Semen in Materiae dispositione concipit. Siquidem plura solius Odoris Fine fiunt. Sæpè enim Radix Caulis, Medulla, Frondes, & Plantæ integræ Historia, propter Odoris Florem, vel Floris Odorem nascitur, estque Odor multarum Specierum Finis ultimus, tam in Condimentis, quam Pharmacis. Deinde Odores & Sapores in Corporibus Seminum, appetitum, aversionem, vel neutralitatem pariunt. Appetitus autem sic motus, Imaginem in Archo non secus pingit, quam in Fœtu prægnantis. Quæ Imago & Essentia invisibilis Seminum, concitans ad complectendum, vel abhorrendum. Odor autem neuter inservit statui & quieti. De his vide Helmont §. 26. per totum & alibi.

Imo si res ipsa penitus inspiciatur, etiam interna Pharmaca, tam solutiva, quam correctiva solo Odore tenuis agunt. Unde sæpius visum est. Quartanam, Uteri exundationes, Melancholiam, Colicam, solis unguentis fuisse sanata. Certum est autem, non ipsum Unguentum, sed ejus tantum Odores intrò serpere & agere. Sic enim Epilepticus ex Odore cadit; Imò Cerebrum Epileptici, quod nec audit, nec sentit, nec si in Ignem ceciderit, se retrahit: & tamen solis paret Odoribus. Sic Erysipelas, Odore lintei leporino cruore tincti, sanatur, si siccum alligetur. Sic Vulnera, Ulcera, Apostemata, Odoribus, per inuncta applicatis, mitescunt, vel exasperantur. Igitur si spontaneorum Animalium i. e. Insectorum Semina, ex Odoribus & Fracedine sint nativa, nec Specie differant ab aliis, quæ congressu sexuum procreantur: necesse est omnium Animalium Semina, suos etiam habeant específicos Odores, quibus Archei ad Materiam fiunt adaptationes, faciliorisque Obedientiæ ad transmutandum. Unde tandem fiunt diversitates impfectionum, in quævis Viscera, Organa, Fortitudines, in Robore & Vita. Afficiunt nimirum specifici Odores Materiam, eamque  
in

in sui clientelam subigunt, oboriturque ex specifico Inclinatione, & Philautia Rerum. Ex assueto demum facilis fit Receptio, perfectior Adaptatio: ac tandem Amor, raptus in omnem Libidinem sui. Ideo oblectant fragrantia, perinde ut Lux placet bonis Geniis, displicet malis; idque non ideo, quia sine, vel cum Luce, uterque bene cernat, aut Aëris sereni usura opus habeat, sed ob abstractum & omnipotens Lumen, cuius Imago est Lux Diei. Odore enim & Lumine delectantur Spiritus, eo quod Lux & Odor eos immediate attingant, & penetrent. Loquimur hic de Spiritibus humanis Corporeis aliqualiter i. e. de vitali, animali, arteriali. Spiritus enim Sanguinis in Lipothymico aut Epileptico v. g. plus tostæ Carnis Odore, quam Aromate refici deberet, nisi Fragrantia, quatenus citò attingit Vitam, in hac Puritatem & Svavitatem præparet. Videntur ergo Odores etiam Spiritus abstractos attingere, prout pestilens Odor, naribus etiam non perceptus, Archeum horrore quatit. Sunt enim Odores, qui Dolores capitis, Nauseas, Tusses, Singultum, Vertiginem, Epilepsiam, Apoplexiam, Dysenteriam movent, & sui Contagio inurunt. Sunt vicissim & alii Odores, qui modo consimili eadem sanant, aut saltem mitigant, si Radicem fixiorem habent. Sunt etiam Odores suffocantes, sine perceptibili Materiæ adstrictione, sunt & convulsivi: suntque qui saltem infatuant, ut in uteri Affectibus sæpe occurrit. Ex dictis apparet Ratio, cur Lumina & Odores etiam in sacris adhibeantur, pro cultu DEI & Sanctorum, quia nimirum Odore & Lumine, non tantum Spiritus vitales, sed etiam ipsi Spiritus immateriales iisdem delectantur, uti jam demonstravimus supra. Ratio autem, cur Odores sint tantæ Potentiæ in Homine vel sanando vel dejiciendo, hic paulo fusius aperienda & declaranda videtur. Quia Spiritus Vitæ nostræ, præcipuè arterialis, est de Natura Gas supra explicati, quod manifestè cernitur in Palpitatione, Syncope, Lipothymia.

thymia. Nam quantum, quæso, Colori vivido, Lumini vitali, tumidoque Carnishabitui, deperit, Vultusque ipse quam rugosior concidit, mox à præfatis malis & passionibus? Spiritus enim, qui antea placido Rubore, velut omnia vivificabat, evolat mox, & Aurâ alienâ subactus mutatur. Siquidem cum Archeus in se ipso ex Natura sit Gas, de Natura Salis balsamici: Si auram alterius Salis obviam repererit (prout scilicet Sal Armeniacus, dum obviat Spiritui Salis petræ) facile per poros, & confestim diffabilis, munium suorum agendorum & Familiæ totius obliviscitur. Neque enim in Guttas cogitur, eo quod ex Sangvine arteriali paratur. Gas ergo vitale, quia Lumen est & Balsamus (de Odoris Natura) præservans à Corruptione, à primordiali Genituræ adumbratione, incipit adæquare Lumini solari.

Post Deliquia ergo præfata (& diffationem Spirituum seu Gas humanum) cæterorum Membrorum innati Spiritus, velut fumigantes adhuc, rursus à solari Cordis Lumine accenduntur, prout Fumus Candelæ extinctæ alterius Flammam ad extinctum Lychnum per medium deportat & reacendit. Quandoquidem Spiritus Vitæ nostræ cum sit Gas, potentissimè etiam & celerrimè à quovis alio Gas (quales sunt Odores) afficitur, propter illorum scilicet contactus immediatos. Nam mox se invicem penetrant, sicut Lumen unius Candelæ cum altero conjunctum. Et idè nihil velocius in nobis operatur, quam Gas, (cujus Naturæ etiam sunt Odores) Hinc videmus in Cryptis & Cuniculis mineralibus &c. quam cito Homines perimantur. Idem fit in Peste, Carbonibus suffocatis & Suffitibus. Imo & in Cellariis, ubi potens Cerevisia suum Gas eructat, faces ardentes extingvit, subitò Homines etiam suffocat & Morte mulctat subitanea. Igitur immense dolendum, & Sors humana miseranda, per crassam Ignorantiam pene suppressi & ignorari altiora suffituum Remedia in morbis curandis, quibus non tantum recreantur Lipothymici; sed etiam

aliorum plurimorum Morborum fiunt Curationes & Sanationes, restaurantque potenter Vires. Penitus inseritur *Gas*, & cum Spiritibus vitalibus contactum immediatum servant Odores, quam Liqvores quicumque, qui, si non venenata Labe, saltem secundarum Qualitatum obtusis Proprietatibus, participes, nocent facile: quas Qualitates, vel præcipuè sublimem primæ Digestionis, tanquam luto obductas soleas deponunt, si non, præterea adhuc ingenti Aversione Archei fuerant receptæ vel cum Anxietate, Viribus digestivis rebelles, & contumaces resistunt. His omnibus Circumstantiis noxiis & inutilibus, carent Odores & Suffitus, & ideo feliciores & potentiores in sanando, tanquam magis agnati & amici Spiritibus & Archeis. Plura de his alibi. Denique de hac Generationis naturalis rerum Materia, de Fermentis, Seminibus, Odoribus, Fracedine, vide ex professo apud Helmont. integros Paragraphos 20, 21, 23, 24. usque ad 43. Nobis hæc paucula sufficiant.

## SECTIO II.

### *De Corruptione.*

**P**utant Aristotelici, Corruptionem esse Ens privativum vel negativum, non positivum, solamque Formam substantialem, cum omnibus suis Accidentibus corrumpi, adeoque Materiam in omni Corruptione privari omnibus Accidentibus Formæ prioris, in se verò manere incorruptam æternamque. Nos vero contrarium tenemus & asserimus, Corruptionem nequaquam esse Ens privativum, sed positivum, falsumque esse eorum Axioma: quod unius Generatio sit alterius Corruptio, necessariò, & vice versa. Imo debere in subjecto Generationis manere aliqua Accidentia prioris Formæ. Denique solam Materiam in composito, corrumpi non verò Formam. Quæ omnia ostendemus sequentibus §§.

§. 1. *Quid*

## §. 1.

*Quid sit verè rerum Corruptio?*

Corruptio, si rectè inspiciatur, est Dispositio quædam Materiæ, à fatifcente rectore Vulcano, derelictæ. Unde nulla ratione annumeranda est Privativis, cum Causis constet positivis. Quæ omnia sunt magis declaranda. Igitur apud nos sic se habet Corruptio. Formæ nunquam corrumpuntur, sed intereunt, seu extingvuntur, ut Lumen. Mens tantum humana, quia formalis est Substantia, abscedit sospes, reliquæ autem Formæ omnes pereunt. Materia verò nec abscedit, nec interit, sed corrumpitur. Adeoque Corruptio est solius Materiæ. Declaratur illa Materiæ, à fatifcente Vulcano Rei derelictæ, dispositio, quam nos vocamus Corruptionem. Quatenus enim Corpus rectore Vulcano bene valente navigat, permanet semper in suo esse, nec auscultat Fermentis & Vulcanis alienis, hospitium suum occupare tentantibus. Nam Archeus semel conceptus, ubiqve manet Vitæ & compositi Custos, & Transmutationum suarum Promotor, ejusque Mutationem illico Vitæ Mutatio, à prima nempe Vita & Materia sui, usque in ultimam, sequitur. In hoc nempe, Archei Rerum consonant, quatenus vitales Splendorem aliquem possident: variant tamen, quatenus dissimilis Formæ Præcursores & Oeconomi. Attamen se mutuo recipiunt in eodem Hospitio, ne illorum turbetur Regimen, quin Ordinis ergo, Herus maneat, qui potior fuerit. Quorsum nempe Fermenti sui Impressiones liberaliter expendunt, ut consortis alieni Archei Inquietudines compescant, illumque subigant.

Non tollitur enim, dissipatur, mutatur, aut alienatur Archeus, alicujus compositi Rector, spontè, nisi infestante aliquo novo alieno Archeo, sub altero Fermento. Fermenta igitur aliena præficiuntur omnibus Corruptionibus, & per Fermento-

rum Alteritates, omnis Corruptio incipit, sensim ad Gradum & Fastigium ascendens, ac tandem adepta Periodo terminatur. Hinc quædam sunt, quibus propria Seminum libido Lena est, avocaturque à Constantiæ tenore, ad subeundas vicissitudinum Transmutationes, non quidem ob appetitum ad aliam Formam, ut volunt Aristotelici, sed quod insitus Naturæ balsamus diffletur & pereat. Talia sunt v. g. Carnes & Pisces. Alia vero non nisi excitata prius Putredine totum mutant, induuntque novorum Seminum imperia. Qualia sunt Ligna, Lapidés, & Igne constantissimum Vitrum. Inter hæc, medio incedunt Gradu, quibus loci attactus, obducit Superficiem fracedine aut mucore. Unde dispersi Odores, antiquorum Seminum Connubia diffociant, & novam Generationem Dissolutione meditantur. Aëri namque semper geniale est Symbolum, Aqvas ab Aqvis indefinenter separare: multa vero sunt, quæ ejusmodi Alteritatem sine labe non tolerant, hinc proximè labuntur in subitam Ataxiam.

Ut ergo Corruptio includit genialis Balsami Extinctionem: ita illius Continuationem desiderat Rei constantia. Nam quibus Balsamus spontè diffluit, vel exspirat, fixis imbutus Rebus, associatus hæret, Siccitatis repagulis coercetur, vel prædominante Fermento, a Balsami indole non alieno, fovetur. Sic enim dulcia, Fumus, Sal, Piper, Aqua Vitæ, Acetum, Olea distillata præservant Carnes. At saltem sub Vitæ interitum magna est utrobique Confusio Rei & opulenta virium Jactura: Adeo ut Semina, inferiori compagini inservientia, non raro simul intereant, unde Rerum assistentes Vulcani, velut metu perterriti, & ut mercenarii, primi aufugiunt. Vide plura abunde loc, cit. §. 19. per totum, hæc de Corruptionis Historia.

## §. 2.

*Corruptio non est Ens privativum; nec unius Generationis, necessario est alterius Corruptio, & è contra.*

Corruptio ergo licet inducat Transmutationem cum Rei alterius interitu, non est Privatio, nec proinde Generationem necessario subsequitur, ut neque vicissim, Corruptionem Generationis; sed fit ad eundem planè modum, sicut illa, quæ alterna Præsentia, se invicem excludunt, ut Lux alioquin & Tenebræ. Noster imprimis Interitus subsistit absque Formæ nostræ defectu, citra necessitatam Materiæ destructionem, si Mumia perseveret; licet Vitæ seu Formæ Separationem includat. Id enim non indicat præsentem Corruptionem, licet mox sequatur spontè Corruptio, si Arte non præservetur. Sufficit saltem, quod Corruptio non sit Hæres immediata Rei constitutæ, nec ab intestato succedat necessario Generationi. Sic etiam dum è Semine Res procedit v. g. Frumentum, Flos, Fructus &c. non præcedit, aut comitatur ulla Seminum Corruptio. Solæcismus enim est in Verbo ac Re, & error gravissimus, Seminum Promotiones, Perfectiones, ac Maturitates, Corruptionem æstimare aut nominare. Exempla igitur adducta practice probant, Generationem novam non necessario inducere Corruptionem. Nam in Mumia, post Vitam Hominis ablatam, seu potius post Formam à Materia separatam, nulla sequitur Corruptio, sed Permanentia; nec in Flore, post Seminis Perfectionem. Sed hæc omnia magis patebunt in §. seq. Ex quibus omnibus simul etiam constat Corruptionem nequaquam esse Privationem ullam Aristotelicam, Chimericam, non realem, Ens merum Rationis, omnium Rerum essentielle Principium, negativum, privativumque, sed esse Ens reale, positivum, Physicum i. e. Dispositionem novam Materiæ, post fatiscentem Vulcanum Rei Rectorem, relictam.

## §. 3.

*An in Generatione denudetur Materia omni Accidente prioris Formæ.*

Affirmant Scholæ Aristotelicæ, putantes id esse de Necessitate Naturæ: at nos negamus id absolutè, asserentes contrarium, non esse in Natura necessarium. Probamus & declaramus nostram Assertionem, sic: Quia prout in Morte Hominis i. e. separata Anima & Forma immortalis, non pereunt tamen subordinatæ Formæ Ossis, Membranæ: ita & in Rerum contingit Mutationibus, Vicissitudinibus, Generationibus, Corruptionibus. Nam licet Cibus v. g. omnimoda Transmutatione, Formam Sangvinis acquirat, hic tamen conservat non obscura Accidentia Cibi prioris, quæ ideo ambulant de una Materia in aliam, de uno Subjecto in aliud. Et nisi hæc Veritas admittatur, frustranea erunt & deceptoriam omnia Remedia & Pharmaca, falsi & nulli erunt omnes Morbi, qui à Crapula, à Cibo & Potu provenire asseruntur. Nam si Ciborum, Potuum & Pharmacorum Accidentia, Virtutes & Proprietates, simul cum sua Forma in stomacho pereunt, & nihil eorum ulterius pergit ad Membra remotissima male affecta, sananda aut corrumpeunda, unde proveniet Sanitas? unde Infirmitas? Sic Medici decipiunt ægros, dum sublata vitali Forma ex Plantis, Animalibus, iisdem tamen Cadaveribus utuntur ad Morbos curandos, etiam in remotissimis Partibus latentes. Hæc omnia paulò post clarius patebunt.

Proponamus Exemplum facti Asserti. Propè montes ad Zomam in Belgio, Porcus, recedente Mari, vescitur Squillis, Conchilibus, &c. Caro ejus sapit dein axungiam Piscis, manet tamen Caro porcina, Hebræis prohibita. Deinde datur sæpe Nutrici Medicina, quæ Infantem lactentem transeat, & vident sæpe Medici in Urina lactentis Pueri, subsistere adhuc Odorem

Odorem Rerum, quas Nutrix sumpsit, v. g. Oleum Anisi, Macis, & ideo in eum Finem Nutrici talia propinant, ut ab illa, licet transmutata in ejus Stomacho, & corrupta in suo esse, transeant tamen Accidentia & Virtutes in Puerum, ubi iterum, in ejus Stomacho transmutantur, & tamen Odores priores etiam usque ad Urinam perveniunt. Ergo falsum necessario est, quod in Corruptione omnia Accidentia simul pereant. Hoc idem experimur in nobis quotidie, quod Odor v. g. Balsami, Sulphuris & aliorum Oleorum, sentiantur in Urina, in Oris Sapore, ructuum Odore, etiam post plurimas Horas, imo & Dies Transmutationis in Concoctionibus & Destructionibus assumptorum factæ.

Unica nempe, v. g. Porci illius Belgici Caro, suscipit alienos Piscium Sapores, pro Ciborum varietate. Non enim contingunt in Cibis migrationes Accidentium, defectu perfectæ & essentialis Transmutationis. Nec etiam Urina redolet Terebinthinam, Macim, vel Asparagum, quatenus aliqua pars excrementosa Cibi cum cruore permaneat in Carne. Id enim nimis repugnat perfectæ Transmutationi, Separationi & Electioni, Archeo debitis, cui nempe inest Vis naturalis perfectæ transmutativa Materiæ, dispositiva in Figuras, Odores, Colores, omnemque Accidentium Proprietatem. Igitur necesse est ex Natura, idem numero Accidens, ut est Odor Terebinthinæ, Macis, Pharmaci migrare de Subjecto in Subjectum, esse, inquam, in formali transmutato, quod prius erat in transmutabili, licet Forma Subjecti inhesionis plenè perierit. Eo quod, etsi non maneat Materia, permanet tamen aliquid, quod Paracelsus & Chymici, hodie appellant Vitam mediam Rei transmutatæ, quam paulò post magis declarabimus.

Manet nimirum Vita hæc media, in Archeo transmutato, ex Archeo transmutabili priori corrupto, non aliter ac Forma Ossis in defuncto Homine. Nam licet Stomacho insit Vis fermentalis,

mentalis, quæ sibi ingesta resolvat, ac deinde in aliis Officinis perfectè eadem transmutentur: non potest tamen modo, quidquam tam perfectè in nobis, immediato Digestionum fluxu, assimilando transmutari, quin de cætero non supersint prioris concreti obtusiores Qualitates Vitæ mediæ Rei. Ex qua nimirum Necessitate contingere videtur, quod assveta alicui Homini Alimonia diversorum climatum, imprimat in partes solidas admodum peregrina contagia Proprietatum & inclinationum. Unde tot unius Naturæ humanæ contingunt difformitatum Dissimilitudines. Hinc videmus Hominem Germanum, per multos Annos in Italia, Hispania, Gallia victitantem, non tantum Mores, sed etiam Complexionem faciliè induere illarum Terrarum.

Itaque nisi concedatur hæc nostra Assertio, nulla erit Medicaminum Potestas, ut neque Morborum Occasio. Nihil enim facilius operatur ad sanandum, quam quod per sui transmutationem penitissimè intravit in intima, & proximè unitur illi Membro, quod sanari debet. Sic in Cibis, licet pristinae Ciborum Formæ prorsus perierint, mansere tamen operativæ Proprietates, prioris Vitæ mediæ: idque in secundam & tertiam subinde generati transmutationem: sensim nempe fatiscente nativâ Vitæ mediæ proprietate, sub ascendenti Archei Dominio, cujus vi Fermenti subacta est Materia. Sic etiam quoad Morbos, plura ex Cibis, licet inter transmutandum insigniter cum Archeo nostro diffideant, quia Fortitudinem & alias incapacitates habent, i. e. sordes aliquas & impedimenta Nutritionis & Digestionis: incorporantur videlicet nobis, cum nota Vitæ suæ mediæ, quam difficulter exuunt; subiguntur tamen denique, sin minus rejiciuntur cum Excrementis, post relictum in nobis Contagium: ideoque tandem degenerant in Sordes, Morborum Occasiones, quibus Archeus noster diversimode commotus & indignatus, sibi deinceps Morbos format. Quæ omnia

omnia non contingerent, si nulla Accidentia in Corruptione, aut Generatione transirent de Subjecto in aliud Subjectum. Has igitur Qualitates superstites, transeuntes, nos ambulato-rias vocamus. Unde quod Scholæ Aristotelicæ clamant esse impossibile, illud idem nos ostendemus esse Iter commune & necessarium in Natura, adeoque negamus absolutè, necessarium esse, Materiam Generationis denudari omni prorsus Accidente prioris sui esse, nec Dispositiones prævias superesse posse, & quod cuilibet Generationi succedat necessario Corruptio, aut Privatio. Qui plura videre desiderat de hac Generationis & Corruptionis Materia, consulat Autorem sæpè memoratum, citatis §. §. 20. 21. 23. 24.

Vicissitudo ergo Rerum in Natura, & in hac Lachrymarum Valle, non est meretricius ille Appetitus Materiæ Chimericæ, impossibilis, Hyles Aristotelicæ, sed procedit ex Potestate Archæi, Rerum efficientis, ut explicatum est, in quo Odor & Sapor Vitæ mediæ Rerum, generant seminalem Imaginem, omnis Transmutationis Originem. Decepit Aristotelem in hac Transmutationis (absque Accidentibus ullis remanentibus) Materia, Mathesis, ut in aliis. Sicut enim Species numerorum, quibus nec minima unitas, addi vel subtrahi potest, non permanet prior, quin continuo ipsa mutetur Species; idem plus putavit fieri in Rerum Speciebus, in quibus nihil manere possit, vel addi, vel subtrahi, ex alieno; sed diversitas est per se manifesta in Physicis & Mathematicis. Similiter à Mathesi deceptus est in Materia sua prima. Sicut enim Mathesis, sibi proponit Corpus sine omni Accidente, omnium tamen Figurarum capax; sic hanc Speculationem pro libitu etiam in Physicam intrusit, ac in Naturam realem, & huic Materiæ affinxit Appetitum, Vicissitudinis assiduæ Formarum amantem, ejusque esse unicam Causam, i. e. censuit suam Materiam, omni Forma & Qualitate vacuum, solo autem Appetitu meretricio ad omnes & quas-

libet Formas, omnium Formarum capacem, sicut Figurarum Corpus Mathematicum: quasi vero omnium Rerum Natura, non potius appetat sui Conservationem, quam perpetuam istam Formarum Permutationem, per continuas Corruptiones priorum. Imo evidens est, omnem Rem, Appetitu naturali, desiderare magis permanere, quam permutari aut perire.

## §. 4.

*Explicatur, quid sit Vita media Rerum?*

Ut superiora melius intelligantur, Vita media Rerum dicitur respectu duarum extremarum. Prima dici potest recepti & operantis Seminis (v. g. in Generatione Hominis) sita in Archeo, Rerum agendarum Potestate dotato. Quæ Vita cum nacta est Maturitatem aliquam, ut, v. g. dum Semen Corpus fit, habens Carnem & Ossa tenella, juxta Speciei requisitum, tum adest Rei hujus Vita media. Ex Archeo enim, tanquam Mediatore, Vitæ Organo, ipsam Vitam metiri convenit. In Seminibus ergo, gliscit Vita Archei prima; in Embryone verò Vita media. Ultima verò adest, cum totalis Perfectio Rei adest. Quæ quidem etsi sit Vita ultima Rei, est tamen media, si Vita prima Rei inchoet, cum ultima Seminum. Prima ergo Vita Fructus, est ultima Seminis. In media Vita, Herbæ, Radices, & Caules accrescunt: Flores vero & Fructus, Vitæ ultimæ minantur Periodum. Hanc Vitam nimirum in Rebus mori necesse est, si Utilitas ex Alimento & Medicamine sit speranda.

Debent scilicet ultimæ Vitæ Rerum retrogradi, ut Res in Succo, cui Archeus ab Initio nupsit, Virtutes explicet, deponendo nempe Nomen, & Proprietatem Vitæ ultimæ, ut ad mediam resurgat. Quæ Mors non est extinctio & vera Mors Rei; sed potius Transmutatio tantum. Explicationem Uberiorem per Exempla Practica vide §. cit. 24. n. 28. & seq. Nobis hæc attigisse obiter sufficiat.

Itaque

Itaque in Substantia repetendo, quot sunt Sapores & Odores in Rebus Specifici: totidem quoque Vitæ mediæ Proprietates peregrinæ, quotidie per alimenta suggeruntur. Hæc enim sunt Fermenta aliena, quorum Alteritate fatigamur. Nam nulla usquam Generatio contingit, quam non præcedens Dispositio in Materia suscitaverit: Fermentum itaque ejusmodi, innatum rebus Saporem & Odorem alterat, unde Archei sensim ab Obedientia Seminum abducuntur, & peregrini Fermenti Illusionibus auscultant. Breviter: Residuitates Vitæ mediæ, tam in alimentis, quam in excrementis, sunt ferè omnium Ægritudinum occasionale Initium. Odores namque & Sapores, ut supra monuimus, in Corporibus Seminum, Appetitum, Aversionem, vel Neutralitatem pariunt. Appetitus autem sic motus, Imaginem in Archeo, non aliter pingit, quam in foetu prægnantis, quæ Imago est Essentia invisibilis Seminum, concitans ad complectendum vel abhorrendum. Odor autem neuter interfert statui & quieti. Sic ergo Sapores in Vita media adhuc in transmutatis Rebus, ceu noviter generatis, supersunt.

## CAPUT X.

## DE MIXTIONE RERUM.

**R**etulimus supra Cap. II. Sect. III. §. 3. tres Sententias, easque communissimas, de Rerum Constitutione naturali, Temperamento, Complexione, Inclinationibus, Viribus. Quarum prima omnium Rerum Complexiones & Constitutiones naturales, ponit in Mixtione quatuor Elementorum, aut Qualitatum Elementalium contrariarum, continue inter se pugnantium, & sic Temperamentum naturale conservantium. Secunda vero hæc omnia fundat in Mixtione quatuor humorum, Pituitæ, utriusque Bilis, & Sangvinis. Tertia vult eadem misceri ex diversis Astrorum influxibus. Has omnes hic ex professo examinemus, quomodo subsistant.

## SECTIO I.

*De Mixtione Rerum, ex Contrarietate quatuor  
Elementorum.*

**E**AM Sententiam defendunt mordicus Scholæ, tum Aristotelicorum, tum Galenistarum Medicorum. Advertentes enim Ignem per Aquam extingvi, & Aquam Igne calefactam evanescere, jam se Leporem Auribus tenere rati, statuerunt pro Regula generali, omnes ferè Morbos, eorumque Remedia, imprimis in istis Corporibus Elementorum, aut eorum Qualitatibus consistere, adeoque docuerunt audenter, Ignem esse Aquæ hostilem, è contra vicissim. Unde Decreto naturali sanxerunt in nobis congressum quatuor Elementorum, invicem continuo Bello pugnantium & contrariorum, in nobis continuam & inexcusabilem velitari luctam. Quare licet foris nihil lacerasset, fore tamen, ut quandocunque Intemperies, seu Morbus ac Ruina, sponte adveniant, Mors, inquam, ex Elementalium Compositionis Necessitate erumperet. Sic illi. Hæc Sententia Aristoteli & Galeno tanquam Ethnicis videtur indulgenda, sed nequaquam Christiano-Catholicis, ut paulo post magis ostendemus. Statuunt igitur communiter Scholæ, sola Contraria fore Contrariorum Remedia. Quasi Medicina non operaretur Physicè, sed per solam Mathesin stare; quod nos hic absolute negamus, & dicimus hunc universalem Apicem erroneè positum esse, qui per Contrarietates i. e. Rixas, Lites, Bella, Pugnam, Crisesque sanandi tritam orbitam consignat. Quæ omnia esse mera Somnia & Fabulas, nunc ostendemus per plura Argumenta evidèntia.

## §. I.

## Argumentum I.

Constat ex hætenus deductis, non dari quatuor Elementa, sed omnia naturalia constare ex Aqua & Seminibus. Ergo cor-  
ruit

rui Mixtio somniata ex quatuor Elementis contrariis, aut eorum Qualitatibus pugnantis. Si enim illorum Substantiæ essentialis non dantur, etiam eorum accidentales Qualitates necessario non existunt.

De absurdis existentiæ Ignis elementalis, & ejus continuo descensu contra Naturam, ad singulas Generationes & Mixtiones naturales, vide supra Cap. II. Sect. III. §. 3. & Cap. V. Sect. I. de Elementis in Specie, item de Terra ibid.

## §. 2.

## Argumentum II.

Sententia Aristotelis firma est, Materiam suam, omnis Generationis Subjectum, esse privatam omni prorsus Accidente, consequenter omne Accidens, tam innatum, quam superveniens, dependere & profluere à Formarum Gremio: Sic quidem, ut omnis Activitas, tam Materiæ, quam Accidentium, necessario dependeat à Forma, ejusque Præludio in Archo. Similiter docet idem Aristoteles (& cum eo Scholæ) Substantiis tam materialibus, quam formalibus, nihil posse esse contrarium. Si ita est, ut tenetur ab omnibus pro certissimo, non apparet unde Accidentia suam sibi Contrarietatem emendicabunt, præcipuè quæ sunt nuda, immediata, & mera Formarum suarum Organa? unde enim hanc Contrarietatem hausissent illa, quorum Materia & Forma (totalia scilicet Accidentium Principia) omnem à se repellunt Contrarietatem? præcipuè cum Accidentia in se considerata, non tam sint Entia, quam Entium, adeoque nihil sint, nihil operentur. Igitur necesse est, si in Natura est aliqua Contrarietatis Intentio, eam primario esse in Principio activo, i. e. in sinu Formarum, Unde sequitur necessario hoc Dilemma, quod vel hætenus Formæ ipsæ (quas putant plerique esse Substantias, contra nostram Opinionem) sibi invicem sint actualiter & potentialiter con-

trariæ jure primitivo, consequenter falsum erit, quod Substantiis nihil sit contrarium; vel quod Accidentia eandem Contrarietatem habeant, independentem à Formis suis, & ex propria sui Natura, extra & contra Possibilitatem ipsarum Formarum, i. e. quod Accidentia non amplius sint media, immediate producta, & Organa Formarum, sed ex se orientur, stent, perseverent, & agant, etiam invitis Formis, extra & præter Formas; adeoque sint Entia independentia, & non amplius Entium. Vel certe tertio, affirmandum est nobiscum, nullam esse in Natura Contrarietatem, præterquam inter Agentia libera, electiva, sensitiva, irascibilia.

### Argumentum III.

Si esset in Natura Physica Contrarietas aliqua, (semper excipimus irascibilem, sensitivam, nec loquimur de Terminis oppositis, & Relationibus Logices & Metaphysices) illa certa esset in manifestis & primariis Elementorum Qualitatibus. Atqui in his nulla est Contrarietas. Ergo alibi nusquam. Major probatur: quia Scholæ primarias Contrarietates in mixtis desumunt ex ipsis componentium Elementorum Contrarietatibus. Minor probatur per Experientiam. In Alpibus enim, continua Nive rectis (narrat Helmont. §. 15. n. 14.) ubi loci Frigus est immane, & Sol, nisi ningat, serenus splendet, vidi, inquit, Sodalem, in latere, quo Solis Radii ipsum directo, tota semisse diei, ferierant, Faciem & Cervicem habuisse ambustas, non secus ac si Cantharides applicuisset, idque sine Doloris & Caloris sensu experiebatur. Nec hoc fieri potuit ob nimiam Aëris & Caloris Subtilitatem. Caloris enim Gradus, non autem Subtilitas aut Puritas, urunt. Imo Corpus densius, ut Ferrum, ferventius urit, quam Carbo rarior. Multoque minus propter Radiorum Reflexionem id fieri poterat. Urebatur enim parte, qua Sol, non autem adversa, qua Montis Reflexio feriebat. Frigus enim Loci facit,  
qvo

quo minus Solis radii sentiantur. Hinc igitur constat, utrumque hic simul stare, simul operari, Calorem Solis, & Frigus Locum, & quidem in Gradu intenso. Unde etiam Nix in illis Montibus Helvetiis & Sabaudia, non liquatur illo Solis ardore, eo, quod Frigus Nivis, & Locum simul, adaequatum sit Calori Solis. Ergo ibidem Calor & Frigus, intensa, simul in eodem Loco, Tempore, & Subjecto Aeris sese compatiuntur. Ergo non sunt Hostes contrarii, rixosi, duellantes. Deductionem fusioem, & clariorem vide apud Autorem praefatum, §. 25. n. 24. 25. & seq.

Ad Confirmationem hujus Probæ Helmontianæ, non possum non, ego, qui hæc scribo, hic narrare, quæ mihi non semel, hic Pragæ acciderunt, non absimilia. Sæpius enim rigidissima Hyeme, Januario & Februario Mense, sensi Habitum meum ad Fumigationem usque aduri, Radiis solaribus per Fenestræ Vitrum, Tempore Meridiei, dum aliquamdiu prædicti Radii Manicam meam, aut Pallium feriissent. Et interim tamen Aer externus maximè algebat, & Nives perdurabant congelatæ. Ergo in eodem Aëre simul hospitabantur Radii solares, habitum per Vitrum illud accedentes, & Frigora. Similiter fervens Aqua infusa frigida, pari Proportione, licet statim in commixto Teporem excitet, utraqve tamen Qualitas, Calor & Frigus, gradu intenso, est in isto Tepore, non secus ac in jam præfato Aëre Alpestri, hyemali: tametsi Sensus eas non distingvat. Nam alias est impossibile, ut Calor ille Aquæ, per Graduum momenta acquisitus, pereat simul mox in instanti illo. Imo, nec est pugna Contrariorum, quæ istum Teporem statim generavit, sicut neque Victoria Frigoris Calorem superantis, aut excedentis, dum prior Calor remittitur: sed Calor in Aqua est Rerollæum (est Terminus Paracelsi, nempe, Qualitas non habens in se Ens seminale, quales elementales Qualitates, item Calor & Signatura Rerum simplicium) Relollæum, inquam,

inquam, est ille Calor in Aqua transiens, quia violenter introductum. Ideo enim cessante Igne, à quo productum, seu Calor ille productus, sua spontè minuitur statim & cessat, si non fovetur amplius, i. e. Calor in Aqua fervida, per minimas Subjecti sui Atomos divisus, sua spontè perit, non autem à Contrarietate Frigoris victus expulsiuè. Ulteriore Deductionem hujus Exempli vide loco cit. §. 25. n. 25. 26. 27.

Ne dicas in contrarium, quod Ignis extingvatur ab Aqua, propter contrarii Frigoris in Aqua praesentiam. Nam si hoc verum esset, Aqua fervens non extingveret Ignem, quia caret Frigore. Et interim tamen Aqua eadem fervens, eodem modo extingvit Ignem, ut frigida. Ergo non extingvit Aqua Ignem, propter frigus. Similiter Ignis fortius cremat sub Flatu & Frigore Boreæ, quam sub Flatu Austri calido: Foliumque frigidissimus Flatus, semper Ignem magis accendit, quam quod extingvere deberet Contrarietate Frigoris. Aqua ergo Ignem perimit, sed non vicissim Ignis Aquam perdit. Ignis etiam Aquæ cedit, non Frigore ejus victus, (calida enim eo caret) sed perit suffocatus, quia Aqua Fuligines ejus impedit evolare, quæ Ignem sic suffocant; ut videmus quotidie in Fornace totaliter clausa, ubi fuligines non possunt exire. Sic etiam Oleum fervens Prunam candentem extingvit.

Similiter, si contraria, juxta Scholas, debent esse sub eodem Genere, Ignis igitur non potest esse contrarius Aquæ, cum Ignis non sit Substantia, ut supra fuse probavimus. Denique si Ignis & Aqua sibi invicem essent contraria, id esset primario, per se, substantialiter, & sic immediatè essent contraria tanquam simplicia: eoquedato, deberet eorum Actio & Pugna esse par & æqualis; sed hoc est falsum, ut patet ex dictis. Et quis non apertè videat summam Disparitatem inter Actiones Aquæ & Ignis, tam in genere, quam in Specie, quæ ad Oculum possent demonstrari fuse: sed non est operæ pretium in Re alias  
manife-

manifesta: Contraria autem debent esse, juxta Aristotelem, sub eodem genere. Tandem demonstratum est supra, Substantiis nihil esse contrarium: ita docent ferè omnes. Si igitur Ignis & Aquæ Substantiis nihil est contrarium: Ergo nec eorum accidentibus. Quod si non sunt contraria, nec in Substantia, nec in Qualitatibus, corrui tota illa deprædicata Rerum Mixtio elementalibus quaternaria. Nam horum tantum duorum, scilicet Ignis & Aquæ intuitu, finxere Aristotelici omnem Mixtionum & Complexionum Contrarietatem in Universo. Sed antequam hoc Argumentum de Igne & Aqua, seu Frigore & Calore se invicem compatiente in eodem Hospitio, claudamus, pro Elucidatione majori Exemplorum jam adductorum, prius notanda videntur sequentia: quantum ad Exemplum Alpium & alterum, quod ibidem intensum Frigus hospitetur immediatè in Aëre, intensus verò & vesicans Calor, ibidem sit ex parte Luminis solaris, adeoque immediatè in Loco ipso Aëris, in Aëre verò mediatè, Sed cum iste Locus penetret Aërem per totam sui Substantiam, & Locus illuminatus calefaciat simul Aërem ipsum, quem ideò Lumen simul penetrat, idcirco est in eodem Aëris puncto intensus Calor simul cum intenso Frigore; quorum amborum nexus, gratum, & sensui amicum Teporem profert, illusorium tamen. Quia effectus utriusque Qualitatis connexæ, prodit Intensionem magnam sub illo Tepore, vesicando nimirum & congelando, ideoque nec Tepor causatur, quatenus ambæ Qualitates connexæ, æqualiter intensæ, per Pugnam Contrarietatis sese confringant, & reducant in mediam plausibilemque Symmetriam, sed Sensus & vulgares Philosophi (qui se juxta Sensualitates, ubique absq; interiore indagine labi sinunt) sunt Rerum naturalium nimis improprii & rustici Judices in hac Causa. Hæc contra Ignis & Aquæ, eorumque Caloris & Frigoris fictitias Contrarietates. Idem est de Humiditate & Siccitate. Hæ enim Qualitates vix sunt intelligibiles in abstracto (Calor

autem, saltem sic considerari potest in Manu, præter aut extra Ignem, in Subjecto sibi improprio, quale est Aqua) sed Humiditas & Siccitas, sunt potius ipsa Corpora, ut sic dicam, qualitata. Nec ideo acquiruntur hæ duæ Qualitates per partes, ut Calor & Frigus per modum Qualitatum. Humiditas enim propriè non producitur, sed addito Corpore humido ad siccum, apponitur plus humidi, & sic impropriè Humiditas grandescit, i. e. increfcit quantitativè: non autem qualitativè. Aqua autem nunquam siccescit, licet Oculos fallat evanescendo, nec totus Universi Ignis, ab unica Gutta Aquæ, vel minimam Humiditatem delere potest, aut minuere; multò minus quicumque Calor aut Qualitas quæcunque. Denique Siccum sonat proprie exsuccum, & continet tantum Negationem humidi. Et licet admistione siccii videatur Aqua minui in Luto, Aqua tamen semper servat suam intrinsecam Humiditatem, & in eandem tamen omnia Corpora resolvi possunt. Sicut & Corpus siccum pariter servat suam Siccitatem. Nam in Radice illorum Mixtio non est penetrativa: sed sola partium Appositio, & juxta Positio. Humiditas ergo & Siccitas sic obligantur Corpori, ut nullatenus possint ab eo distingvi. Aqua tota quidem in Halitum potest evanescere: nunquam tamen vel minutum Siccitatis assumere. Ergo nec inter Humiditatem & Siccitatem, ulla datur Contrarietas pugnans, dimicans, alterum hostiliter perimens.

Falsum igitur est ex dictis, quod quatuor Elementa, aut eorum Qualitates, inter se sint Contraria pugnantia, quæ confluant in Rerum compositiones, pugnentque in talibus Mixtis, quibus clauduntur, non secus ac in sui Simplicitate ob Contrarietatem, quodque ideo se conficiant, mutuo Bello incessante, totiesque à Privatione resurgant iterum immediatè, & se denuo in infinitum mutuo devorent, rursusque evomant perpetuo.

Argumen-

## Argumentum IV.

Positis tamen (sed non concessis) ejusmodi Bellis continuis, inquirere necessario deberemus, quis ergo sit ille Appetitus in Elemento, se ipsum ampliandi? vel Motus ille supra terminum à Creatore semel sibi constitutum? Nam imprimis, in Elemento isto vel illo, non est ulla fames, sitis, penuria, vel simile aliquid defectuosum, cui à Creatione subessent. Nec etiam patiuntur Elementa defectus, multo minus Sensationem defectuum. Nam quodlibet in se est primum & simplex, nec admittit Connubia, nec consumitur per Alimentationem, per que sui Commutationem, nec habet Excrementa, nec ea ejicit, nec Rubiginem patitur, nec degenerat fatiscendo, in aliquod Corpus se purius, se simplicius. Deest ergo in Elementis necessitas ulla, qua se hostiliter appetere consumere. Vidit enim DEUS omnia, quæ fecerat, & erant bona. Si ergo duo pugnarent invicem, saltem ista Pugna necessario esset magnum & continuum malum, cujus Autor esset ipse Creator. Sequeretur enim inde, quod talis Proprietas Elementorum non esset à DEO, neque ex Peccato, ergo ex aliquo majore, quam sit DEUS.

Sin autem Elementa dicantur sic à DEO creata, ut unum continuo commutaret aliud in sui Naturam, non quidem ob Hostilitatem mutuam, sed propter Necessitatem Nutritionis: licet hoc Subterfugium ridiculum supponat, habemus tamen intentum nostrum, i. e. Ablationem & Falsitatem Contrarietatis pugnantis. Sed revera vanum & falsum est hoc Commentum. Ista enim Suppositio non potest simul subsistere, cum ipsa Thesi. Nam supposita hac Excusatione, necesse esset Pugnam fore & resistantiam. Alias enim unum Elementum statim in se converteret alterum, sibi contiguum. Non enim est superandi Difficultas, ubi nulla est Pugnae aut resistantiæ Necessitas.

Quælibet enim pars Elementi haberet eandem *Passionem*, Motum & *Desiderium*, ad devorandum sibi vicinum, qvalia in Partibus aliis sibi agnatis supponuntur. Adeoque istæ *Activitates* intenderentur in immensum, ut facilè statimque substratum sibi Elementum, absque *Reactione* in sui Naturam converteret: & hæc sic conversa, deinceps rursus incessanter alia & alia subsequerentur; consequenter jam dudum unum Elementum devorasset alterum sibi vicinum: saltem Aër ille supremus, quiqve longissime distat remotus ab Aqua, tædiosissima & longissima Siti pressus, jam dudum periisset, aut saltem Tædio langveret, orbatus Alimento suo naturali, ut supponitur.

### Argumentum V.

Demus etiam omnia deducta hucusque, saltem sic *Creaturæ* essent ordinatæ à DEO, cum Appetitu turbandi Ordinem & Harmoniam Universi, & primæ suæ constitutionis. Haberent nimirum *Appetitum* introducendi Rerum *Dissolutionem* & *Disproportionem*, primam *Proportionem* superandi, perimendi, & in se transmutandi vicinum, prout faciunt publici Latrones, Prædones, Terrarum Vastatores.

Certè hæc *Pugnæ Naturæ*, videntur à Dæmone esse persuasæ, ut sic Homines suam irascibilem, & Vicia sua excusare possint, & accommodare Rebus illa carentibus. Putant enim harum *Pugnarum* Assertores, & ab Ethnicis edocti Philosophi, & ab his Vulgus simul, in Natura esse majus, gloriosus, & melius vincere, quam vinci: Pares & Vicinos suos subigere, quam subigi. DEUS vero optimus, longe alia nos docuit, in Naturæ apice, gloriosius esse pati, quam inferre injuriam, vinci à Fortiori esse beatius, quam dejecisse Inferiorem. Cum ergo DEUS in suis *Æstimationibus* errare nequeat, hinc Ethnicorum, eorum Sectarum, & Vulgi *Æstimationes*, non à Veritate Naturæ, sed à Thymosi & Fragilitate nostra dimanarunt in hac.

Materia

*Materia.* Ideo sunt erroneæ & abusivæ, quatenus oppositæ sunt Judiciis scilicet Divinis. Nec etiam credibile est apud Christiano-Catholicos, quod ea, quæ DEUS contemnit & odit in Homine (Rixas, Lites, Bella:) eademq; prohibuit, illa tamen eadem possit in Legis simplicitate & Naturæ Necessitate, tanquam gloriosa & necessaria laudare & statuere, i. e. ut sint in Natura. Contrarietates, Pugnæ, quas in Homine longe vult abesse.

### Argumentum VI.

Si ulla esset in Rebus Sensu carentibus, vera Contrarietas illa necessario surgeret & præsupponeret Conceptum Odii & Hostilitatis, in primis suis formalibus Initiis radicaliter sigillatum: ratione cujus Agens ex propria Philautia sibi concitaret Odium in Patiens: vel haberet istud Odium singulariter à Natura sibi inditum (propter Repugnantiam) aliquam Dissimilitudinem & Alteritatis nisum; idque sumatur quomodocunque, est fateri in Formis substantialibus radicales, seminales & medullares dari Contrarietates; adeoque Substantias ipsas sibi esse immediatè invicem contrarias, quod tamen est contra Aristotelem, omniumque Philosophiam.

### Argumentum VII.

Certius ergo est, Naturam agere universa per medias suas Proprietates, nullo sibi proposito scopo Contrarietatis, Odii, Dissimilitudinis, aut Pugnæ. Nam ex Fide primò verum credimus, DEUM esse Autorem & Rectorem assiduum Naturæ: suamque Creaturam ubique in Bonitate, quantum potest, exprimere & testari: Denique DEUM esse fontale Initium Amoris, Concordiæ & Pacis; odisse quoque Discordias & Contrarietates, adeo, ut si potuerit Universum condere absq; Rixis & Contrarietatibus, id fecisse, sit extra dubium. Atqui id ipsum potuit, quia omnipotens est, & fecit omnia, ut voluit. Ergo etiam id fecit. Minor probatur: quia ipsi nihil reluctari potuit, nisi quod vo-

luit facere liberum, ut Homo & Angelus: sed Rerum Semina, seu Naturæ agentia, non donavit DEUS Libertate volendi. Ergo neque Agentia Naturæ, reluctari potuerunt DEO. Ergo consequenter fecit illa juxta beneplacitum sui Amoris, Bonitatis & Pacis.

*Confirmatur.* Sic dum sumo Cibum, nunquam in me inuenio contra Cibum Contrarietatem, ut neque in Cibis contra me. Sin verò Copia, aut Qualitas Cibi me offenderint; defectum quidem in me experior, non autem Contrarietatem. Nam si quis averfatur Caseum, non arguit Contrarietatem, sed seminalem Dispositionem, nocuum aliquid operantem: vi seminali à DEO directâ. Nam propter necessarias in Rebus Vicissitudines, non debemus dicere Qualitates quaslibet nocuas, esse Hostilitates & Inimicitias Rerum. Id enim tantum fieret per Metaphoram, aut Figuram Rhetoricam, & Poëticam, si eo nomine illa sic vocaremus. In Philosophia verò naturali loqui oportet proprie, ubi Verba alias Sensum mutant, Rerumque Essentias alienant: & præcipuè, ubi inde tota medendi informis Crasis, in Perniciem humanam distorta est. Contrarietates enim, non tantum Vultum Naturæ toridem Vitiis conspurcant, quot sunt Rerum Agentia & Proprietates, sed & ipsum Naturæ Parentem, DEUM, videntur accusare, quasi Odiorum, Rixarumque Factorem & Fautorem. Adeoque totum Universum sic esset tantum Hostilitatis Hospitium, perpetuum Duellum, & vera Erynnis, nusquam sui Creatoris Typum exprimens: quæ omnia sunt Absurda. Ergo Contrarietates non sunt in Natura à Creatore, qui eas aspernatur in electivis, liberis, & multò magis in iis, quæ ipse condidit juxta Archetypi sui Exemplar. Si verò Contrarietates Rerum venirent à solo Errore, detortorum à consueto Seminum, saltem sic Contrarietates hæ non subsisterent, nisi in Effectibus monstrosis, & ideò perperam sic intruderentur in Naturæ ordinariæ Syntagma. Denique sunt valde inter se diversa, & distant, aliquid egisse conceptu Contrarietatis,

&

& aliquid operatum esse, per Obedientiam Seminum, debitam datis à DEO Proprietatibus.

Concludimus. Ergo contraria in Natura admittere, est Errores statuere in Intentione, Mediis & Fine Naturæ. Natura enim penitus respuit Contraria, si Tonum ejus intimum, assequi speremus.

### Argumentum VIII.

Juxta Aristotelem, unum Contrariorum, toties prædicari oportet, quoties alterum, eo quod utrumque stet sub eodem Genere, & pari Privilegio gaudeat. Atqui cum tot statuuntur diversi Gradus & Species Calorum in Febribus, in Calore radicali, in artificiali &c. Si Frigus esset Calori contrarium, & in pugnam destinatum, deberent tot pariter diversi Gradus & Species Frigoris & Frigiditatis statui, tot diversis Caloribus (febrilibus, artificialibus, naturalibus) contrarii in eodem Gradu, Genere & Specie, i. e. deberent statui tot Frigora diversa positiva, contraria Calori tam multiplici, quot finguntur Febrium Species. Clarius: deberet reperiri Frigus specificum cuilibet Calori febrili v. g. Calori maligno, Frigus in eodem Genere & Specie contrarium: similiter putrido Calori, Frigus antiputridum: Hæctico, Anti hæcticum: Tertiano, Antitertianum: Quartano, Anti quartanum, eodem Gradu & Specie Frigiditatis contrarium, totidemque passibus, Passuumque excessibus, Calori repugnans contrario. Et quæ nam, obsecro, esset illa singularis & individua Actio tam diversorum Graduum & Specierum, quibus totidem Calores subjugati, ad Symmetriam cogerentur? Hæc omnia prius essent demonstranda & docenda, sed nihil horum auditum est hactenus. Ergo alterum illud Contrarium, etiam est nullius momenti & Figmentum merum ac Somnium Ethnicum, de Contrarietate diversa tot Calorum. Concludimus ergo, Qualitates Elementorum operari absque ullo respectu

Contrarie.

Contrarietatis & Altercationis duellaris, bellicæ, in compositis Naturæ.

### Argumentum IX.

Nunc ad Rerum Universi Systema descendamus, & ad Probationem in particulari. Ubi ante omnia excludimus Terminos contrarios; & contradictorios Logicos, de quibus hic nullatenus loquimur, qui tantum in Habitudine relativa sibi contradicunt invicem, in Rebus autem nullas habent Proprietates inimicas. Nec loquimur etiam hic de Privativis, nec etiam negamus Contraria in Vi irascibili; sed tantum affirmamus, DEUM in Natura Physica, non fecisse, quæ per Hostilitatem sese mutuo interimant, aut aggrediantur, i. e. negamus tantum in naturalibus Proprietates contrarias, seu Contraria positiva realia, in serie Actionum naturalium! Virtus enim moralis aut supernaturalis, habet sibi oppositum Vitium, oppositum de indole privativa: Igitur ad seriem naturalium descendemus. Et in primis producimus numerum Unitatis, qui neququam contrarius, est numero binario, licet recedant discreta per Alteritatem. Similiter sursum & deorsum, Oriens & Occidens, non sunt inter se contraria, sed tantum Situam Oppositiones, quæ per diversos respectus variant tantum, adeoque quod sursum est, alterius relatione est infra. Nec ideo Auris dextera est contraria Auri sinistra, licet sit opposita. Igitur non sequitur (ut Vulgus argumentatur) hæc Res est opposita, est nociva: Ergo est contraria. Nec etiam Volatile contrarium est Reptili. Idem enim Bombyx est utrumque. Nec Generatio ipsa contraria est Corruptioni, sed unicus Seminum fluxus à puncto ad punctum, per Lassionem, Ablationem, Amissionem, Extinctionemque Virium.

Similiter nec magnum parvo, nec rectum curvo est contrarium: cum unum idemque nunc parvum, nunc magnum; nunc rectum, nunc curvum, etiam simul esse possit. Idem est de  
dulci

dulci & amaro, duro & molli, aspero & glabro, gravi & levi, acuto & obtuso, coagulato & resoluto, albo & nigro. Quælibet enim Rerum Potestates in se absolutæ sunt, nec respiciunt alias à se diversas. Quodlibet realiter est, prout in se existit. Quod autem à nobis opponantur, & sibi invicem dissentiant, id rebus ipsis planè est ignotum, & omninò per Accidens, seu alienum. Sic Securis non secat ligna, nec Culter scindit Panem, nec Dentes conterunt Cibos, nec Ignis Culinæ emollit, affat, coquit Carnes, propter Contrarietatem, aut Hostilitatem, sed quælibet Proprietas agit, sine Reflexione ad Oppositum, quod à DEO jussa est agere.

Stultum ergo est, velle Contrarietatem adscribere iis Rebus, quibus nulla est Odii, Dissidii, Victoriæ aut Superioritatis Prætenso; adeoque nec ulla Contrarietatis Intentio, aut Contentio in Natura. Agit enim Res quæque, prout à DEO agere jussa est. Ubique manet Concordia & Unitas Naturæ, quæ nusquam sibi contrariatur: Imo horret omne Contrarium, & quidquid turbat Unitatem. Sic in Semine est Vis transmutativa Aquæ, in Terra Horti existentis; & sic unica illa Aqua transit in mille Herbas, calidas, acres, amaras, acidas, frigidas. Non quod Semen aliquod sit contrarium Succo, seu Aquæ Terræ hortensis; aut quod acido invidet aliud acre simplex sibi vicinum, quod sibi minus respondeat in Symbolo Unitatis. Absit. Prodeunt indifferenter ab Initio vitali suorum Seminum, in quo non hospitantur Contraria hostilia. Accidentia enim, cum sint Dispositiones Seminum, seu Entium absolutorum in se, nec relativorum; ideoque Contrarietates nescientium: sequuntur etiam ductum suorum Seminum, quorum sunt Organa, atque producta. Nec Cibus sedat Famem, nec Potus Sitim, quia inter se contraria, sed potius, quia Fermento Stomachi conformia. Nec item Venena nocent, quia contraria, sed quia sic à DEO jussa agere, à prima sui Creatione.

Et hæc sufficiant ad convincendam Fabulam de Pugna contraria Elementorum in mixtis. Qui plura desiderat, legat Helmontium §, cit. 25. per totum.

Quod si aliquis objiciat: hic tantum mere de Lana caprina disputari, de Nomine solo, & Terminis diversis &c. toto Cœlo errat. Cum enim Mundus hodie in his Contrarietatibus & Pugnis Elementalibus continuis, fundet ignoranter totam suam Basim medendi Ægris; si hæc Basis Figmentum est, ut probavimus, corruit certè tota hæc Ars medendi hodierna, & injuste tot Homines, pro Sanitate restituenda, occiduntur. Adeoque in hoc puncto agitur non de Lana caprina, sed de Pelle Hominis, & Vita pretiosissima.

## SECTIO II.

### *De Mixtione ex quatuor Humoribus, Pituita, flava Bile, atra Bile & Sangvine.*

Supponunt communiter ex his quatuor Humoribus constitui ac componi Hominem, Sangvinem & alias humani Corporis partes. De Sangvine nulla est Controversia, nec ullus de ipso negabit; tota Difficultas est de tribus reliquis, i. e. de flava Bile, atra Bile, & Pituita. Quæ an revera dentur & ita se habeant, ut communiter supponitur, hic est examinandum.

### SUB SECTIO I.

#### *In quo subsistat hujus Opinionis Substantia?*

Sicut Cibus & Potus, & inde confectus Chylus, est Causa materialis Sangvinis; ita volunt eadem esse Causam materialem etiam utriusque Bilis, & Pituitæ. Causa efficiens debet esse Hepar, & Venæ à Ventriculo usque ad Hepar intermediæ. Finis constituitur, ut alant partes constitutivas Hominis primas: & hoc ex Necessitate Naturæ, item ut Biles tingant Urinam & fæces, stimulent Alvum, excitent in Stomacho Appetitum

rum, & hoc pro utilitate Naturæ. Forma & Natura decernuntur *Pituita*, quod sit muccosa, salsa, incipiens seu imperfectus *Sanguis*, transiens tandem in *Sanguinem*, aquosa, frigida; *Bilis flava* debet esse amara, flava, ignea, aquea, æruginosa, incipiens, seu imperfecta atra *Bilis*. Tandem atra *Bilis* debet esse ex perfectè adusta, flava & torrida, frigida, terrea, nigra, atra. Via *Pituitæ* debet tendere ex *Sanguine* seu *Hepate* (alias *pituitam* & *Catarrhos pituitosos* volunt ascendere ex *Stomacho*) ad *Caput*, *Cerebrum*, denique ad omnia *Membra Corporis*; unde his *pituitis*, *catarrhosis*, ferè omnes *Morbos* deducant, adscribunt. *Semita Bilis flava*, altera etiam, debet esse universalis, altera à *Jecore* in *Lienem*, indeque in *Intestina*, pro *Excrementorum Pictura*, in *Ventriculum* pro *Vomitu*, pro *Appetitu*, in *Universum Corpus*, iterum pro *Morbo Ictero* inducendo. *Atræ Bilis* iter partim statuitur generale, idem cum *Sanguine socio*, partim ab *Hepate* in *Fellis vesiculam*, inde in *Stomachum*, aliquando etiam in *Caput*. *Hospitium & Officina peculiaris Pituitæ*, nulla assignatur. *Flavæ Bili*, *Lien* pro *Hospitio* assignatur: *Atræ Bili*, *Vesicula Fellis*.

Fundamenta horum *Somniorum* non alia invenio, quam meras *Parabolas*, à *Pari*, *Simili*, *Exemplo*. v. g. I. *Fundamentum* essentialiale est: Dantur in omnibus *Rebus* quatuor *Elementa*, seu quatuor *Qualitates elementales*: *Flava bilis* repræsentare debet *Ignem*: *Atra Bilis*, *Terram*: *Sanguis* haud dubie *Aërem*: i. e. *Pituita* agit *Partes & Personam Humiditatis*: *Atra Bilis*, *Frigoris*: *flava Bilis*, *Caloris*. Et quid *Sanguis*? absque dubio, *Siccitatis*. Nam hæc sola remanet sine officio, sine *Ministro vicario*.

II. *Fundamentum* est hoc: in *Lacte* reperiuntur quatuor *diversa*, *Serum*, *Butyrum*, *Caseus* & *Lac*. Ergo à *pari* in *Sanguine* dari debet hic *Numerus quaternarius*. i. e. *Serum* est *Pituita*, *Butyrum* est *flava Bilis*, *Caseus* est *Atra Bilis*, *Lac*, *Sanguis*.

III. Fundamentum est: Hi quatuor Humores apparent post Venæ Sectionem in Sangvine extra venato: Ergo etiam reperiuntur in interiori Venarum: iidem apparent ex Vomitu, ex Urina, ex Fecibus Alvi, ex Ictero, i. e. atra & flava Bilis, item Pituita. Ergo negari non possunt.

Sed perlustremus obiter seriò sincero, germano Oculo, singula hæc Commenta, & quidem Causam horum Humorum *materialem*. Estne possibile, ex unico, simplici Chylo, ex simplici Pane v. g. & Aqua comesta tam subito produci posse tot diversos essentialiter, & contrarios Humores, ut Humoristæ volunt? aut certè latet forsan in singulo Bolo Panis, aut singulo Potu Aquæ, aut in singulis Herbis simplicibus, in singulis Cibis, hic quaternarius Exercitus, utriusque Bilis, Pituitæ & Cruoris, Actû, vel Potentiâ virtualiter? Quis credat in simplici Pommo, in simplici Pane, & simplicibus omnibus, latere Choleram, Melancholiam, Pituitam? aut si quadruplex hic Effectus provenit non ab uno simplici, sed à pluribus diversis Cibis, has Virtutes in se continentibus, quis has sciet dignoscere, seligere? Ergo tot dabuntur Humores diversi, quot Cibi diversi manducati?

*Efficientem*. Quomodo contra Naturam omnium aliorum Agentium, Hepar & Venæ intermediæ, unicâ Sangvificationis Actione naturali univocâ, producent simul & semel, tot Effectus diversos, disparatos, invicem repugnantes & dimicantes? nimirum Cruorem, Pituitam, utramque Bilem: & has quidem duas in duplici Specie, quarum alteram cum Sangvine, Unitatem retineat, alteras duas, ut excrementosâs ad Lienem & Fel amandet: & sic idem agens Hepar, non amplius quatuor, sed 6. Humores diversos produceret, scilicet ultra quatuor illos celebratos, adhuc Biles has duas spurias, à Consortio reliquorum quatuor unitorum, in Exilium relegatas? Ut hic taceamus de septimo Humore, Lotio. Sed quis credat hæc omnia Paradoxa, & pugnan-

pugnantes effectus,unicam Causam & Agens, simul unicâ Actione patrare? contra consuetum aliorum naturalium Agentium?

*Fines.* Quid Pituita, Cholera, atra Bilis, necessaria ad Constitutionem Partium primarum? forsan, ut conferant Mollitiem, Duritiem, Humiditatem, Siccitatem &c. Partibus, quia ad hæc solus Sanguis est insufficiens? Ergone similiter ad omnia alia Corpora, ut constituentur & conserventur mollia, dura, sicca, humida requiruntur flava & atra Bilis, Pituita? Si autem tantum pro utili requiruntur, ut scilicet tingant Fæces, Excrementa: Ergone faciunt Color est tanti momenti, tanti emolumenti, ut ad Fæces aureo Colore fœcundas, sit opus tam periculosis Pictoribus, Tinctoribus, qui pro hoc Officio interea in Corpore humano tot mala patrunt, ferè omnes Morbos infligere asseruntur? Si verò ad Alvum stimulam, ad quid est ergo, v. g. naturalis Expultrix. Si tandem ad Appetitum acuendum, quis credat hæc Excrementa proscripita à Jecore, quæ alias ex sua Natura nauseam movent & Vomitus, illa eadem nunc, ex singulari Beneficio, inficiendo Stomachum, debere causare Appetitum, eum acuire, & non potius prosternere, ut quotidiana docet Experientia, in abundantibus ejusmodi Excrementis?

*Naturam & Formam:* Pituita muccosa, salsa, frigida; Sic potius destruet, obtundet Sanguinem subtilem, spirituosum. Et si Pituita est Sanguis inchoatus, imperfectus, quomodo differet essentialiter a Sanguine? Magis enim & minus, perfectum & imperfectum non mutant Essentias. Ergo jam non erunt amplius quatuor sed 3. tantum Humores, Cruor cum Bile utraqve? Bilis flava, unde scitur quod sit amara? gustarunt ne aliquando Humoristæ? certe Aqua Sanguini extravenato innatans, & Urina flava, falsum ostendunt hunc Saporem, amarum, per Experientiam. Et, si Bilis flava seu Cholera est ignea, quomodo hic Ignis subsistere potest in his tot Hu-

moribus aqueis fluidis? forsan Lumen & Candela Aquæ immerfa, nihilominus manebunt in extincta? Tandem si Cholera hæc est inchoata, imperfecta Melancholia, seu Bilis atra, Ergo utraqve non habebit diversas Essentias, Proprietates, sed erunt idem Humor essentialiter. Nam magis & minus non mutant Essentias.

Atra vero Bilis quomodo potest esse frigida, terrea, si oriatur a Bile, Matre ignea, adusta, torrida? Ergone Causæ igneæ, urentes, producent sibi è Diametro diversos, contrarios, frigidos? Et si atra est perfecta Bilis, jam non erunt duæ Biles amplius, sed unica tantum essentialiter: consequenter duo tantum Humores, Sanguis nim: perfectus & imperfectus, Bilis perfecta & imperfecta.

*Vias.* In Anatomia vera, impossibilis est Via Pituitæ ad Caput, Cerebrum, omnia Membra, ut infra ostendetur. Similiter Cholera præclusa est naturalis Via ab Hepate deorsum ad Lienem, ad Vesiculam Fellis, & inde reditus ad Stomachum. His omnibus manifestè contradicit Anatomia, ut infra patebit.

*Hospitium.* Lien & Vesicula Fellis longè sunt nobiliora Viscera a DEO ad finem excellentiorem fabricata, quam ut debeant esse Cloacæ Excrementorum præscriptorum. Et ad quid hæc Excrementa periculosa recondantur & conserventur tam studiosè, in Membris hisce præclaris, inter Membra & Rotas principales Fabricæ humani Corporis connumeratis? cur talia Excrementa non immediatè per quascunqve Vias expelluntur è Corpore, sicut Excrementa alia, Sudoris, Sanguinis, Pituitæ, Fæcium, Corruptionum, quorum nulli singulare Palatium aut Domicilium est dedicatum? cur his biliariis superfluis Excrementis, omnes Morbos in Homine patrantibus, parata sint tam magnifica Hospitia?

*Fundamenta.* Quæ est Consequentia, dantur in aliis Rebus quatuor Elementa; Ergo quatuor Humores in Homine?  
Nam

Nam I. falsum est Antecedens, ex superioribus. II. Eo etiam concessio, absurda est Consequentia. Nam eodem modo argumentari possemus, & inferre. Ergo in omnibus Rebus, in Lapide, in Ligno, in Herba, dantur hi quatuor Humores, utriusque Bile, Pituitæ, & Sangvine. Imo hæc Seqvela melior videtur, quam altera de Homine solo, & ex hac generali Seqvela, dependet hæc particularis humana: quæ falsa erit, si universalis illa falsa est. Eiusdem Farinæ disparis est, simile de Lacte. Scilicet Lac constat ex quatuor Humoribus. Ergo & Sanguis humanus. Nam reperientur quædam, in quibus plura vel pauciora dantur, in quæ secerni possunt. Ergo etiam inconstanter inferemus, tot diversos discordes Humores in Homine? Idem est de III. Fundamento, negabimus enim infra apparentias illas esse Biles, & Pituitam: & dato ita esse, etiam constat præter quatuor illos Humores somniatos, in eodem Homine, dari Urinam, Semen, sæpè etiam Hæmorrhoides ordinarias, & similia diversa, in Fœminis. Ergo plures sic statui debeant Humores in Homine, & quidem aliter in Maribus, aliter in Fœminis, aliter in hoc, aliter in altero Homine? Sed hæc omnia magis examinemus historicè & specialiter.

### SUB SECTIO II.

*Declaratur & narratur specificè, hæc Historia Humoristica.*

**P**utant ergò, præcipuè Galenistæ, absorpto in Mesenterii Venas Chylo, eundem de portari ad Portam Hepatis, Venam nimirum Caudicem, ex Ramulis, per Mesenterium in Intestina distributis surgentem, & sub transitu per exiles Venarum Ramulos, in Hepar extensos, Chylum talem Vi Hepatis converti in Cruorem, simulque in Pituitam & Bilem utramque: has dein ambas Biles partim separari in Lienem, & partim in Fellis Folliculum, ut scilicet Lien & Folliculum illud sint earum Custodes & Officinæ: reliquas vero in Hepate naturales duas Biles remaneant.

remanentes, tanquam Sangvinis Partes constitutivas & integrales, commisceri simul Sangvini, ad nutriendarum partium Corporis Necessitates. Et in horum quatuor Humorum Symmetria, seu Consonantia ac Temperamento, consistere omnem Sanitatem: in Ametria verò eorum hospitari omnes Morbos. Et hanc Ametriam Humorum, provenire tam ex Elementorum quatuor repugnantium continuo, Lucta perpetua, & hostili indefessaque Pugna innata. Pituitam ex his volunt esse Sangvinem nondum perfectum, inconcoctum; Bilem verò flavam esse Initium atræ Bilis, & tandem per adustionem, nescio cujus Ignis, retorrendo, transire in perfectam atram Bilem, seu Melancholiam. Utrique Bili affingunt sua Excrementa rejectitia, & Excrementorum receptacula Hospitia. Sangvini verò & Pituitæ, eorum obliti, nec Excrementum, nec Excrementorum Hospitium assignant. Adeoque tenent ex his quatuor Humoribus constitui Carnem, Sangvinem &c. ac easdem rursus resolvi in eosdem quatuor Humores, contra propriam Aristotelis Regulam, quod Formæ non detur regressus a Privatione ad Habitum. Decernunt nempe, ex Cibis fabricari Chylum, homogeneous quidem in Stomacho, qui tamen, separatis inde alvi Excrementis crassioribus, semper in quatuor Humores (præter Urinam) unica Sangvificationis Actione transmutetur, heterogeneos; nunquam verò in illa univoca Actione unica, fiat unicus, vel duo vel tres, quinque, aut plures Humores: & hoc propter Numerum & Reverentiam quatuor Elementorum, quem credunt firmiter esse Quaternarium. Unde consequens est, saltem hanc quaternariam unius Chyli Repartitionem, derivari, non quidem ex diversis Ciborum Varietatibus; sed prorsus essentialiter dependere, ex ipsa Sangvificationis Entelechia propria. Et sic unius Actus naturalis Scopus erit quadruplex, essentialiter differens, seu una Actio producet simul quatuor Effectus heterogeneos, essentialiter diver-

fos,

fos, contra ipsam Actionum Naturam, quod hactenus est inauditum. Hæc est Historia & Comœdia Humorum; Videamus nunc, quomodo ista sua Placita probent.

*SUB SECTIO III.*

*Historia Probationis quatuor Humorum refertur.*

**N**otant post Venæ Sectionem, sæpe Aquam aliquam supernatantem, & quia hæc Aqua ipsis sub flava & pallida videtur eam nominant Bilem flavam, seu Fel; licet re ipsa experimentaliter non sit amara, & careat essentiali Fellis Proprietate. Sedimen verò hujus Sangvinis extra venati per Sectionem Venæ, circa Fundum subsistens, ponderosius & aliquo modo nigrius, appellant Bilem atram. In medio vero hujus Sangvinis emissi, notant rubrum Sangvinem, in quo dum Fibras aliquas albas animadvertunt, Coagulationis gelatinæ Matres, has Fibras dicunt esse Pituitam.

Hanc statuerunt Anatomiam Sangvinis extravenati, seu per Sectionem emissi, & ex eo definierunt & dispartiti sunt Cruorem interiorem intra Hominem viventem, vigentem: Cum tamen scire deberent, hunc Cruorem extravenatum emissum, differre à Cruore intra Venas vivo, sicut differt Cadaver à Corpore vivo. Nam Sangvis extra venalis, statim moritur & corrumpitur, Spiritibus omnibus mox inde dilapsis. Unde male discurretur à Cruore corrupto, mortuo, ad Cruorem vividum, adhuc intra venas vigentem.

Ex his Aspectibus Sangvinis extravenati, mortui, facilis erat Humoristis trium priorum Humorum Dispositio, nimirum Sangvinis, Pituitæ, & flavæ Bilis; quia notarunt Fibras illas albas, aliquando in Sangvine, pro Pituita; supernatantem verò Aquam, pro flava & ignea Bile, & Sangvinem ipsum rubeum, per totum: sic putabant se tres quidem manutenere Humores essentielles Rerum constitutivos; sed quia recordabantur de

quatuor Elementis, omnia mixta constituentibus, deerat illis quartus Humor, pro complemento in Homine. Igitur, ut & in Humoribus istis corresponderet Numerus suis Elementis, excogitarunt tandem quartum, atram Bilem, Terræ vicariam. Nam Cruorem ævipararunt, seu substituerunt Aëri; flavam Bilem, Igni; Pituitam Aquæ. Restabat ergo Terra similiter accommodanda. In quo Puncto inquirendo, tandem ausu & Authoritate propriâ, jusserunt prodire in Arenam, Bilem atram, seu Melancholiam, à recocta ignea & fellea Bile genitrice; ita ut retento Bilis materno, sive paterno Nomine, jussa sit à flava Bile, in atram degenerare, & sic ab igneo Liqvore excogitato fabuloso, jussus est prodire Liqvor terreus, frigidus, torridusque amaror, in Fel adustum & sub tepore Vitæ, Aciditatem assumere, æquâ Importunitate, sicut in Carnibus & Humoribus mortuis, easdem torrere, assare, frigare solemus. Eodem modo & Privilegio ipsi in vivis Humoribus & Carnibus, procedere ineptè putarunt, adeoque ex Materia ignea (ò Absurdum!) jusserunt per Actum Ignis biliaris & teporis, fieri frigidum & terreum productum immediatè. Cum tamen interim illi omnes, etiam hodie accusent, quævis distillata, de Caliditate ab Igne mutuata. Igitur singulari Privilegio, sola Bilis atra debet ex Igne prodire frigida. Hæc Somnia obtruserunt Humoristæ pro certissima Veritate, ostendendo etiam *Icterus* & Vomitus amarus (præter Sangvinem extra venatum) pro flavæ Bilis Probatione, & eandem flavam Bilem deinde Lotio quoque, Stercoribus quibuslibet, etiam Sordibus Aurium & Oculorum in esse, audacter affirmarunt.

#### SUB SECTIO IV.

*Negantur & refutantur in Genere bi quatuor Humores.*

**H**Os quatuor Humores superiori Seculo Anno 1500. primus, tanquam Fabulas irrifit, Paracelsus, simulque delusit,

fit, Humoristarum Nomine, Galenicis, & Arabes Medicos, Vir Germanus Helvetus, 1541. die 24. Septembris mortuus, Medicus felicissimus, Chymicus eximius, Anno Ætatis 47. Nos hic aliqua tantum proferemus Argumenta, Falsitatem & Somnium horum Commentorum convincentia; simul tamen monemus aliqua ex sequentibus Argumentis, videri posse eadem cum prioribus aliquibus; sed si prima Fronte ita apparebunt, sciatur ea talia, licet in Verbis aliquibus; vel Parte aliqua, videantur eadem sonare, quæ jam fuerint dicta, singula tamen denuo novos habere Scopos, Nervos & nova facere Argumenta. Quod semel pro semper monuisse sufficiat præviè. Dividemus igitur singula Argumenta hic & in sequentibus in singulos Paragraphos.

## §. 1.

Non dantur quatuor Elementa, in Rerum Natura, nec Mixtio Rerum ex Elementis quatuor, ut jam abunde probatum est utrumque. Ergo hoc ipso corrumpitur Quaternarius quatuor Humorum, in illis principaliter fundatus.

## §. 2.

Paritas de Lacte, aut Cruore nihil urget, aut docet, imo est inappositissima. Nam Aqua supernatans Cruori extra venato, post Sectionem Venæ emisso, non est pinguedo Colostri, supernatans Lacti. Igitur vel hic est dispar Agens, vel dispar Materia, vel utrumque est dispar. Ergo in tanta Amborum Difformitate, id est Sangvinis & Lactis, non potest fundari quatuor Humorum Necessitas. Deinde plura reperiuntur sæpe in Sangvine extra venato, v. g. Sudor, Serum, Urinæ residuum, aliquando etiam pauciora apparent. Nam sæpe Cruor ille emissus, caret omni prorsus Sero, sæpè etiam per totum uniformiter totus rubet coagulatus; quod frequens est à multis Sudoribus, & Potus Abstinencia. Ergone tot erunt tunc etiam Humores essentialiter constitutivi, quot Apparentiæ externæ? Ergone Serum su-

pernatans, Urina, Sudor, in Cruore extravenato visa, erunt Synonyma cum Bile & Felle? & unum quid cum ipsa Sangvinis Essentia? Ergone sic aliquando erunt Humores, 1. 2. 3. 4. 5. 6.? Refert Helmontius, se vidisse & inspexisse aliquando unico mane ducentorum sanorum Rusticorum Sangvinem emissum, per Venæ Sectionem, ex Consuetudine sola. Ibi quidem Cruores erant subnigri, sæpe etiam sub viridi liqore permixti, subinde tantum leviter conspersi. Alius Cruor erat per totum aqvosus, alius mucosus, alius in Fundo rubebat, alius magis in Summitate. Alteri Aqua supernatabat clara, pallida, flava, quæ alibi inclusa latebat in medio Cruoris. Alius Cruor erat punctatim maculosus, alter per totum ex rubente pallidus, alter in puniceum, atrumve Colorem propendulus: prout demum alius per strata sub viridis erat. Interim omnes hi Rustici, erant in se sani, robusti; Ergone tot diversi Humores erunt fingendi, quot hic apparebant Sangvinis contenta diversa? Ergone idem singulorum Ciborum Cremor & Chylus, quotidie & semper in tot partes secabitur. v. g. juxta ipsos Humoristas in 6. nimirum Cruorem, utramque Bilem in Cruore retentam, & iterum in duas Biles excrementitias in sua Hospitia reclusas (præsertim, ubi verum Fel tota Proprietate differt ab illo liqore Cruori extravenato supernatante) dein iterum in Pituitam. Quibus 6. Humoribus, si *Lotium* addideris, jam ordinariè quotidie sic constituentur ex unico Cibi Chylo, & Cremore 7. Humores, non amplius quatuor deprædicati. Et hoc juxta ipsorum Humoristarum proprium discursum. Si autem considerare velimus illas ducentas rustici Sangvinis diversitates, jam ex unico Chylo,ificentur quotidie 200. diversi Humores essentialis Cruoris constitutivi. Quæ omnia sunt nimis irrationabilia.

## §. 3.

Mala ergo est Argumentatio à Sangvine extra venato, ad Sangvinem vividum, in Corpore adhuc vigentem. Est enim tanta

ta Disparitas inter utrumque, quanta inter Corpus vivum & Cadaver mortuum. Nam hæc Cruoris extra venati tanta Contentorum Heterogeneitas nascitur, postquam Cruor se disposuit ad mox futuram Corruptionem; adeoque Heterogeneitas ista accusat quidem Contentorum in Morte facta Disparitatem: sed non ideò infert vividorum Humorum similium necessariam Connexionem. Nam ut §. præcedenti vidimus, non in omni semper Sangvine reperiuntur omnia & singula hæc contenta, sed in uno majori, in altero minori Numero, & sunt potius effectus corrupti Sangvinis mortui, quam vivi naturalis.

## §. 4.

Igitur in Sangvinis & Lactis Corruptione, pessimè fundatur Figmentum Humorificum. Sanguis enim totus variè mutatur, etiam in Lac; quod Lac post sui Corruptionem tantum habet subordinatas Partes, Serum nempe, Caseum & Butyrum, nec unquam plures. Aliquando etiam totus in Ubre Fæminæ coagulatur in durum Tumorem, Casei Formâ: aliquando totus in Pus album, flavum, subviride. Aliquando in Liqvorem pungentem, rodentem, aqvosum migrat, ut in Cholera, Ulceribus: aliquando etiam in Liqvorem serosum, salum, totus recedit, ut in Hydrope, multisque Hydragogis: sæpe etiam Picis instar totus nigrescit, ut in Cruore extra venato, Gangræna: frequenter etiam in cinereum, putidum lutum, ut in Diarrhæis: alibi etiam totus in flavum virus, Icterus præfert, qualiter & in demorsis à Serpente cernitur. Alibi etiam totus Cruor absque Separatione Heterogenei mutatur in Melicerides, Atheromata, & in Diabete totus Cruor mutatur in *Lotium* lacteum: prout sub Tabe totus migrat in Sputum sub flavum.

An forsan ex his tot diversis Coloribus, Humoribus, totidem erunt statuendi Humores Hominis constitutivi, quot cernuntur Cruoris Degenerationes? Fortene tot erunt similiter Liqvores in Aqua, quot sunt crescentia ex Terra, seu Fructus ex

Aqua? Nam Cruor in nobis est instar Aquæ, nec Opus habet diversis Seminibus in Hepate, ut sit unicus æqualis Humor nutritius, sed in Culinis Membrorum ultimis suas assequitur requisitas Diversitates, quibus fungitur in Officio Nutritionis singulorum. Itaque constanter negamus, Cruorem, quamdiu vivit, habere Partes integrales disparatas ulla sui Heterogeneitate; sed omnem Diversitatem asserimus fieri, tandem post ejus interitum, aut Extravenationem. Unde inepta est Consequentia: Aqua supernatat Cruori mortuo. Ergo est Bilis fellea. Nam hæc Aqua non est de ejus Essentia, aut contentis, nec magis Cruori est agnata, quam Currus agnatus est Homini insidenti. Similiter absurdè sequitur: fundus Cruoris extravenati aliquando minus rubet. Ergo est atra Bilis. Prout Sedimentum Lotii, inferretur esse Pituita. Fundorum enim Varietas à Ponderum Præeminentia pendet in liquidis. An etiam Vir sani Judicii credat, Vinum, Cerevisiam, Herbarum Succos, suam Melancholiam ad Fundos cum Sedimine deponere? Quid enim commune habet Melancholia cum Heterogenea Sediminis Substantia? Quoad Colorem vero: omnis Æthiops habet Cruorem ferè atrum, plerumque verò absque sero: Nullus tamen eorum est Melancholicus: omnes autem iracundi; & tamen flava Bilis in illis deest. Sic etiam Cruor extravenatus, qui ab ambiente Aëre, vel continente, in Pelvi refrigeratur statim, rubescit magis, quam ille, qui ad fundum demersus diutius tepuit. Nam & hoc ordinarium est, quod extravenatus Cruor quilibet, statim in Corpore nigrescat. Quæcunque enim facilè putrent, facilè etiam admittunt Putredinis comites, citiusque putrescit pars Cruoris, quæ diutius post sui Mortem tepuit. Nec mirum ergo est, quod pars Fundi inferioris intensius nigrescat. Unde Heterogeneitas in Liqvore mortuo tepescente, aut mox putrescibili est Corruptionis adæquatam indicium. Et quid si Cruor ex pallido rubeat, an id proinde Pituitæ erit adscribendum? an Poma ru-  
bea,

bea erunt magis sanguinea, quam pallidiora? aut Pruna sub-nigra erunt magis melancholica, quam albicantia? Errant igitur toto Cœlo, cum suis Similibus à paritate Lactis, à Paritate Sanguinis corrupti extravenati, ad intrudendos quatuor Humores in Rerum Naturam, & Mixtionem Physicam.

## §. 5.

Videmus apertè in Distillationibus Chymicis, ex Herbis non nisi unicum saltem Succum clarificatum prodire, cur non pariter unicum tantum Liqvozem, seu Cruorem nostri constitutum agnoscamus? seu Sanguificationem simplicem & unicam Hepatis Actionem, univocamque, ex indistincto Cremore, unicoque Ventriculi fermento Chylum factum? Neque enim, licet pars Chyli vertatur in Lotium, ideò culpanda est Diffor-mitas agentis Hepatis, sed recipientis sola Incapacitas; neque etiam ideo Urinam pro quinto Humore amplecti audent Ad-versarii. Licet enim pars Lotii materialiter remaneat in Cruo-re, non est tamen de Natura Cruoris, prout Serum in Lacte alias est Pars essentialis Lactis. Aquam ergo in Cruore extravenato supernatantem (quam Aquam fatentur alias Humoristæ, Sudo-rem, Serum & Urinæ residuum, adeoque totam re ipsa credunt excrementosam; ergo non-essentialem constitutivam) hanc, inquam, Aquam supernatantem turpiter æquiparant, nunc bu-tyrosæ parti, Lactique supernatanti, nunc Elemento Ignis adæ-qvata, nunc vero iterum comparant eandem sero Lactis, & longe turpius, utrumque horum, indistinctè assimilant Felli diversissimo.

## §. 6.

Vel isti quatuor Humores fiunt pariter sub unico actu San-guificationis, eadem Officina, ex quolibet Cibo, eo, quod ab He-patis Destinatione principaliter, immediatè, simpliciter & sem-per sint intenti; vel fiunt locis, momentis, & Actibus diversis, disparibus. Non potest dici, quod fiant ab his diversis dispari-bus:

bus: quia sic non esset unius & ejusdem Cruoris partes constitutivæ. Sin autem dicantur fieri iisdem & paribus Locis, Actibus, cur, dum Lotium & Bilis fiunt simul, unum non miscetur individue cum altero: cum alias in Natura, Aqua misceatur Aqua inseparabiliter, prout etiam Fel dicunt misceri Urinæ? Cur Lotium nunquam amaricat, si semper ipsi Fel sit commixtum, à quo tingitur, ut ajunt? cum tamen Disruptio Fellis in Pisce etiam minima, totum Piscem amarore inficiat, ita, ut nulla Elatione tolli inde possit? Cur non idem præstat Fellis tanta Copia in Urina? Et quis est ille tam exquisitus Separator, qui potuit aquosam Bilem, tam cito & pure à Lotio separare? Et interim, non potuit totum Lotium materialiter à Cruore separare, ut ipsimet fatentur? Et quare demum Bilis ista, seu Fel Cruoris, una cum Lotio non ad Renes deferatur, si supra Hepar credatur Bilis Cruori permixta? Similiter quomodo in bona Anatomia Bilis ab Hepate facta in Hepate, devenire poterit ad Fellis Folliculum? repugnat manifestè Anatomia. Et ubinam quæso fit Sangvificatio? An circa Portam, & Cavum Hepatis? an vero in ipsomet Corpore Hepatis? An demum in ipsa Vena cava supra Hepar? Atqui quocunqve horum Locorum fiat hæc Bilis cum Cruore, saltem inde, seu ex iis Locis, non est Venæ regressus, pro Bile ad Fellis Vesiculam. Deberet enim à Jecore, motu retrogrado, incertisqve ductibus, pergere ad Vesiculam Fellis. Et, obsecro, quis esset ejus Viæ Ductor?

Deinde cur saltem istæ ambæ Biles in Cruoris massa permanentes, habent sua Excrementa & separata Diversoria pro iis, Lienem & Vesiculam Fellis? Pituita vero & Cruor carent suis Excrementis, eorumqve Hospitiis naturalibus? Sunt fortè melioris vel peioris Conditionis, quam illa? Si autem utraqve hæc Bilis fiat infra Hepar, quis Separator eas ab invicem separat? & quorsum? Cum interim ibidem simul generata, perfectè Lotio misceantur? Si vero Fel hoc, seu Bilis utraqve, fiat in celerissimo

rimo transitu, per exiguos exilesque Venarum Ramulos in Hepar distentos, idque fiat simul cum Actu Sangvificationis, recordentur, quæso, Adversarii Exilitatis harum Venularum, seu Ramulorum, quæ vix satis sint, pateantque Urinæ transmittendæ. Adeoque requirerent momentaneam Urinæ, Cruoris, & trium reliquorum fictitiorum Humorum Transmutationem à Cremore factam. Denique quam hæc sint impossibilia per Anatomiam, vidè practicè demonstratum apud Helmont, lib. contra Humoristas Cap. I. n. 24. & alibi de Digestionibus.

## §. 7.

Demum si Jecur utramque Bilem & Pituitam, una cum Cruore generat, cur magnam Biliam Partem, licet sint Partus ipsius genuini, legitimo thoro nati pro spuris tamen & Excrementis despicit ac deponit? reliquas vero duas in Cruore reservat, ut legitimos Filios? cum alias Cruoris simplicis & homogenei, vel nulla esse deberet partium singularum Dualitas, vel certè omnes esse deberent necessario duales, consequenter & Sangvis & Pituita deberent habere hanc Dualitatem, sicut utraqve Bilis, i. e. & Sangvis deberet simul esse legitimus ac simul Spurius rejiciendus in aliquod singulare Ergastulum, & Pituita etiam legitima ac spuria, rejicienda in suum nativum Domicilium.

## §. 8.

Si unico Actu Hepatis, hi omnes quatuor Humores simul directo, ordinarioque Destinationis cursu fiant, cur Hepar ex homogeneo Chyli liqore, generat istos quatuor Humores diversos, naturaliter tanquam necessarios, cum tamen revera nullatenus iis sit opus; nec ad simpliciter, nec ad melius esse? vel ostendatur evidenter & probabiliter, ad quid simpliciter sint necessarii? ad quid utiliores? si dicantur necessarii ad alendum singula Membra, cur potius Hepar, aut quicumque Separator nondum præditus, Bilem utramque sic mutilat & sequestrat

in suas thecas, quam Pituitam? quam tamen fatentur Adversarii esse Liqvozem defectuosum & frigidum, adeoque contra naturalem, Mortis, Erroris Naturæ & Indigentiaë vitalis participem? Quomodo Humor iste defectuosus, vitiosus, Partes necessario alat, constituat? Cur id Sanguis per se solus præstare non possit? Similiter edicant Humoristæ, ad quid tandem etiam Bilis, tam una, quam altera sit necessaria? Quis earum Effectus necessarius? forsitan tantum ut noceant? Mala perpetrent? Morbos pariant? Cur Natura in omnibus aliis Actionibus sit tam sagax, sibiqve benefica, aut semper agat, quæ sunt optima, in hac autem Humorum trium impertinentium Fabricatione, sit tam stolidi, ut continuè sibi fabricet, & quidem non ex errore, sed ex professo, quotidie tam noxia, & ultra Mensuram semper, in sui Perniciem? Credendum ne est, DEUM sic Naturam humanam & animaleam condidisse, stupidam, ineptam, improvidam? Sed hæc Nugæ magis apparebunt in his Humoribus specialiter examinatis, quos in Specie nunc aggredimur.

*SUB SECTIO V.*

*De Pituita.*

**I**PSA Doctrinæ Inconstantia & Varietas satis prodit Humoris & Doctrinæ Falsitatem. Nunc enim dicunt Humoristæ, Pituitam simul fabricari cum Sanguine in Hepate, manere Sanguini permixtam, tanquam Partem constitutivam, differre tamen ab eo tantum Tempore ac fotu, carere Excremento, tandem mutari in ipsum Cruorem. Paulò post iterum alibi contrarium docent, asserentes, Pituitam fabricari in Stomacho, & esse Vapores continuo ex Stomacho in Caput & Cerebrum ascendentes, ibi in Capite fieri Muccum excrementosum, indeqve decidere rursus in omnes ferè Corporis partes, ac patrare fere omnes Morbos Membrorum, internos & externos, Podagram, Chyragram, Phthisim, vocantqve Pituitas illas muccosas deciduas,  
 Catarr-

Catarrhos: unde & horum patientes dicunt Pituitosos, Phlegmaticos. Denique plerosque Morbos his Catarrhis pituitosis decidentibus à Capite, à Stomacho tamen originaliter emissis, adscribunt. Igitur Pituitæ Natales, Naturam, Proprietatem, Effectus, plane contrariis, diversis, & disparatis Definitionibus & Descriptionibus depingunt, quarum alteram demonstrare volunt in Sangvine extravenato, per Fibras albas aliquando in-natantes; Alteram vero per diversos Catarrhos, Morbos: sed in utroque non nisi Somnia meral & Fumos vendunt,

## §. I.

*De Pituita Sanguinis constitutiva.*

Dicunt Pituitam non differre à Cruore, nisi Tepore & fo-tu, tandemque in Cruorem mutari: seu Pituitam propriè esse Cruorem inchoatum, similiter flavam Bilem volunt non dif-ferre ab atra, nisi sola Inspissatione Recoctionis, seu flavam Bi-lem esse propriè inchoatam atram Bilem &c. Si ita est, ergo non differt essentialiter Pituita à Cruore, & Bilis flava ab atra; adeo-que sic deficit quaternarius Numerus, adeo proclamatus, & vix duo superstites remanent Humores. Caro enim tosta, assata, cocta, non differt essentialiter à Carne eruda: nec Pituita à Cruore, nisi sola Maturitate: sicut Poma immatura, non diffe-ruut essentialiter à maturis, nec Uva acerba, ab Uva matura. Igitur eodem titulo, totus Chylus Stomachi erit Pituita, quia est inchoata immatura Pituita. Immo hoc ipsum videntur expressè docere Humoristæ, dum alibi tradunt suam perpetuam Catar-rhorum ascendentium & descendentium Historiam de qua §. seq. Denique si Pituita sit Senio, defectui & Imperfectioni at-tributa, adeoque Morti, quam Vitæ propinquior, & magis, quam Bilis, hinc etiam Naturæ magis inimica, visus esset Creator se-terior, qui talem Hostem per omnes Venas, Cruori adæquatè permixtum, imo intrinsecum, essentialem reliquisset, nec ipsi Hosti tali Receptaculum elongatum, sicut Bili dicasset, & sic

ab Initio statim Mortis Prodromum Naturæ Humanæ copulasset, contra illud Sapiientis: quod DEUS Mortem non fecerit. Ergo irrationabile prorsus videtur esse, hanc Pituitam Cruditatis, Senii & defectuum Filiam, etiam in quovis Puero, Juvene, Viro &c. vigere, ac à DEO ordinatam esse; cujus Probatio, alia non sit, quam merus Muccus, Sordes, & Scorix: qualia sæpè per Vomitum & Sedem ejiciuntur, deficiente Ventris Culina, vel ex Pulmonibus, Naribus. Quæ omnia potius sunt mera Excrementa ex Errore Naturæ prognata, quam partes Hominis constitutivæ, & spectant potius ad alterum genus Pituitæ catarrosæ in Stomacho natæ, de qua paulo post, quam ad hanc Pituitam sanguineam.

Porrò nunquam potuerunt Humoristæ Pituitam in Venis ostendere, nisi tantum Fibras aliquas albas, quæ à Venæ Sectione in Aqua tepida secerni videntur: adeoque nec potuerunt ante Cruoris Mortem esse, aut videri, sed tunc primum, post ejus Mortem aliquando incipiunt. Cruor enim quando à Venis exit, moritur. Quamdiu vero est intravenatus adhuc, vivus alendis Partibus utilis, ejus pars solidior à reliquo suo Corpore indistincta erat, quia Compositum verum & integrale erat. Unde illæ Fibre sunt pars Cruoris optima, Alimento partium proxima, non vero Pituita defectuosa, cruda, senilis. Probam claram vide apud Autorem nostrum, Tractatu cit. Capite. III. n. 22. 23. Et plurimas alias Demonstrationes contra hoc Pituitæ Figmentum, deductas ab Argumentis Medicis, Anatomicis & Philosophicis solidis, itemque ab impertinente, inconveniente, à variis Morbis, à Defectu Separatoris horum Humorum, vide ibid. Cap. I. n. 27. & seq.

Deinde, teste Galeno, debet quotidie duplo plus fieri in Homine Pituitæ, quam Bilis: quod probat ipse per Febrim tertianam. Si hoc fit in Febricitantibus; quantum ergo plus Pituitæ in Sanis & perfectè digerentibus quotidie? Quantum igitur  
in

in frigidioribus, Fæminis, humidioribus, si Humores isti fiant juxta Complexionum Dispositiones, sicut volunt? Imo si huic Pituitæ sangvineæ adhuc adnumeremus alteram Pituitam ex Stomacho ad Caput continuo ascendentem & descendentem: ubi aliquando videmus in Coryza Tussi & similibus Phlegmatibus, integras pelves quotidie ejici. In tali Casu, nec Caput totum, nec Venæ, nec omnia Membra erunt sufficientia tantæ Pituitæ capiendæ, & tamen ex Naturæ Ordine, Necessitate, Utilitate, generatæ, consequenter sic totum Hominem (& per consequens omne Animal) solâ Pituita implebimus, submergemus. Imo inde sequetur omnem Digestionem necessario & naturaliter esse defectuosam & vitiosam. Nam Pituitam fatentur ipsimet Humoristæ, semel esse imperfectum Cruorem, alterâ vice faciunt eam esse Excrementum catarrhosum ubique clades gravissimas, etiam Mortem inferens.

## §. 2.

*De Pituita Catarrhosa, Stomachica.*

Contra hoc Pituitæ genus scripsit Helmontius integrum Tractatum peculiarem, lectu jucundum, sed solide fundatum, quem inscribit Catarrhorum Deliramenta: ubi eam explodit multis Demonstrationibus Mathematicis, Medicis, Anatomicis, ejus Impossibilitatem, Absurditatem probantibus. Nos hic pauca ex iis libabimus.

Ostendit ibi per totum, nullum Vaporem ex Stomacho ad Cerebrum ferri posse naturaliter, (exceptis inebriativis, narcoticis) & si quis ascenderet, necessario in Via tam longa diffilaretur, resolveretur, & Via proxima ejiceretur, vel per Os vel Nares, (prout alias videmus fieri cum Vaporibus ex Igne exhalantibus, & Fumis) vel certe una cum Sudore, antequam ad Cerebrum pertingeret, præcipuè Ore hiante, apertis Naribus, Poris &c. Sudore his Vaporibus multo crassiore, per omnes Vias proximas exeunte, expulso. Quod si nihilominus hi Vapores

pertinaces per Vim obdurati ascenderent, id certè fieri deberet per Corporum tot interjectorum Penetrationem, alias naturaliter impossibilem. Etsi tamen ascenderent adhuc & penetrarent per durissimum Cranium, in Cerebrum usque, non possent ibi rursus in Aquam concreescere, in Cerebro frigido; ad hoc enim requireretur Tepor aliquis, aut Calor: Si tamen id fieret in Cerebro, certe sic Aqua resoluta illa cum Mucco (multo crassiore) per Nares semper patentis exiret; aut si pervicax nollet, à Natura Rectrice expelleretur, ut alia noxia, hostilia, per Viam proximiorum, vel saltem per Poros Cutis satis subtilis & pervia Capitis Cutis facile proscriberentur. Quod si nec in hoc Naturæ ordinariæ obedirent hi Vapores, seu Catarrhosi Pituitosi, non est demonstrabilis hujus Descensus Via, Semita, Modus, in omnia interiora Membra, præcipuè remotiora, quin potius citiusque in tali Via, à Calore Membrorum naturali iterum resolverentur hi Vapores, aut hæ Aquæ descendentes, & sic evanescerent, aut per Cutim, per Poros proximos, ubique prostantes, expellerentur à provida Natura. Si tamen nec hoc juvaret, quis, quæso, esset Pulsor & Ductor hujus Pituitæ continuò tam pertinaciter ascendens, hinc inde dextrorsum, sinistrorsum, antrorsum, retrorsum, grassantis? An Calor aliquis? an Frigus? Si Calor, quomodo Calor eos deorsum pelleret? Si Frigus, quomodo eos sursum traheret? Quis denique esset Ductor ille tam paradoxus per tot Vias disparatas? sursum, deorsum, sinistrorsum, dextrorsum? Cur isti Vapores, non potius proximam Cutem penetrarent, per Poros exhalarent? Quomodo tam durum Os Cranii penetrarent illæsi, usque ad Cerebrum intrando, inde iterum pro libitu integri exeundo? Quomodo fieri posset, ut non totum Cerebrum inundarent, occuparent; confunderent, deprimerent, submergerent? Quomodo hi rebelles Vapores in Cerebro, resolvi possunt rursus in Aquas? an à Frigore Cerebri? An ab ejus Calore, etsi in Aquas ibidem, quomo-

quomodocunque sint resoluti, quomodo, & à quo, Aqua illa tam artificiosè subtiliatur, ut penetrare possit Cerebrum, Meninges, Cranium, Suturas, Carnes, salvaque per hæc omnia Obstacula perrumpere, deorsum fluere? Et si hæc Aqua resoluta perrumpere ac depluere potest etiam per Ossa solidissima, cur non potius exit pariter & perrumpit, per propiorem Cutem Capitis, molliorem, apertiore?

Deinde cum talis Aqua resoluta, esset ut pluvialis, à quo & ubi, iterum concrescit, in crassum Muccum, salsedines, corrosiones? quæ sunt tales Officinæ? qui Fabricatores tam diversi? Ita negamus huic Pituitæ Catarrhosæ, Materiam, Locum, Viam, Consuetudinem, Admissionem, Penetrationem in Cerebrum, per Cranium, per Meninges. Et dicimus, quod quicquid ex Capite manat, Muccus est, & merum Excrementum, ex Errore Custodum errantium, & Laticæ, seu ex Errore Archei Capitis ab Aura frigida, aut Seminibus noxiis irritati, furiosi, pro-veniens, qui Laticem & Succos pro Alimento destinatos, sibi submissos, sic pervertit, corrumpit variè, ut alibi videbimus. Consequenter non à Stomacho eò est deductum, nec illuc ex Capite, Via est & descensus naturalis; vid. ibid. Loco cit. plura. Imo si vera esset Scholarum Doctrina in his, & de Apoplexia, Paralyfi, quam tradunt, non posset ejusmodi Pituita ex Cerebro descendere, ad inferiora Membra, sinè prævia Apoplexia & Paralyfi in Capite prius indubie excitanda prævie. Nam Apoplexiam & Paralyfin proprie collocant in similibus Humoribus pituitosis, obstruentibus Vias principes deorsum. Plura Absurda & Impossibilitates hujus Pituitæ Catarrhosæ demonstratas, vide apud Autorem cit. ex professo.

Ex quibus omnibus patet, Doctrinam communem de Pituitæ Humore adeò de cantato, esse merum Figmentum, non Ens, extra Rerum Naturam vagans.

## SUB SECTIO VI.

*Bilis flava & atra rejiciuntur.*

**Q**uomodo depingant & fundent Humoristæ has Biles, jam supra vidimus. Nunc Argumenta contraria per §§. aliquot lustremus.

## §. 1.

Procedamus statim ad Manum practicam. Sumatur Humor ille in Sangvine extravenato, supernatans (qui putatur esse flava Bilis, ex quo adusto perfici debet in atram Bilem) coqvatur, sive affetur, quocunqve gradu, sive Teporis, sive Caloris, nunquam tamen inde atra, retorrída fiet Bilis, æruginosa vel porracea, multoqve minus atra illa acida, quam dicunt Terram fermentare. Ergo est Res fictitia. Quæ si fiat, aut sic retorreatur in Liene: ergo non est Sangvificationis pars, aut Cruoris. Sin vero fiat in Jecore cum aliis tribus Humoribus, ex eadem simili Chyli materia, à diversis agentibus, cum in Hepate sint exiles ac tenuissimi Venarum ramuli, continuo Lotio transmittendo occupati, nec etiam Venæ Hepatis directè in Splenem respiciant: non videmus, quomodo atra Bilis, ab Hepate separata, ad Splenem deferatur. Utraque autem Bilis deorsum, ad sua separatim Collegia, opposita Confusione, in tam exilibus Venis, Officinis Sangvificationis, ferri deberent. Impossibilitatem & Absurditates talis assertæ Viæ, vide plures loc. cit. deductas Anatomicè à Num. 71.

Itaque fieri non potest hæc Generatio ab Hepate, nec inde deduci in Lienem: alias sic Lien nutriretur ab Excrementis. Et quomodo nobilissima Viscera, Stomachus & Lien, sic fierent pessimi, noxissimi Excrementi Receptacula? Quomodo ex Bile flava, ignea, calida fiat Humor frigidus, melancholicus? quomodo flava sic differt ab atra, si uno Caloris puncto fiat atra ex flava? quomodo teterrima Natura Scoria, repudiatum,

&

& horridum Excrementum, fit Stomacho in Deliciis? Quomodo curet ejus Appetitum, ad edendum? Quæ Necessitas cogit, quæ Utilitas svadet, tam inepta, absurda fingere?

## §. 2.

Porro ex unico Pane & Aqua fit Chylus. Si ergo in Pane & Aqua, lateret quadruplex Humor in Natura, eodem Jure omnis Herbarum Succus semper deberet esse quadruplex, quod est Somnium. Deinde cujuslibet naturalis Agentis, univoca tantum & simplex est Actio: necesse ergo est, vel in Hepate, Biliam Patratore, ficta esse quatuor simul agentia, diversæ Sangvificationis, vel corruiere quatuor Humores in ficta Rudera. Si verò propter Ciborum Diversitatem, Varietates Humorùm in Cruore fingamus, jam ex tot Eduliis simul sumptis centum Humores ad minimum concedendi erunt in Cruore. Hoc Argumentum fusius deductum & multiplicius, vide loco cit. à num. 80.

## §. 3.

Quam futilia autem sint Fulcra eorum in Saporibus & Coloribus externis fundata, patet ex sequentibus. Nam quantum ad Saporem, dicunt flavam Bilem esse amaram, & tamen nunquam gustarunt illam Aquositatem in Cruore extraventato supernatantem, & si defactò gustetur, deprehenditur totum Contrarium. Atram vero volunt esse acidam, eamque confundunt cum Felle, in Vesica sua contento, quod tamen Fel nequaquam est acidum, sed amarissimum, cujus unica Gutta in Pisce aut Animali effusa totum Corpus Amaritudine ineluibili inficit. Amaror autem Oris, qui subinde in mala Dispositione sentitur, non provenit ex Bile atra aut flava, in Stomacho forsan latente (nam illuc nulla Bilis intrare potest, prout anatomicè demonstrari potest) sed ex inconcoctis excreticis Stomachi, à Cibis vel Potu relictis, corrumpi incipientibus, sicut paulo post probabimus.

E e

§. 4. Colo-

## §. 4.

Colores vero adhuc absurdus allegantur pro Fundamento Bilium. Nam ex Colore flavo Urinæ, ex facibus Alvi flavis, Ictero, Vomitu, probare nituntur principaliter existentiam Bilis utriusque; sed ineptissimè. Videmus enim post Contusionem Membri alicujus, v. g. Faciei, Digiti, Humeri, quod statim sequatur Tumor, qui mox plerumque rubet, deinde in lazereum Colorem mutatur, mox abinde livet, postea nigricat, & postremo flavescit, longè in Circulos dispergitur. Itaque juxta Humoristas Cruor iste Membri contusus, primum forsan migrat in atram Bilem, & hæc tandem ultimo in flavam; sicque Humor liquidior (qualem volunt flavam Bilem) flavus, pertinacissimè resisteret; atra vero Bilis spissior & longe facilius esset Discussionis & Dissipationis, quam flava, quod est contra Naturam liquidiorum & densiorum.

Sic etiam atra non amplius est flava, sed retrogrado planè modo, atra in flavam mutaretur, quod est contra Galenum, & ejus sequaces Humoristas. Nec in Contusionibus aliter fit, quam in Purgationibus alvi. Nam sicut in Purgativis, juxta virus purgantium, diversimode Cruor mutatur per sui Corruptionem, ut alibi docebimus: Ita & in Contusionibus Cruor extra venatus in Membro, & vitæ Sodalitio sensim destitutus, paulatim quoque, tam partium Affectibus, quam Cruoris corruptelis variis, auscultat. Non autem quod Excrementorum demortuorum Varietas, aut corruptelæ Difformitas Compositionem essentialem Cruoris testari debeat, aut possit. Alias Cruor sic ex centenis Humoribus discoloribus constitutivis componi deberet, non ex quatuor tantum, quod est absurdum.

Quod similiter Color Urinæ, & facium flavus, non proveniat à Bile ulla, nec sit ipsa Bilis, & quid sit illorum Color flavus? unde? Subsectione sequenti ostendemus. Interim hic nimis absurdum videtur, Bilem in hunc sordidum Finem fingere,

gere, ut tingat faeces Alvi & Urinam. Quid enim interest Vitæ & Naturæ, utrum hæc Excrementa sint flavi, aut alterius Coloris? Estne horum Excrementorum flavedo tanti momenti, & tam necessaria ad Hominis Constitutionem absolutam, ut pro iis flavo Colore exornandis, creare oporteat Bilem singularem, ad ea tingendum & pingendum, nec alteri Fini utilem, aut necessariam? aut declarent tandem ad quidnam simpliciter tam una, quam altera Bilis sit necessaria? fortè tantum ad nocendum? sed hanc Circumstantiam supra attigimus.

## §. 5.

Errant etiam crassissimè, & toto Cœlo, dum asserunt putando, partem illam Cruori mortuo supernatantem, esse Fel illud in suo folliculo reconditum: item in Vomitu rejectas Sor-des, esse suam Choleram, aut flavam Bilem somniatam Humo-risticam; cum tamen inter se sint essentialiter diversissima. Nec unquam Fel est Bilis, nec per Anatomiam, Via datur ad Stoma-chum, pro transitu Fellis in Stomachum, nec Stomachus stultè ad se attrahit Excrementa aliunde rejecta: potius ea averfatur, si in se habet, nec semel à se dimissa, temerè recipit.

## §. 6.

Condonemus interim omnia, Aquam supernatantem esse flavam Bilem felleam, esse de Natura Constitutionis Cruoris, saltem iste Cruor, cui Bilis hæc innatat, tunc non amplius est Cruor, sicut Serum & Caseus, non est amplius Lac, cum jam à Compositione defecerit, & Separatio thori sit facta. Aut si adhuc est Cruor: ergo illa Aqua supernatans non est de ipsius naturali Constitutione intrinseca essentiali, sed tantum extrinsecus apposita, merè externa. Ergo falsum est, quod comminiscantur de quaternaria Cruoris Compositione naturali ex Bile & Pituita. Ergo illa Aqua supernatans non est Pars essentialis Cruoris prædicata, sed tantum urinacea Serositas per Accidens, ut Vehiculum addita Cruori, & Latex, ex quo Sudor & omnes

Humores Corporis proveniunt, v. g. Humiditas Oris, Sputi. Quod satis probat illorum Cruor, qui parum biberunt, multum laborarunt & sudarunt. Sæpe enim talium Cruor emissus per Sectionem, caret omni prorsus Serositate supernatante, consequenter Bile careret, si necessario daretur, & tamen non desinere-  
ret talis Cruor esse verus Cruor, quia non nisi per Accidens ta-  
lem Serositatem admittit.

## §. 7.

Condonemus pariter, quod Bilis flava naturaliter sit Li-  
quor aquosus, igneus, repræsentans & continens summè Ignem  
in Substantia & Proprietatibus, quomodo inquam Ignis iste  
gliscat in mera Aqua falsa? Quomodo non suffocetur in Aqua?  
Quomodo sub Unitatis Identitate, Ignis & Aqua se invicem  
compatiuntur? Ut & Aër sub Phlegmate? Quid uspiam reperi-  
tur in Natura, quod cogat Ignem, ut se connectat cum Aqua, &  
in Aqua falsa? Ad qualia, obsecro, Absurda sic Humoristæ adi-  
guntur? Quomodo aquosus liquor, falsus, Ignem referre potest?

## §. 8.

Condonemus etiam, quod atra Bilis referre debeat Ele-  
mentum Terræ, & fiat ex super coctione flavæ Bilis. Si ergo ita  
est, an forte etiam Terra nascitur materialiter ex recocta Aqua  
ignea, sicut atra Bilis nascitur ex flava ignea? Fortè etiam de-  
bebunt dicere similiter Terram esse Ignem atrum, acidum,  
frigidum, siccum, ut atram Bilem sibi conformem sustentare  
possint? & sic fortè Terra nihil aliud erit, quam Ignis inspissa-  
tus, si apposite quadrare debent ficti Humores attributi suis  
Elementis.

Denique Anatomia clare ostendit, quod pro Bile flava &  
atra, non detur Via, aut passus naturalis ad deferendas excremen-  
tosas Biles utrasque, ad Lienem & Fellis Folliculum: multo mi-  
nus, quod à vesica Fellis, & Liene detur transitus harum excre-  
mentosarum Bilium, in Stomachum nobilissimum, omnia Ex-  
crementa

crementa summè abhorrentem, & potius mox evomentem, quam quod ab extrinseco aliunde reassumere & emendicare debeat. Vide plura loc. cit.

*SUB SECTIO VII.*

*An Bilis utraq; saltem possit salvari per Vomitum & Excrementa?*

**S**ic putant, imò in hoc principaliter se fundant Bilium Affer-  
tores. Verum Experientia docet, quod si copiosior, durior,  
vix masticatus Cibus in Coena sit sumptus, manè proinde fre-  
quenter Vomitus flavus, amarus, specie Vitelli Ovorum, vel  
alias instar Olei, ex Semine Raporum expressi, succedere soleat,  
aut saltem Amaror & flavedo supra Lingvam in Faucibus. In-  
de conjiciendum est id fieri Errore Digestionis stomachalis,  
non autem Vitio Hepatis, aut Bilificationis Abundantia. Nam  
non rarò eodem simul Vomitu malè digesti & nondum masti-  
cati Cibi partim in flavam salivam conversi, simul ejici con-  
spiciuntur. Unde ulterius est conjiciendum, stantibus Regu-  
lis Sangvificationis, talia flava & amara Excrementa, nec Bilem  
nec Fel esse posse, & multo minus partem Cruoris constituti-  
vam, cum nondum è Stomacho fuerint elapsa, neque ideo Jeco-  
ris Sangvificationem poterant esse experta. Certum ergo est ni-  
hil à Stomacho ad Jecur nisi per longam Moram & Venarum  
Meseraicarum Venulas transire posse. Igitur pariter, nec à  
Jecore potest esse ad Stomachum Iter, nisi per easdem Vias re-  
motas, arctissimas, & credendo impossibiles, quod tam crassæ  
Materiæ, quales evomuntur, per illas angustias Viæ, & redire  
possint integræ, præsertim dum integri, malè concocti illi Ci-  
bi, una cum flavo & amaro Vomitu prodire cernuntur.

Hoc ipsum oculariter apparet in Vitulo recens mactato  
aperto. Vitulus enim tantum Lac maternum bibens, mox à  
Nece ostendit, quod Lac statim grumescat, in Coagulum ace-

fcens & Liqvore m aqueum , acidum : utrumqve Caseis parandis aptum. Hoc, inquam, Coagulum mox deinde in Stomacho, Lactis Albedinem deponit, fit fuscum, & in duodeno, & Ilei Initio, flavescit, deinde in progressu magis saturate flavet, ulterius verò planè citrinatur; circa monoculum autem Intestinum viridescit: postremo stercorefcit. Ecce unde fit flavedo Vomitus, Urinæ, Stercoris? Dicant ergo Humoristæ an isti Colores præfati à flava & porracea Bile fiant? Dum interim sic mutantur, anteqvam in Hepar adveniant? An potius hi Colores fiant à Proprietate Intestinorum prædictorum? Ergo hinc constat hanc flavam saburram, generari in Stomacho malè disposito, & duodeno, & in Brutis magis regulariter temperatis, cum etiam naturaliter in Illo flavescant assumpta Lacticinia, sicut in Vitulo videtur.

Confirmantur dicta Exemplo Infantium, qui pariter fucto Lacte, statim Colorem citrinum cacant & flavum. An id dicendum erit merum Fel? an forsan Infantuli omnes, primo sui Initio sunt biliosiores, seipsis dein Viris? Ergo iterum hinc patet Lac tam in nobis, quam in Brutis propria Digestione fieri Citrinum, omnem scilicet Cremorem (Lac referentem) spontaneo Naturæ & Corruptionis filo, labendo ad Excrementum, & proprio Motu flavescere, operâ propriâ Stomachi & Intestinorum, & suberrante Vi digestivâ facillimè alienari, flavere, virere, & diversos Colores, Sapores fortiri. Non autem quod propterea sint Fel, aut Bilis fiant. Si itaqve Chylus circa Stomachi septum, vultum Excrementi præmature assumat, errore Digestivæ præventus, significatur vel Pylori, Janitoris inferioris, Offensio, vel Digestivæ Error, Cibi aut Cremoris Vitium, vel Mora nimia ibidem. Unde pessimè hæc Excrementa Felli attribuantur, quod est Fermentum nobile & vitale, Naturæ omnino necessarium, ut infra de Anima. Hoc ipsum experimur quotidie in Purgativis. Quæ si sumantur etiam ab optimè valente

lente

lente, etiam à robusto Rustico, in quibus Chylus est optimus, & ritè in Stomacho subactus, si purgativum accesserit, mox ille bonus Cremor à Scopo Naturæ alienatur, oblato Poculo laxante, totusque per Veneni illius purgativi tyrannidem, fit in Intestinis amarus, & flava Putrilago, quæ nec à Cane, nec à Sue degustatur. Igitur malè sequitur: venenatum Pharmacum patravit de Cibis, Potu & Cruore, amarum Laticem: Ergo est Fel, & Bilis in Hepate procreata, & in Stomachum, nescio quibus Tubis indirectis, fictitiis, transfusa. Absurdum plane Figmentum, quod Bilis debeat esse pars per Naturam intenta, & ab Hepate fabricetur, quæ tamen, ut patet ex jam deductis, à Corruptione Purgativi, Vitioque Digestivæ, in Cholera, Dysenteria, & aliis nascitur, ex propriis Causis.

Quasi vero Effectus & Producta Errorum, sint pars Constitutiva Cruoris nostri; Itaque hæc flavæ Saburræ ejectæ sunt mera Excrementa, ab Agente naturali malè disposito abalienata, ac de genera, nullo autem modo sunt Fel, aut Bilis. Alias etiam Aurium sordes erunt Bilis & Fel, si flavedo & amaror sufficiant, ut aliquid dicatur Bilis & Fel. Idem profus fit in Febribus tertianis & aliis Morbis per Vomitum. Quæ omnia si essent à Felle, aut Bile, cum inde non sit Via aliqua nota ad Ventriculum; longe citius, facilius, tutius, hæc saburræ à Felle in Intestina, & ab Hepate retrorsum per Venas Meseraicas, quam ad sensibile Stomachi Orificium transfretarent. Denique sex duplo plus sæpè unico Vomitu rejicitur hujus Saburræ flavæ & amaræ, quam ferat Capacitas folliculi Fellis, adeoque Hospitium tanti Fellis esse non potuit prius. Imo nec Hepar unquam tantæ Copiæ capax esset, quanta plerumque evomitur. Plura de hoc Argumento, si lubet, vide Loc. cit. Cap. III. n. 12. Ubi plura absurda Consequentia videbis.

## SUB SECTIO VIII.

*Confirmantur superiora ad huc pluribus Argumentis.*

## §. 1.

**N**emo sanæ Mentis capere poterit, cur Venæ Stomachi, deberent ad se allicere, velut amicum, id quod Hepar, Venæ, & tota Corporis Oeconomia Exilio dignum, serio semel sunt averfata? Et quis erit ille amens & devius Ductor harum Sordium ad princeps Palatium, Stomachum? Nec dici potest, quod Appetitus ea ex Fame attrahat. Non enim appetit Stomachus famelicus unquam Ferrum, Glaciem, & similia sibi impropor-tianata; sed tantum Alimenta. Nec cista Fellis supernè ver-sus Hepar, habet ullum Introitum per Anatomiam. Unde ergo ex Hepate, Bilis in Cistam illam Fellis intraret? & inde in Stomachum regrederetur? imo nec Fel, licet ita essent omnia, uti volunt, sufficeret omnibus Humoristarum Commentis, præ-cipue in Tertiana, pro tanto Vomitu, & Materia Febris, simulq; pro tingenda Urina, Alvi Scoriis, Alimento partium quotidia-no, Cruoris Subsistentia, & similibus Officiis ab iis assignatis, impertinentibus, inutilibus.

## §. 2.

Dein volunt per Vim, Alimenta se invicem destruere & devorare repetitim: In Probatione autem defecerunt hactenus, ne habent, quod pro hac allegent, nisi solum Ignem artificialem, cui comparant Bilem vicariam, i. e. Humorem mere igneum, & volunt Ignem verum à Bile suppressi, tanquam à Forma mixti larvatum & frænatum. At, quis credat, quod Forma Bilis, ex mero Ignis Dominio suscepta, ut igneos Elementi sui Effectus proferret, coerceat sic sui productum, in quo actualiter latet, ut actu prorsus frigeat, ac serosum sit Ens & merè aqueum? imo certius est, quod si tantillus Ignis esset in mixto, statim ab Adjunctis suppressus periret, aut si sospes persisteret  
Ignis

Ignis talis, statim totum cremaret, ac absumeret pro sua indole, ut nos Ignis Experientia satis docet. Itaque vel Ignis cessaret, vel Mixtum necessario periret, nec posset Forma Bilis alterutrum impedire.

Nec unquam visum est hactenus, quod Artifex aliquis, qui Vitrum, Testas, Lateres, Aurichalcum &c. per Ignem parat, possit usquam vel unquam copulare Ignem Terræ, Aëri, ut inde Ens aliquod mixrum constituat, multoque minus, quod Ignem ex Cœlo defluum alliciat, & connectat Aëri, Aquæ & Terræ. Et tamen in hoc impossibili Absurdo Humoristæ, totam, medendi infirmis, Basim stabiliunt, tantoque mirabilius, quod credant Ignem sub aliis Elementis suppressum, nihilominus adhuc persistere incolumem: Cum tamen noriant omnem Ignem mox, quoties à comburendo cessat, vel Aquæ jungitur, statim perire. Quod si potius Spiritum vitalem in Homine, seu auram ætheream illam, suprâ à nobis indigitatam, in Mixtis, loco Ignis assignassent Humoristæ, venia magis digni videri possent, quam cum his absurdis fabulosis Bilibus.

## §. 3.

Ad Fæces autem expellendas non erat opus Bilis adjumento, cum per se ex Natura adsit Vis expultrix, quæ alienâ Bilis ope ad hoc non indiget sicut: nec Vis attractrix, ejus ope eget ad attrahendum, nec aliæ Vires naturales ea opus habent. Nec Fæcium, aut Urinæ flavedo indiget Bilis Tinctura; tinguntur sufficienter in Ileo & Intestinis, ad id Munus ex Natura sic ordinatis, præcipuè accedente Corruptione talium Fæcium, Effectus cujus præcipuus est Fæcium Color diversus. Tandem nec varii Colores extra venati Cruoris, ater, viridis, lividus, testantur Biles, sed sunt Signa solius Effervescentiæ, aut turbulentiæ fermentalis. Nam quam primum Cruor ex Venis exit, mortuus, corrumpi incipit, evolant inde Spiritus vividus manet

crudum Cadaver Cruoris putrescentis. Unde non est mirum, si tot diversos Colores induere mox incipiat. Sicut & Homo mox à Morte variè mutari incipit.

Concludamus hoc Argumentum Historia, quam refert de se Helmont. Tract. de Febr. Cap. II. n. 25. ubi sic ait contra Humoristas Biliarios. Declaro sub Pœna convicti Mendacii, si quis velit experiri, quod ducentorum petulantium & sanorum Rusticorum Cruores, unico Die examinaverim, erantque multi illorum, aspectu valde dissimilares, Colore, Materia & Consistentia, quorum plures distillavi & reperi medendo æquè utiles. Solent enim nostrates Rustici (in Belgio) alterâ feriâ Pentecostes mittere Sangvinem, quo largius potitent. Etenim licet plures viderentur putridi, alii æruginosi, vel atrabiliarii; imprimis tamen Rustici, unde effluerant, erant admodum sani. Ergo per Causam confirmabant, non obstantibus Corruptionis indicibus, se esse Cruores à Balsami Natura nequicquam alienos. Quare obrisi Fabulam ex aspectu emissi Cruoris; Ita Helmont.

## §. 4.

Concludamus ergo hanc Materiam hoc Argumento, & hoc Dilemmate: Aut Elementa manent in Mixto cum suis Formis, aut non sic manent: si non manent cum Formis, nec etiam earum Proprietates permanere poterunt, cum ipsæ Formæ sint immediata Subjecta Inhæsionis suarum Proprietatum. Si vero manent ipsæ Formæ, jam vel Formæ tales Elementorum, non erunt Actus substantiales, sed tantum Vincula Elementorum, redibunt enim semper integra, ex singula suppositi Conquassatione. Obdormient scilicet interim tantisper Formæ hæ Elementorum, dum præsidebunt Formæ Mixti. Ergo cum Forma Mixti sit necessario purus & simplex Actus ultimus, non potest esse quadruplex. Ergo non est Ratio fingendi quaternarium Numerum Humorum ex parte Agentis, eo quod Actio Sangvificationis

nis non sit elementalıs, sed vitalıs & Fermenti Jecorariı, cujus omnimoda Simplicitas, non potuit respicere finaliter Humorum hunc Quaternionem, ex uniformi optimeqve unito Chylo oriundum: Adeoque, etsi in mixto essent viginti Elementa, non proinde totidem Humorum Productiones essent necessariae. Hęc in Substantia per modum Compendii dicta sint de quatuor Humorum Commixtione in Homine. Qui plura desiderat adeat Authorem saepe memoratum, ubi diffusè hanc Materiam peculiari Libro tractatam inveniet plurimis Argumentis.

SUB SECTIO IX.

*De Purgatione & Venæ Sectione.*

**E**X dictis manifestum evadit, quam inania sint primaria Medentium Præsidia ordinaria, quæ omnibus ferè Morbis sanandis ante omnia adhibent, Purgantia scilicet & Venæ Sectio. Supponunt enim communiter, plerosqve Morbos provenire ab aliquo istorum Humorum, i. e. Pituitæ, flavæ aut atræ Bilis Peccato, excessu, malo Temperamento. Hinc statim ad Purgantia currunt; quæ Humorem illum prævaricantem ab aliis innocentibus segregent, attrahant, & post se velut in funiculo extrahant & in Cloacam ejiciant. Idem ferè Munus præstare debet Venæ Sectio, scilicet Humorum Corruptorem, vel Corruptum, per Cubitum & Venas evocare, ex Corpore ægri proscribere, ut sic Pax inter reliquos restituatur. Qui si ab aliorum Consortio & Corruptela sequestrari non possit solus, etiam Pars eorum, licet insontium, simul luere, & in Exilium pro comitiva delinquentis exire debet. Hęc sunt primaria Fundamenta Purgationum & Venæ Sectionum.

Sed si Humores isti, Pituita, & utraqve Bilis, Sanitatis & Morborum præsides, sunt fabulosi, ficti & corruunt, simul cum illis necessario corruunt, & fictitia sunt Præsidia illa generalia Purgationum & Venæ Sectionum in iis fundata, adeoque tota inania. Et utinam inania tantum, & non maxime potius

noxia & pestifera. De Purgativis enim fatentur ipsimet Medici omnia summè noxia esse, & Substantiæ Vitæ temporis multum detrahentia, excepta Aloe. Et Helmont. pluribus Argumentis, libro de Febr. Cap. 5. per totum ad Oculum demonstrat, esse mera Venena, quæ sive in infirmis, sive in sanis robustissimis, quidquid in Corpore intus attingunt, sive Liqvorum, sive Carnium, illud confestim Veneno inficiunt, corrumpunt, cadaverisant, & illud malum operantur, quamdiu aliquid eorum manet, in Corpore. Hinc Natura tam in sanis, quam morbofis, mox insurgit, & hunc Hostem cum suis jam corruptis, laborat expellere, & tali Peste se exonerare. Quod si assumens paulò sit debilior, aut Venenum illud purgans nimis in Quantitate fuerit assumptum, Homo succumbit & perit. Sicut Experientia docet quotidiana, & millena Pupillorum & Viduarum id deplorant Exempla. Tantum igitur abest, ut Purgationes Humorem noxium peccantem ab Homine extrahant, ut potius etiam sanissimos alios Liqvores & Partes vicinas inficiant Veneno & occidant: Sicque Hominem Viribus, & Vitæ Parte, si non integra, spolient.

Similiter Venæ Sectio cum Vires humanas diminuat, ex Corpore extrahat, (omnes enim fateri coguntur, Vires & Vitam in Sangvine ejusque Spiritibus fundari) quæ tamen in Morbis potius augendæ essent, ut fortius Natura malum intus latens vincat, concoquat & expellat, adeoque potius Arma eidem essent subministranda, quam subtrahenda, ut facilius Morbo succumbat, quis hinc non videt eandem esse noxissimam, nisi extrema alia Necessitas aliter postulet? Idem de Purgationibus & Venæ Sectionibus sentit Expertissimus & Celebris Medicus, D. Joannes Marci, Medicinæ Doctor, Professor & Rector Magnificus in Universitate nostra Pragensi, ex quo sæpe Auribus propriis audiivi, hæc eorum Encomia, *quod* Purgatio sit venenosissima, Inventum Diabolicum in Perniciem Generis humani excogi-

excogitatum, nulli consulenda: Se intra 24. Annos nulli Patienti eam præscripsisse. Venæ Sectionem verò à se nunquam admitti, nisi in extrema Necessitate. Idem cum Helmontio, Joanne Marco, sentit Recentissimus Joannes Baptista à Fundek, Principis Curlandiæ Consiliarius Medicus, de quo supra in Præfatione dictum. De Purgatione & Sectione, infra suo Loco plura.

### SECTIO III.

#### *De Mixtorum Temperamento ex Astrorum Influentiis.*

PLerique non tantum Gentilium, sed etiam Christianorum, putant omnia Sublunaria, quoad Aëris Impressiones Meteorologicas, Tempestates & Vicissitudines Temporum, tum quoad Rerum Generationes, Corruptiones, Mixtiones, tum quoad Inclinationes, Complexiones, Naturas dependere ab Astrorum influxu. Hinc illa Axiomata: Astra inclinant, non necessitant; Sapiens dominabitur Astris: Hinc fiunt tot Rerum Prædictiones, Prognosticationes, sicut Calendaria & Conversatio quotidiana satis superque ostendunt. An autem revera ita se in Re habeant, hic paucis examinabimus.

#### §. I.

#### *De Officio & Effectu naturali Astrorum, & an Astra inclinant, an vero necessitent?*

In primis ex Scriptura Sacra certum est, quod Astrorum Effectus & Officium proprium sit, quod Cœli enarrent Gloriam DEI, & Opera Manuum ejus annuntiet Firmamentum, i. e. quod Cœli primariò sint creati, ut enarrent immensam DEI Majestatem, Potentiam, Bonitatem & Sapientiam; quibus nempe quatuor Columnis totus quasi stat, & innititur Globus Universi. Stelligerum autem Cœlum tanquam Præco annuntiat admi-

randa Opera Manuum Domini Creaturis intellectuabilibus, De his vide Theologiam nostram naturalem uberius.

Præter hunc indubium Astrorum Effectum, admittuntur quidem hæcenus Prædictiones Astronomicæ, Meteoricæ, de Annorum Sterilitate, Fæcunditate, Stationibus Stationum, Navigantium Periculis, Principum Morte, Pestibus, Inundationibus, imò de quibuscunque à Directione Arbitrii nostri non dependentibus: quatenus ista omnia ereduntur primis Elementorum Qualitatibus esse connexa. Usque adeo, licet Magnatum Mortes, Bellorum Tumultus & Incendia, in Ephemeridibus & Calendariis permittantur prognosticari; illa tamen permittuntur, non ut Contingentia libera seu arbitraria, multo minus ut necessaria: sed nuditer tantum, ut Effectus primarum Qualitatum Elementalium, Complexionum naturalium, Inclinationum, quibustamen Sapiens dominari possit.

Sed quantum hic contra bonam, veram, Christianam nostram Philosophiam erretur, patet ex hæcenus demonstratis de Fictione Mixtionis ex quatuor Elementis, aut eorum Qualitatibus. Porro & quam procul in hoc etiam à Sacris recedatur, hic est ostendendum. Si enim ita est, quod Cœlestes Influxus obtineant Causæ Physicæ Rationem, sanè illorum Effectus erunt de Necessitate connexi suis Causis. Ergo necessarii, sicut alii Effectus Causarum secundarum, quarum Effectus necessariò succedunt, positis illorum Causis: nisi supernaturaliter impediantur, aut aliunde mutentur. Hoc omnibus Causis proprium. Et nemo id potest negare.

Si verò hæc Influentiæ cœlestes tantum permodum prænuntii & Signi considerentur, etiam sic importabunt Necessitatem, vel melius Infallibilitatem. Quinimò longe arctiorem, inferunt, si certam credamus Divinæ Providentiæ Præscientiam & Opera Manuum Domini per Stellas præsignata credamus. Quocunque ergo modo sumantur Astrorum influxus,  
Astra

Astra necessitant aut infallibilitant, ut ita loquar. Nam magis improprie necessitare dicuntur, sed potius infallibilitate. Astra enim præsignificancia, infallibilia quidem sunt, sed non necessitantia, cogentia. De hoc vide Theologiam nostram naturalem parte 2. de Præscientia DEI.

§. 3.

*Quanam DEI Opera prænuncient Astra?*

Probabilius nobis videtur, quod prænuncient Effectus, qui dependent ex Causis liberis ac contingentibus i. e. qui concernunt Vitam, Ortum, Virtutes, Durationes, Vicissitudines, Regnorum Successiones, Temporum Motus, Alteritates successivas. Nam alios Effectus, quos causantur naturaliter, i. e. Æstatem, Hyemem, Fertilitatem, Annonam, Dies, Annos, Eclipses, Solstitia &c. potius Physicè efficiunt, quam prænunciant.

Prioris verò Classis Effectus enarratos, non nisi blasphemè eximere possumus à numero Operum Manuum DEI. Ipse enim transfert Regna, Vitam largitur & Morbos, Fortunam & Felicitatem, quamvis id faciat per Causas secundas medias, sibi subordinatas: ita nos Fides docet. Ipse est Princeps Vitæ & Mortis, Rerum omnium A. & Ω. dat & tollit Victorias, Famem, Bella, Pestes, licet etiam comitantibus Causis secundis partialibus, etiam liberis, mediaticibus, Concausis & Occasionibus: quibus tamen universis præsidet ipse DEUS, ut Causa totalis, immediata, independens. Et ideo horum omnium Præco est Firmamentum.

Hæc prænoscere Diabolus ex se non potest, præcipue ea, quæ pendent ab Eventu Arbitrii humani, nisi depicta prius legat in Astro prænuntiante. Ex hac Astrorum Pictura, & ex nullo alio Capite, sæpè Dæmones prædixerunt & prædicunt; pro ut Historiæ veteres & recentes abunde docent. Eiusmodi ergo Contingentia, Astris depicta esse, credibilius est, non quidem

dem omninò omnia talia, sed fortè unius Seculi futura; similiter probabilius est, Tragœdiam, seu Comœdiam cujuslibet Homini in suo Astro depictam esse, cujus Pictura cesset cum ipsius Vitæ Epilogo. Nam unde alias Magi, & Sagæ alias à Dæmone edocti, sæpe talia Hominibus Particularibus vaticinarentur? Ex quibus concludendum videtur, quod Dæmon legat Stellarum Picturas, quibus Firmamentum dicitur in Scriptura prænuntiare Opera Manuum DEI.

Dices: Sed quorsum fiunt, aut faciunt Signa hæc prænuntia, quæ Nemo mortalium novit, & quæ nec Diabolus scire potest? Respondetur 1. Sufficit, quod prænuntia futurorum enarrent Gloriam DEI primario, ac Infinitudinem Sapientiæ & Præsentia suæ. 2. Non fecit Dominus Verbum ut ait Scriptura, quod non significavit Servis suis, Prophetis. 3. Si Homines ea non norint, sufficit, quod saltem Angeli prænuntia illa futurorum legant, & proin DEUM de novo laudent.

Itaque S. Scriptura aliam, vel majorem Authoritatem Cœlo & Stellis attribuere non videtur, quam, ut Stellæ nobis sint in Signa, (i. e. futurorum prænuntia) in Tempora (i. e. Aëris Mutationes) in Dies denique & Annos (i. e. Mensuram Temporum & Revolutiones.) Quare sacer Textus adimit Stellis omnem aliam Potestatem, præter jam enarratam: quæ Actio Stellarum non nisi per Blas (seu Vim) motivum & alterativum accidit, ut supra de Meteoris diximus.

Ex his dicendum videtur, in Cœlis, tanquam Tabulis, descriptos esse Typos Rerum per Secula successivarum. Quos Typos aliqui Leges Fati nominant, & quod Provinciis, Regnis & Hominibus suæ sint Stellæ, quibus depicta sit Scena, suo Subjecto Rerum contingentium, in Revolutionibus Dierum, unicuique istarum statutarum, seu prævisarum. Ac proinde mirum non est, quod sæpè Dæmones noverint horum plura prædicere, ut testantur Historiæ. Eoque minus id mirum, si singulis nostrorum

rum sui sunt Angeli Custodes deputati, futurorum sui Clientis præscii. Prout Montis Gargani, Regnorum & Rerum-publicarum sui sunt Rectores Spiritus, & Protectores. Ut constat etiam ex Historiis sacris, de Angelis Præsidis Judæorum, Gargani præsidibus. Sic non tantum Ascensionis & Periodi Regnorum, ibi depicta sunt prænuntia: sed & Hominum singulorum decursus, exitus, suo Astro peculiari, historicè figurantur, quæ simul typicè depinguntur. Quam quidem Scientiam, Spiritibus notam, Homini naturaliter prohibitam, licet multoties legamus, Etymo Augurum Cœli, solis tamen DEI Servis, Prophetis & Sanctis concessam, pro ejus beneplacito sæpè reperimus. Quibusdam enim typicam Astrorum Notitiam, largitur, ut tribus Sanctis Magis Regibus: aliis dat Somnia, ut S. Josepho, & iisdem tribus Magis, simulque eorum Somniorum Interpretationem veram, ut alteri Josepho, & Viro desideriorum, Danieli. Sunt & hodie aliqui, velut Amentes & Ebrii, futura prædicentes, nescientes tamen quid? cui? quomodo? aut quare? hæc & similia ominentur. Pro Confirmatione dictorum i. e. quod in Astris descripti sint Hominum Eventus, extant passim Historiæ Prædictionum similium Dæmoniacarum. Earum miras aliquas & recentes lege apud Helmont, §. 22. n. 27. nec aliunde fuerant hæc eruta per Dæmonem, quam ex Astrorum Typo depicto. Hi sunt Effectus Astrorum, qui dici solent potius necessitantes, (i. e. infallibilitantes melius) quam inclinantes, nec ulli Mortalium licitum est, extendere Fines, Effectus, Inclinationes Stellarum, supra, extra, vel præter Intentionem Creatoris, quæ apertè constat ex sacris Literis, ut sint in Signa, Tempora, Dies, Annos. De pluribus aliis nihil constat. Sive ergo sint tantum in Signa prænuntia, sive demum in Causas Temporum, Dierum & Annorum: cum in utrumque Finem, sint media quibus DEUS utitur, tanquam Causis secundis,

infallibilitate & quasi necessitate debent; non inclinare tantum cum eventu incerto & fallibili.

§. 3.

*De Inclinatione & Complexione Hominum naturali in communi.*

Quantum verò ad Complexiones Hominum naturales seu Inclinationes, nusquam apparet ex Fide Sacra, aut Sacra Scriptura, Stellæ esse Inclinationum Causatrices. Sed quoties sunt Stellæ Causæ Causarum, toties etiam sunt Causæ Causati necessitantes, infallibitantes per modum aliarum Causarum secundarum. Sol enim non minori necessitate, Diem & Æstatem advehit, quam ardens Stramen subter siccum Straminis Fascem, illum accendit. Si verò tantum sunt Signa prænuncia, tunc etiam non excedunt Conditiones Præfagii, nec ullatenus vicem, Causæ Physicæ assumunt.

Infallibilitatem tamen important (non Inclinationem tantum) sine præiudicio Arbitrii liberi Hominum: Liberum autem Arbitrium nullo modo inclinari potest ab Astris. Perinde, sicut Amicus non est Belli Causa inclinativa, aut incitativa, si Principi per Epistolam secretè annunciat, Hostem Arma parare, & machinari Invasionem Castrorum.

Unde apparet falsum commune illud Adagium: Sapiens dominabitur Astris. Quasi Astra portitarent aliquem in Cædes, Furta, Homicidia, Adulteria, Seditiones, Ebrietates: Sapiens tamen Libertate sui Arbitrii possit irritas facere ejusmodi Inclinationes Astrorum, hoc enim vocant Astris dominari. Quæ tamen sunt falsissima. Nam juxta Fidem: non est Sapientis, neque volentis, neque currentis, resistere malis inclinationibus, sed DEI miserentis, i. e. Gratia DEI, sine qua nihil possumus. Adeoque hic Sapiens non intelligitur, quicumque munitus Gratia sufficienti (hanc etenim DEUS largitur omnibus sapienti-

sapientibus & insipientibus.) Nam talis si dominaretur Astris (id est Inclinationibus ab Astris pendentibus) non esset, quod formidaret Inclinationes, iis enim dominaretur certò, neque Gratia egeret abundanter efficaci: Quod tamen apud Theologos est falsum. Supponitur etiam hic falsum, quia de Stellarum Destinatione nullo modo est, ut in nobis causentur Inclinationes, sed tantum, ut sint in Signa, Tempora, Dies, Annos.

Denique Cœlum à DEO creatum est sine Labe. Si ergo inclinaret nos ad mala, esset nobis vice Diaboli Tentatoris, imò quod amplius est, Inclinantis: Quod Rationi rectæ est absolum, & Divinæ Bonitati injurium. Omnis autem prava Inclinatione nobis non foris, aut aliunde advenit: sed intus à Peccato inolevit. Nam juxta S. Scripturam: A Corde sunt Homicidia, Adulteria, & malæ Cogitationes: Ergo non ab Astris. Sed ut hæc Asserta clarius explicando probemus: Consideremus 1. per diversos Rerum Effectus, quomodo Semen Belluinum sponte fluat in Animam viventem, & non obscure discurrentem. Similiter licet in Embryone primum elucescat Potestas aliqua, tanquam Anima vegetativa, eadem tandem perficitur, & surgit in Gradum sensitivæ: Cumque Semen Humanum, non sit imperfectius Belluino, dicamus 2. etiam illud pari passu fluere, ac tandem perfici in Animam sensitivam. Non tamen sic, quasi hæc sensitiva pariter transeat in Naturam Mentis Humanæ, eo quod incompatibiliter sint opposita, sed quod superstitite Anima sensitiva, ut infra de Anima videbimus (quæ Anima sensitiva, nec Substantia est, nec Accidens, sed de Genere Luminum, ut supra de Formis) quod, inquam, ex superstitite, Natura etiam lubens suscipiat Animam humanam, tanquam Actum ejus perfectè ultimum, seseque ambæ Causæ intus pacificè compantantur, ut paulò post ostendemus esse probabile. His præmissis.

3. Consideremus Canem esse Animal vorax, mordax, invidum, vigilans, latrans, venaticum, sæpè ingratum, adulati-

vum, eaqve omnia, velut Proprietates seminales & specificas, Semini canino inesse, non autem ab Astris eis impressas, Illarum Proprietatum caninarum etiam plurimas cognoscimus Speciei proprias: aliquas vero à Parentibus peculiare acceptas; usque adeò hinc Canum profapias Pretio differre scimus. Cognoscamus ergo, similes Conditiones Cani esse de stirpe Seminis, & non astrales (quis enim hoc affirmabit?) adeoque ubi consimiles Inclinationes in Homine videamus, mox etiam has, ex Proprietate aliqua canina, in Semine humano delituisse, existimare rationabiliter possumus.

4. Denique notamus in singulis ferè Animantium Speciebus, diversas Proprietates specificas, quas Conditiones, quatenus toti Speciei communes, vel per Familias dispersas, scimus non ab Astris, quæ cuilibet Animanti, non semper sunt eadem, aut ab Almuten Nativitatis suæ: sed prorsus, & tantum ex Semine oriundas. Hinc

5. Judicare possumus, etiam Hominum ejusmodi Inclinationes ex brutali aliqua Proprietate Seminum, Nato inolescere. Reperimus etiam inter Homines, non raro integras familias furiosas, stupidas, callidas, insolentes, petulcas. Idcirco hinc discere possumus Ingenium, Judicium, Memoriam, Mores, Inclinationes, Imò Mortis & Fortunæ Dispositiones, omnino à Astris remove, etiam sexus Varietatem. Insuper videmus, quod Conditiones & Inclinationes Hominum, mutantur sæpe per Ætates, ita ut Pueri aliis Rebus oblectentur in Pueritia sua, quam dein Viri effecti; quod sobrius Juvenis quandoque fiat Senex Potator, & vice versa. Adolescens liberalis Senex fit avarus Euclio. Avaritia quoque Seminum, (quod qui minus indiget, minusque appetere deberet) sæpe Hominem comitatur. Quæ certe omnia non ex Astrorum Directione pendere possunt, si idem Almuten totam Vitam Hominis moderetur. De hoc §. 5. plura, & in nostra Mathematica vide.

## §. 4.

*De Inclinationibus Hominum in Specie.*

Distingvamus etiam nunc Inclinationes has naturales, ut una sit, qva naturaliter quis propendeat in Professiones certi Generis Vitæ, v.g. Religiones, Artes, Scientias, Mercaturam, vel Negotia exercenda. Hæc vocari potest Inclinatio Vocationis. Altera concernit Mores, Virtutes, Vitia, quæ Moralis, aut Ethica dici potest. Tertia spectat ad Sanitatem, Morbos, Vitam longam aut brevem. Hanc vitalem appellemus. Quarta est Fortunarum i. e. Divitiarum, Honorum, & similium. Hanc Fortunæ dicamus. Singulas perpendamus.

## Membrum I.

*De Vocationis Inclinatione.*

**H**Æc de Fide creditur à DEO esse: Qui immediatè creat Mentem humanam, eamque dirigit, ad certam sui Vocationem, in qua sibi placere possit maximè. In hunc etiam Finem DEUS eidem Homini tradit condigna Talenta, alii quinque, alii duo, alteri unum. Ideoque omnes Vocationis Inclinationes, censendæ sunt bonæ, quia à DEO; nullatenus vero ab Astris.

## Membrum II.

*De Inclinatione Morali, Virtuosa, Vitiosa.*

**H**Æc, ut est merè Belluina, ita dependet ex Seminis Ente, non vero ab Astris, prout jam ostendimus. Astra enim essent simpliciter mala, si Hominem ad mala, ad Vitia inclinerent. Errassetque Creator in suo Judicio, quando dixerat, quod viderat cuncta, quæ fecerat, esse bona. Ergo Inclinatio ad malum, emanat ex corrupta Natura in sui Radice ac Semine. A Corde enim malæ Cogitationes, juxta Lucem Evangelicam, & ab Anima consensus: prout etiam à Consuetudine peccan-

di fortis Inclinatione. Bonum vero provenit ex DEI Gratia, ex Voluntate, ex libero Exercitio. Nulla vero Ratione ex Stellaris hæc nobis sunt advena. Igitur prima nostri constitutiva, à Prævaricatione Adami fuerunt inquinata æqualiter, sed inæqualiter distributa, ac participata, vel ex bonitate Seminis, vel Matris conceptu, vel Educatione &c. vel è contra. Ideoque Inclinationes omnes seminales crescunt, augentur, vel decrescunt, juxta Proprietatem fluxuum Seminis, ad Augem & Declinationem.

Sicut ergo Brutorum tot Inclinationes specificæ, nequamquam dependent ab Astris, aut Horoscopo, ut omnes fatentur; sed in Semine sunt fundatæ: ita pariter de Hominum Moribus, Vitiis, Inclinationibus naturalibus, est discurrendum; quia post Adæ Lapsum, similis factus est illis, & similes habet, ut illa, Inclinationes brutales, quantum ad Partem sensitivam animalem. Unde pro moralibus Hominum Inclinationibus, Nationes non sunt indagandæ. Aliunde enim Homini tales Inclinationes non adveniunt naturaliter, nisi ex parte sui Corporis, quod totum, quidquid est, debet Enti seminali, non aliter quam Brutorum Corpora. Anima siquidem immortalis & excellentissima longe diversæ Naturæ, multo minus potest habere suam Inclinationem, à labili & caduco Stellarum motu: sed tantum auscultat Naturæ in Adamo & Posteris corruptæ, & sæpe per eam simul, cheu! abripitur in Corruptionis mala.

Anima tamen sensitiva Hominis, Mentis quasi vicaria, majori gaudet Libertate, quam Brutorum Animæ, propter Signilla à Mente principe sibi suggesta. Sed Animæ Brutorum suæ Speciei Inclinationibus, sub pauca Latitudine, contentæ vivunt, ubi interim sensitiva Humana ad omnes exspatiatur.

Confirmantur hæc: quia etiam in sero Nepotenon raro resurgunt Mores, Gestus, Inclinationes, Vicia, Virtutes Avi, antea non visi, & hoc unde? Nisi à Familiæ Semine.

Differt

Differentia ergo Inclinationum moralium sensitivæ Humanæ, à sensitivæ Brutorum Inclinationibus, est ista; quod ut Fœtus humanus, simul ac nutriri incipit propriâ Quadrâ ac Culina, non est speciei alicujus Planta, prout neque Brutum alicujus speciei, quando Anima sensitiva simul cum rationali affluit. Ita Sensitiva humana non alligata ad speciem aliquam brutalem, vagatur per omnium brutalium Inclinationum Latitudinem, ac facillè auscultat Mentis immortalis Inclinationibus alienis, proprio lubitu sibi indictis. Mens etiam incorruptam Naturam habens, facillè vicissim sensitivæ Motibus & illecebris cedit, sæpeque per effrenem Appetitum, Loco suo discussa, servit ut pedissequa Perturbationi, quæ illam Loco pepulit. Inde inolescit Inclinatio aliena, cujus usu & desiderio fit Consequendo fortis, quæ tandem Mentem, immortalem Dominam, quasi incarcerat. Ex quibus saltem patet, Inclinationem moralem esse de intimis Animæ sensitivæ Proprietatibus, ex Ente Seminis dispositivè labentibus: consequenter Astra nullam causandi Potestatem in nos sunt sortita, præterquam per Blas Meteororum, ut supra vidimus.

Cæterum licet Inclinatio Vocationis, vel Moralis, sæpè etiam mutant Inclinationem Vitalem, de qua mox dicemus, ut dum Potator fit Podagricus; Rixator vulneratur aut occiditur; Chymicus Asthmate perit, Deaurator Aurifex tremat; illa tamen fiunt occasionaliter tantum, nec Astrologo quidquam Juris deferunt. Sed de his paulò post plura.

### Membrum III.

*De Inclinatione Vitali, id est, Sanitatis, Morborum.*

**H**Æc dependet ex Debilitate vel Robore Seminum, totaque subest Directori Archeo in Natura. Unde plerumque Fortes creantur fortibus, & Boni, bonis,

Membrum

## Membrum IV.

*De Fortunarum Statu.*

**H**ic improprie dicitur Inclinatio, & credendum est immediate à DEI manu provenire, omnes omnium Fortunas, prosperas, adversas. Hæc enim concernunt tantum Dispositionem Divinam, non autem Inclinationem naturalem, multoque minus ab Astris dependent, licet in Firmamento videantur præsignata, ut supra. Sortes enim nostræ in Manibus tuis, Domine. Credimus itaque Christiano-Catholici omnes omnium similes Sortes, bonas esse in se, & plenarie provenire & esse in Manu DEI, nostri Parentis. Credimus itaque, quod quantum quisque ab hac Opinione est remotior, tantum sit Gentilitati, Ethnicismo, Atheismo vicinior.

Apage igitur, cum his Stellarum Inclinationibus, & Tentationibus. Præter Rationes enim adductas, insuper fit injuria DEO, tollitur vis Meriti & Supplicii, aperitur quoque Via ad Atheismum, & Destinationum fatalitates, detrahitur DEO, ejusque Gubernationi ac Providentiæ.

Itaque Sapiens dominabitur Astris; non quod dominari possit Effectibus, qui sunt copulati ad Astrorum Revolutiones, tanquam ad Causas naturales, neque dominabitur illis, ut Signis prænuntiis, quasi nempe ea possit mutare, pro suo libitu: sed tantum prævidens, quod septem Planetæ, Blas motivum & alterativum concitaturi sint, unde Sterilitates, Frigora, Calores, Annonæ caritates necessario sequantur, poterit sic Sapiens providere sibi tempestivè de necessariis, adeoque Astrorum fluxu natis Incommodis obviando, à posteriori quodammodo dominari. Hoc Nomine Astrologus inter Sapientes poterit numerari. Sin autem Meteoris limitès excesserit, inter Augures Cœli, à S. Scriptura explosos, reputandus erit; quos S. Ambrosius telis Araneorum assimilat, quibus creduli implicantur & necantur

ab

ab Araneo, Dæmone. Sicut enim Araneorum telæ, Muscis & Culicibus, se ipsas irretientibus, captandis inserviunt, quæ tamen à robustiori Animali, facilè diffringuntur: Sic hæ astrales Prædictiones, credulos minusque in Fide firmatos, tantum captant & necant, interim tamen sunt nullæ, & falsæ, ut jam docebimus.

§. 5.

*De Nullitate & Falsitate Prædictionum Astrologicarum.*

Quod autem Astrologiæ Fundamenta sint vana, nulla, in se, aut saltem conjecturalibus Regulis innixa, sic probatur: Ex Parte Nullitatis 1. quia volunt septem Planetis attribui Figuram, Ingenium, Fortunam, Mortem nati Filii. Sed jam demonstravimus DEUM, Stellas in alium Finem destinasse, non autem in Causas Prædictorum. Ergo, si contradicant tales Prædictiones Astrologiæ, Divinæ Destinationi, eo ipso sunt falsæ & nullæ. 2. quia hætenus adhuc non constat inter Astrologos, de Schemate, seu Ordine Cælorum, an scilicet, ☿ & ♀ ferantur Orbibus singularibus infra Solem, sicut volebat Ptolomæus, & omnes Judiciarii veteres: An rotentur paribus Circulis circa Solem, quod nuper Tubus Opticus sic exploravit. Vide in Kircheri Itinere Extatico, in Scholiis Schotti, sex diversa Schemata Cæli, inter Astronomos controversa adhuc. Igitur concidunt omnes Aphorismi Prædictionum, in illo Fundamento Ptolomaico & Veterum innixi, quod scilicet ☿ & ♀ semper sint Sole inferiores. 3. Si duo ex Planetis, præter Solem, maximum Sidus, circa Solem ferantur, sintque tantæ Potestatis in Judiciis Astrologicis (nempe ☿ & ♀) & tam vicini nobis, saltem illæ Maculæ, vel Stellæ in Sole, vel illi propinquissima, erunt longè majoris Authoritatis, ad refellendum omnes veterum Astrologorum Aphorismos. Et Stellæ, quæ nuper sunt circum Jovem volventes repertæ, (de his ex Pro-

Hh

fesso

fesso vide Iter Kircheri in Jovem;) convincunt, Almagesti Regulas sine Fundamento esse scriptas, conjecturaliter.

Ut interim sileamus de Themate & Opinione Copernici, quod Sol semper stet, Terra verò continuo moveatur; per quam Opinionem absque dubio ruerent omnia Phænomena, & Prædictiones Astrologicæ antiquæ. 4. Incertissimum est Punctum Nativitatis cujuslibet Hominis: cumque Astra in singulo puncto variant, necessario omnis Prædictio debet esse incertissima. Vide apud Helmontium Historiam Principis, qui notato Tempore Nativitatis suæ, occultè pro se curavit apud diversos Astrologos indagari, de Puncto Nativitatis suæ, qui omnes inter se gravissimè discrepabant & remotissimè. Hæc de Nullitate.

Porro de Falsitate Fundamenti harum Prædictionum adhuc clarius constat. Fatentur enim ipsimet Astrologi, Excentricos suos, & alios Terminos Astronomicos, esse mera Figmenta, & impossibilia in Re ipsa, ad salvandas has Theoricas: quod idem sonat, ac se ignorare Cœlorum Orbes, ac Stellarum Latitudes, omniaque tantum hæc fingi, pro Captu conjecturali nostro, Adeoque positis his Figmentis, non est mirum, si consequantur plura ipsis affinia falsa, absurda, Figmenta.

Dantur insuper apud Medicos Remedia aliqua, quando fœtus Parturientium subinde per Diem & Horas stat in Parturitione, quod eo Pharmaco sumpto, mox infra Horæ Quadrantem Mulier parturit, sicque eluditur Punctum Nativitatis, itemque Hermetis Trutina de Empsychosi. Nam inter tot Horas & Puncta, quod erit Punctum verum, principale Nativitatis?

Falsitas denique etiam inde apparet. Nam dicunt Saturnum esse frigidum, siccum, melancholicum, ideò invidum, ad Furta, ad Proditiones incitantem, planè malum, quia de Natura Terræ. Martem vero, quia calidus & siccus (ubi manet Sol calidus, siccus?) malum esse, cholericum, Bellatorem,  
Homici-

Homicidam & ferum, quia de Natura Elementi Ignis. De Aëris vero Natura hilares, Jovem & Venerem, esse sanguineos, bonos: Lunam & Mercurium frigidos & humidos, de Natura Aquæ & Phlegmatis esse, ideoque mediocres. Soli vero non competit, tanquam calidissimo, Humor nec Elementum, sed manet Ex lex. Igitur vel Sol langvebit præ injuria, vel malè attribuuntur Potestates Elementorum fictitiæ, uti & quatuor Humorum, in Causas Proprietatum Stellarum, quibus proprium est, non mutare; sed dare Blas alterativum in hæc inferiora sublunaria. Sed de his Astrologo-Astronomicis vide uberius nostra Mathematica, Kircherum item, Schottum, Caussinum de Regno DEI, & alios. Hæc de Rerum naturalium Mixtione sufficiant.

### CAPUT XI.

## DE ANIMA.

**R**Ejectis hucusque Philosophiæ naturalis Aristotelicæ ac Galenicæ præcipuis Gentilibus Fundamentis, in eorum vero Locum substitutis longe solidioribus, in Christiana Fide infallibiliter fundatis: restat nunc pauca addere, de Anima, Rerum Principe, Forma, eaque tantum, quæ sunt selectiora, recentiora, singularia, practica & diversa, à suppositis antiquis, communibus. Reliqua ex communibus solidioribus non attingemus, sed videri poterunt apud recentiores, Petrum à S. Josepho, Morandum, Gvalturchium, &c.

Igitur sicut communiter assignantur tres Gradus viventium: ita & tres statuuntur Rerum Differentiæ, videlicet, Vegetativa, Sensitiva, & Intellectualis, immortalis. De Vegetativa infra loquemur. De Anima & Mente humana immortalis, intellectuali, ejusque Natura & Proprietatibus, abunde egimus

mus ex Professo in Theologia nostra naturali, sicut & ejus Definitionem cum aliquibus connexis, supra Cap. I. Sect. I. §. 1. 2. & seq. tradidimus, adeoque ea hic repetere non Opus videtur. Igitur de Sensitiva nunc agemus pauca, quæ occurrunt.

## SECTIO I.

### *De Natura Animæ sensitivæ.*

**Q**UOD omnes Rerum Formæ, & præcipuè Animantium Animæ sensitivæ, sint de Natura luminari, seu Lumina quædam à solo Patre Luminum, DEO, producta, in Materia per Semen, & Archeum prævium, ad Maturitatem jam disposita, adeoque, nec sint Substantiæ, nec Accidentia, sed Creaturæ neutræ, nullatenus de Potentia Materiæ eductæ, jam satis superque diximus supra, Cap. IV. Sect. III. per totum de Formis Rerum. Est ergo Anima sensitiva Lux quædam formalis, à DEO infusa, post sufficientem Materiæ Dispositionem, cui primario Vitæ sensitivæ Proprietates conveniunt. Sed ejus Descriptio & Quiditas melius declarabitur in sequentibus.

## SECTIO II.

### *Quotuplex sit Anima in Homine.*

**H**OC ideò hic quæritur, ut determinetur pro Fundamento dicendorum, an Anima sensitiva in Homine, sit quid diversum ab Anima immortalis, intellectuali? Hinc controvertitur inter Philosophos: an in Homine sit unica tantum, i. e. Anima intellectualis, an duæ? an tres? idque an simul? an successivè? de hac Quæstione solidissimus Caramuel in Theologia fundamentali, Romæ Anno Christi 1656. edita & impressa, jussu summi Pontificis, Nam 1626. sic Quæstionem determinat. Sicut certum est illam Sententiam esse hæreticam, quæ multas Animas racionales eidem Corpori adfingit: ita salva Fi-  
de

de admittuntur quædam Opiniones, quæ unicâ Animâ non sunt contentæ. Tres enim successivè requirunt Viri docti communiter, & tres in eodem Homine coexistentes nonnulli Professores Salisburgenses tuentur. Ita Caramuel. Idem ubique supponit & tenet Helmontius, de sensitiva saltem, diversa à Mente immortalis. Ejusdem Sententiæ referuntur apud Morandum, Theatinum recentiore, de Anima Tr. I. Quæst. 10. n. 196. plures Doctores, asserentes: quod ubi sunt plures Gradus essentialis Vitæ, (quales vegetativus, sensitivus & rationalis in Homine) ibi plures dari Animas. Ita docet Plato, Galenus, Jandunus, Philop, Occamus, Miranda & alii apud Conimbricenses & Ruvium, quos sequitur ex recentioribus expressè Zabarella, refutans Argumenta contraria solidè, inter sensitivam nempe & rationalem. Ergo hæc Sententia non potest dici improbabilis. Vide ex professo de hujus Opinioni probabilioris Firmitate Zabarellam præfatam, lib. de Anim. Facult. Cap. 5. 6. 7. 8. 9. Idem docent omnes Averroistæ.

Fundatur eadem hæc Sententia, in illa celebri Quæstione: An in uno composito possint esse plures Formæ substantiales? Affirmativam apud Morandum de Anima Tr. I. num. 147. Quæst. tuentur, Avicenna, Jandunus, Venetus, Averroes, Soncinus, Henricus, Scottus, Occam, Mayron, Niphus, Philop, Zabarella, Trombera, Dandinus, Rasqualigius, Theatinus recentissimus, & alii ibi citati. Hanc ipsam Sententiam tenet ipse etiam Morandus ibidem Concl. 1. & 2. num. 148. & num. 149. ubi præcipuo duo firmiter statuit: scil. 1. plures Formas substantiales posse invicem subordinari, 2. in uno Composito simul esse posse plures Formas substantiales. Eadem Doctrina confirmatur, ex altera celebri Quæstione de Formis partialibus, i. e. An in Corpore animato includantur plures Formæ partiales, substantiales? quam P. Petrus à S. Josepho lib. 8. Phys. Cap. I. Art. II. pag. 268. sic resolvit: Respondeo, proba-

biliorem semper mihi visam fuisse, Scoti Opinionem, qui Formas illas partiales substantiales in Corpore vivente admittit. Vide ibi ejus Rationes solidas, Hæc Opinio videtur communius recepta, & ferè certa.

Ex quibus evadit manifestum, quod Anima sensitiva in Homine, saltem ut Forma substantialis, subordinata immortalis intellectuali, aut certè ut Forma partialis, substantialis, distincta ab immortalis intellectuali, admitti possit probabiliter, si non certo.

Deinde hæc Sententia valde conformis videtur illi Veritati Theologica; quæ Hominem communiter distingvit in superiorem (rationalem, immortalem, purè spiritualem) & inferiorem (i. e. animalem, brutalem, sensualem) sibi invicem repugnantes. Unde & illud Apostoli: Sentio aliam Legem in Membris meis, repugnantem Legi Mentis meæ. Ergo inter se debent esse distincta, Homo superior, i. e. Mens immortalis, & Homo inferior, i. e. Homo sensualis, animalis. Nihil enim sibi ipsi contrariatur. Simile est illud: Corpus, quod corrumpitur, i. e. sensitivum per Animam sensitivam, aggravat Animam immortalem. Et illud: Animalis Homo non percipit ea, quæ DEI sunt. Ergo aliud est Homo animalis, carnalis, & Homo spiritualis. Omittimus plures Scripturas hujus Sententiæ confirmatorias. Quæ Sententia eo magis subsistit in nostris Principiis supra positis, ubi docuimus, Animas esse de Natura Luminum, quæ manifeste se invicem penetrare possunt, & simul stare in eodem Subjecto, sine ulla Confusione unius cum altero. Quid ergo remanet Scrupuli?

Denique præstans Philosophus & Medicus D. Joannes Marci, Universitatis nostræ Pragensis, Rector Magnificus, in suo Opere Philosophico de Idæis operatricibus, hanc Quæstionem ex Radice examinat, & resolvit pro Sententia nostra Cap. II. ubi contestatur, eam communiter à Medicis doceri, neque

neque prorsus Sacræ Fidei adversari, simulque solide evacuat omnes Objectiones contrarias, Toleti & Ruvii, quem, si lubet, vide Cap. citato, circa medium. Et revera non apparet, quod centenæ Difficultates, alias solide possint solvi, ac Ars vera Practica Medica Morbos curandi, salvari queat, in Opinione contraria, quæ principaliter fundatur in hoc Argumento, quod, si admittantur plures Animæ in eodem Composito Hominis, jam sic istud Compositum non fore substantiale Compositum per se, sed potius Compositum per Accidens. Sed Argumentum hoc non est tanti Momenti, nec adeò forte, ut perfacile perfringi non possit. Sicut apparet apud Doctores nostræ Sententiæ, in Solutionibus Argumentorum omnium apud D. Marci Lib. cit.

Solent hic in Scholis plura inquiri de Anima, i. e. An omnes sint indivisibiles? Quæ partes Corporis sint animata? Quomodo distingvantur Potentiæ inter se, & ab Anima? De Subjecto & Specificatione Potentiarum, & similia. Quia passim sunt communia, & ex nostris Principiis, ac mox dicendis facile resolvi possunt, ea hic omittimus: & stabilito Fundamento præmissis, nunc Sedem inquiramus Animæ, tam intellectualis immortalis, quam sensitivæ in Homine. Unde sit.

### SECTIO III.

#### *Inquiritur Sedes Regia Anima humana.*

Cum omnes Animæ & Formæ Rerum, sint quædam Lumina à DEO Corporibus infusa, pro Mente immortalis, Principe convenientior Thronus in Homine reperiri vix potest, quam Anima sensitiva, quæ pariter est luminaris Naturæ excellentissimæ. Unde probabilius videtur in ea Mentem collocasse suam Residentiam. Idcirco eadem etiam Sensitiva videtur in plerisque Vicariam agere illius excellentioris & Principis Regiæ, Animæ scilicet immortalis humanæ. Siquidem hæc non habet propin-

propinquius & sibi similius Subjectum, in quo hospitari possit, quam Lumen illud vitale, quod Anima sensitiva, in qua scilicet Mens involvitur & Mandato divino ligatur Vinculo Vitæ temporalis. Pereunte autem Sensitiva per Mortem, & sui Annihilationem, non potest Mens diutius subsistere in Corpore: adeoque properat evolando ad Ens Entium, ut ad Loca sibi deputata transeat. His præmissis inquiramus nunc Thronum hujus vicariæ Regiæ in Corpore Humano, i. e. Animæ sensitivæ.

Licet igitur Anima hæc sit ubique, ubi est ejus Vita: attamen sicut Sol proprie non est, nisi in suo Loco, i. e. in Cælo, tametsi Lumen ejus sit, quocumque ipse Sol aspicit; Ita prorsus de Loco centrali Animæ sensitivæ est judicandum, tanquam Mentis vicariæ. De hoc vero Regio Centro, Throno, Cancellaria Animæ in Corpore, variè inter Philosophos concertatur. Plato certat pro Corde, cui Sacra videntur suffragari, dum docent, ex Corde Homicidia, Adulteria emanare. Alii, præcipuè Medici Caput respiciunt, tanquam Hospitium Discursus & Intellectus: præsertim quod Cor, tam indefesso agitati Pulsus Motu, non posset non Animam sensitivam reddere turbidam & inquietam. Alii volunt Animam in toto Corpore esse vagam, gliscentem, incerti Laris incolam, dispersamque, quocumque versus Vita est præsens. Sed isti non respiciunt, quod partes quædam, Vita sospite, amputentur: Aliæ vero etiam leviter tantum percussæ statim Mortem adferant totius. Ergo in his videtur magis Anima residere, quam in illis. Sæpe enim aliquis conciso Vultu, & Capite velut imminuto, Mortem adesse sibi testatur; cujus tamen Cor, Tempore & Pulsu suo, adhuc asseverat præsentem esse Animam. Idque in diu Agonizantibus est quotidianum, ubi omnia videntur jam mortua, solo Corde adhuc vivente. Vide hujus asserti aliquot Historias apud Helmont. §. 41. n. 3. & seqv. ubi Caput globo trajectum & pro mortuo habitum, Cor adhuc vivere deprehendebatur, & similia,

similia. E contra in Stomachi Orificio percussi, mox Vitâ, Pulsu, Motu in Corde privati, mortui totaliter sunt reperti. Itaque, salvâ Ecclesiæ Catholicæ Censurâ, hac de Qvæstione, nostra Sententia est, ut sequitur.

#### SECTIO IV.

##### *Statuitur Anima Thronus repertus.*

**L**icet Vita sit Index Animæ, & Anima sit ubicunqve Vita, tamen sicut abscisso Digito, vel Pede, non evolat Anima, vel Vita totius: neqve tamen Anima, aut Vita ideo in partes dirimi possit, ita ut Anima in toto sui integrali, ullatenus sit divisibilis, videatur tamen Mors propinqua, læso Membro aliquo nobiliore; certum interim etiam sit, quod statim pereat Vita, in abscisso Membro, licet à toto, Animæ Pars non sit proinde ablata. Ergo inde patet, quod non sedeat Anima in quacunque Parte centraliter, ubi est Operatio & Præsentia Vitæ. Igitur omninò necesse est, ut alicubi sedes Animæ sit, velut proprium & centrale ejus Domicilium. Inde enim dimittit suos Radios, instar Solis in Cœlo, luminares & vitales, per Archem, qui est vitalis Lucis Organum, & velut supremus Alæ præfectus Animæ sensitivæ.

Anima enim ipsa est quædam Lux, ut sæpè diximus, & Substantia lucida in Mente immortalis, in aliis vero Animabus est quidem Lux, non tamen Substantia, ut supra de Forma vidimus.

Itaque Creator DEUS, (cui sit omnis Honor & Gloria!) servavit quendam Progressum, à simili in aliis Animabus viventium, qui nos, ipso illuminante, inducet instruendo in Animæ nostræ Solium Regium, ut à crassioribus melius consideremus abstractiora Animæ nostræ. Itaque examinemus in Plantis Sedem Animæ vegetativæ, utpote crassioris, & facilioris Deprehensionis, quæ facilius etiam in nos inducet, insensitivæ partem Sedem.

Certum videtur in Arbore, Radicem, esse initium vitale sur.

In Radice enim, velut in Culina, peregrinus Succus concoquitur, alteratur, à pristinæ Aquæ Simplicitate alienatur, subitque Dispositionem Fermenti ibidem locati. Coctus autem inde distribuitur, ut magis magisque coactus, similis evadat, juxta ulterioris cujuslibet Culinæ Necessitatem, quæ inhabitanti Spiritui jam suas sanxit Leges. Similiter certum est, destructâ Radice, totam Arborem exarescere.

Pariter est in humano medio Corporis trunco Stomachus, qui non est tantum Saccus & Pera, aut Ciborum Olla: sed revera in ipso Stomacho, præsertim in ejus Orificio, tanquam in centrali Puncto & Radice, stabilitur evidentissimè Principium Vitæ, Principium Digestionis Ciborum, & Dispositionis eorundem ad Vitam. Sicut in Radice Arboris proportionaliter diximus. Quidquid enim Physici, magni Momenti, de Corde, perpenderunt unquam; id totum, velint, nolint, Stomacho commune fecerunt, ut Cardiogmus, Cordis morsus, Cardialgia, Dolorve Cordis, transmutativo & mutuato Nomine à Stomacho sint seducta. Hinc Stomachi Orificium ipsimet Medici dicunt Præcordia. Itemque Syncope, Deliquia, Insultus Epileptici, quæque Vitæ frena gestare videntur, ab Ore Stomachi Originem sumunt, ut fatentur ipsi Medici. Idem docet quotidia Experimentia in Phlebotomia, in qua sæpe Venâ apertâ, mox Vertigines & Obfuscationes Visus sentiuntur manifestè, ex Stomacho, tanquam Radice, emanare, accessare iterum, quoties digitus apertæ Venæ impositus, & inde remotus, sentiuntur iterum Symptomata, è Stomacho oriunda, & inde excitata, imo eadem Symptomata, curantur per Remedia Stomachica. Ergo ibidem videtur esse Sedes centralis Animæ, sicut in vegetativis. Stabiliamus nunc hanc Sententiam pluribus Argumentis confirmatoriis.

### Confirmatio I.

Hoc ipsum roboratur ex Sacra Scriptura: Quæ Cogitationes  
ascen-

ascendunt in Cor vestrum? ubi non dicit descendunt (ex Capite) in Cor vestrum. Neque dicit: Quæ Cogitationes nascuntur vel surgunt à Corde vestro? sed dicit, ascendunt (i. e. ex Stomacho) ad Cor vestrum. Nam & sæpè Stomachus ideo Cordis nomine vocatur, dum à Corde Adulteria & Peccata oriri censentur. Omnis enim Cogitatio, prima sui Origine, alibi certè debet nasci, quam in Corde. Pulsus namque & motus vehemens Cordis indefinens, id vetare voluit. Quod vero Cogitatio Cordi sic tribuatur communiter, est Locutio juxta captum Vulgi; Cor pro Animæ sede sumendo.

### Confirmatio II.

Idem patet in Plantis, ubi licet Seminum Necessitas tendat ulterius, ad Multiplicitatem Functionum, ac etiam consequenter pergat in partium Heterogeneitates; non tamen ideo Vis vegetans, seu Anima vegetativa discedit ex pristino vegetaliqve Thoro, Radice, quo semel sibi Sedem figit, nec inde migrat, aut dividit se propter Dispersionem Culinarum variarum. Quod longe formaliori & manifestiori modo contingit, postquam Seminis Dispositio in Animantibus belluinam Figuram ornavit, & Membrorum Varietatem ordinavit. Tunc enim à DEO datur Anima sensitiva & motiva, eaque tunc nec alibi stabulatur, quam in prima Radice, qua sibi deinceps omne Fomentum præparat. Id clarius infra trademus de Potentia generativa.

Quantum ad Vegetativa, proprie loquendo, non putamus esse Animam quandam vegetantem in Plantis & Brutis, sed est Potestas quædam vitalis tantum, & velut Animæ Prodromus. Anima autem sensitiva adveniens, habenas illius Potestatis Archealis in se suscipit, & vitalis illa Potestas præcurrens, in Archeo liquescit, & deinceps se submittit Animæ sensitivæ. Caput enim occupatum Discursu animali, vel Cor Pulsibus agitatum continuis, operansque incessanter, in fabrica Spirituum vitalium,

lium, ac Cruoris in Sangvinem transplantandi, non sunt apta organa Animæ belluinæ. Sed hæc Anima ubi in Radice reperit Hospitium sibi præparatum, ibidem residet, permanet, nec inde alio migrat. Nam revera Cor famulatur Stomacho, dum tota Vita tantum incumbit fabricæ Spiritus vitalis: sicut & alia Membra, in sibi demandatis Functionibus.

### Confirmatio III.

Quia ipsa Experientia quotidia docet, quod novelli Fætus limen Vitæ primum, incipiat à suctu & somno: atque in hoc suctu & genere Vitæ, aliquamdiu perseveret per Annos. Quæ ambo i. e. Suctus & Somnus, contingunt in Stomacho (prout infra videbimus) ubi nimirum per Animam stabiliuntur & conservantur Vires vitales in Radice, qua potissimum nutriri, foveri, fomentari, & crescere eadem imposterum sperat Anima.

Nec enim Animæ Studium, vel Officium fuit unquam, vagari, aut migrare, nunc in hunc, nunc in illum Locum, ut tandem proprium Thorum sibi inveniat aut eligat. Dirigitur enim ab Intelligentia sua non errante, & ab Initio Vitæ stabilitur certa sua sede. Ideo ab Initio Creationis, Seminum Origini destinatum est centrum, Mandato DEI & Vinculo, ne sedem Animæ mutet, aut aliena Loca inquirat, sibi velut commodiora. Novit enim Fines Destinationis cujusque DEUS, qui regit omnia fortiter, & disponit sua suaviter.

Est quidem in Animantis Cerebro vis motrix, & Officina sensitiva: non autem, quod ideo Anima discussa primordiali sede, migraverit à radicali Hospitio, ipsi per Creatorem deputato, ad Caput. Facultates enim & Functiones Animæ sensitivæ sunt quidem in Pluralitatem partium distributæ: interim tamen ipsa Anima inconcussa manet pristino Loco, ubi vincula prius fuit, & alligata. Nec enim propter Munium Di-  
versita-

veritates discerpta est: quippe quæ per Ministrum & Aula suæ Præfectum, Archeum, omnia perficit, & radio illo vitali, ubique velut præsens, adsistit. Prout infra de Sensationibus clarius videbimus.

#### Confirmatio IV.

Quia iterum Experientia quotidiana nos docet, omnem Impetum primorum Conceptuum, omnesque Perturbationum primos Motus, & liminarem ac primitivam Agitationem, contingere circa Stomachi Initium. Nam si ex improvise Bombarda explodatur, eodem Ictus rumore, mox circa Os Stomachi sentitur Concussio. Sic etiam, si repente Nuntium triste, aut mala nova, præcipuè ante Cibum sumendum, afferantur, nusquam alibi sentitur repentina, accelerataque Alteratio, quam in centrali illo Animæ Hospitio, i. e. Stomacho. Perit hinc statim Appetitus, recusat Stomachus Comestionem. Quod adeo verum est, ut omnes Philosophi & Medici, etiam inviti, inadvertentes, ibidem, i. e. in Stomacho locaverint concupiscibile Animæ Diversorium. Quod, quia Duratione est prius Discursu, Motu, & Sensatione externorum Sensuum: ita & denotat, imò convincit Animæ primordiale Hospitium ibidem esse. Adeoque in Morbis huic Radici Remedium opponi solet & debet, unde Error & Morbus promanavit, non vero Membro, Functionibus tantum deputato. Ignorata enim Habitatione & Aula Principis Animæ, ubi omnia Edicta pro Corporis Regno gubernando formantur, perperam certè recurritur ad Loca Executionum limitanea aut civilia tantum. Ibidem enim, in illa Aula, Anima suscipit primitivam & plurimorum Morborum labem, Perturbationem & Contagium. Igitur & ibidem Medelæ sunt applicandæ, si à Radice malum curare velimus.

## Confirmatio V.

Id ipsum nostrum hoc Paradoxum, inviti etiam assensi & confessi sunt semper omnes ferè Medici & Philosophi, dum jam dudum admiserunt primos Motus seu Impetus, qui non sunt in nostra Potestate, contingere circa Stomachi Orificium, indeque sursum ad Caput scandere. Certum est autem, quod omnis Motus primus, à Centro incipere debeat, adeoque centrum Animæ esse debet, ubi sentitur Conceptuum & primorum Motuum Initium. Dicuntur autem Impetus, qui non sunt in nostra Potestate: eo, quod sint Animæ sensitivæ primi conceptus adhuc inordinati, nondumque Mentis imperio lustrati. Ex quibus omnibus clare sequitur, quod Aula Animæ sensitivæ sit in Stomacho, & præcipuè in ejus Orificio.

Quod hucusque probavimus pro Throno Animæ sensitivæ, intelligendum pariter est, pro Mente immortali Imperatrice, in Anima sensitiva residente & imperante, ut supra. Adeoque radicalis hujus sensitivæ Thorus est in Stomacho, ejusque Archo vitali, ibi stat manetque tota Vita: non quidem tanquam in Sacco, Pelle, Membrana, Olla, Carcere, Cellula, vel Cortice. Nec est in ista sede comprehensa, pro more clausorum Corporum intra Crumenam. Sed exorbitanti modo inest in Puncto centraliter, ac velut in Atomo, unius Membranzæ spissitudinis meditullio; estque in Loco nihilominus, non planè localiter; Sed quia omnis Anima est Lumen à Patre Luminum Rerumque Creatore datum: Lumina autem, sunt quidem immediatè in Loco, sed mediate in Aëre locato, ut supra de Meteoris diximus. Sic quoque Anima sensitiva est in Loco, seu sede sua similiter, proportionaliter. Mens vero Imperatrix nostra, cum sit Substantia luminosa, ut de Formis jam diximus, penetrat hoc Lumen alterum, quod est Anima sensitiva, & vicissim hoc penetrat Mentem, eamque  
sæpe

sæpe obtundit sua corruptelæ Adamicæ Contagione. Nam Lumina se invicem penetrare possunt, ut patet per Experientiam. Sed de Animæ utriusque Combinationè, Natura, Proprietatibus, paulo post ex professo plura. Interim reliqua Argumenta prosequamur confirmatoria.

### Confirmatio VI.

Probatur iterum Sententia nostra, à tenerrimo sensu Oris Stomachi, præ cæteris omnibus Membris, ita ut non ferat Manum appositam, vel Cingulum, Ligamen, licet costis utrinque innitentur. Ergo certum Indicium est, ibidem subesse acutissimum Sensum, & Vitam, omnis Sensationis Fontem, i. e. prodit se Res ipsa, nimirum se esse Animam sensitivam, primario nocivis obviam, Menti immortalis obvolutam. Hoc ipsum fatentur etiam invitæ Scholæ, dum docent Orificii Stomachici Teneritudinem, seu nimis acutum, accuratum & præcisum Sensum, causare omnem pœnè Animi Syncopen. Ex quibus constat ibidem vitalis Initii Lumen, seu Initium esse, qui introitus primariò lacessentibus Causis stimulatus, sentit mox sui incommoda. Non autem decernitur aliquod Mandatum Principis, nisi ex Aula, uti neque Vitæ Potestas delegatur aliunde, quam à Vitæ Præsidente, i. e. Anima.

### Confirmatio VII.

Quia Stomachi Status præsidet omnibus totius Corporis Digestionibus, etiam remotissimis, centenis, internis, externis, denique Membris millenis singulis. Inde etiam omnes Morbi promanant, incipiunt, transfunduntur. Ergo ibi datur necessario sedes Regia, undiqve sua Mandata, sive bona, sive noxia, decernens. Sic inde profluunt Febres, Apostemata, Arthritis, Podagra, Cholera, Lienteria, Cœliaca tormina, Diarhæa, Paralyfes, Apophtharma, Calculus, Morbi hæreditarii, Pavores, Amentia. Quomodo id fiat vide apud Helmont. singulorum

lorum Deductiones à §. 10. usq; 24. & infra magis patebit. Similiter vis Venenorum principaliter afficit Lumen vitale Animæ, in Stomacho, vide id §. cit. n. 16. Hæc enim mala omnia à Sede Animæ vitali sagittantur, vel Jaculo emittuntur, radiantur, & propagantur, communi Archei ductu, vel Vitæ Participatione instillantur à Stomacho ad certa Membra, ita ut in Pulmonem rejecta, efficiant Phtisim, in Pleura, Pleurititem, in Præcordiis Febres, in Renibus Hydropem. Adeo ut quidquid hactenus corruptis quatuor Humoribus, aut è Capite defluentibus malis & Catarrhis, tanquam omnium ferè Morborum Causis, descendantibus in omnia Membra, dedicatum fuit; id totum in Fructum & Productum Causæ vitalis, i. e. Animæ sensitivæ, & turbati Archei referendum est, ut suo Loco infra magis patebit.

### Confirmatio VIII.

Quia Cibi, Potus, & Pharmaca Vim suam statim amittunt, circa primam Stomachi Digestionem, nec ulterius vadunt, aut mittuntur: quia nutriunt simpliciter, & ideò omnem Larvam, Nutritioni horridam debent exuere, ibidem aut planè despicere, aut in Excrementa abire, consequenter sic inutilia fiunt ex se materialiter Sanationi. Interim tamen constat, quod sanent etiam remotissimos inde Morbos, Vulnera Manuum, Pedum, Capitis; quod aliter fieri non potest, nisi per Animam imperantem, & ejaculantem Radios suos, ad Partes malè affectas, quas sic sanat. Ex quibus constat, Animam ibi residentem, mandata sua diversimode exercere, in totius Corporis singula Membra, & agere per modum Jussus, Moderaminis, Regiminis, sicut etiam sæpè Truculentia, Furoris, Tyrannidis (i. e. in Morbis); ita ut ad hoc non indigeat Canalibus, Ventis, Flatibus, Vaporibus, Fuligine, & omnium minimè Calorum, Frigorum, Defluxionum ope; sed hæc omnia solo nutu, Lumine, Irradicatio-

Irradiatione, instar Solis, Lunæ, & omnium Luminum, peragitur in instanti, nec indiget Curru, Rheda, & Viis intermediis, successivis apertis. Declaremus tamen hic paucis, quomodo fiant plerique Morbi? quomodo propagentur ex Stomacho? Sunt in concavo Stomachi, acidum, amarum, falsum, nidorosum seu putridum, virulentum, insipidum. Hæc si peractâ Digestione totali, suo Tempore non expellantur per Vias, decessus ordinarios; sed Errore Archei transplantentur hinc inde in alias Corporis Partes, ibique coagulentur, aut abstergantur: Itaque hæc morbosæ Spinæ ex Stomachi Radice transplantatæ, in Pulmone si firmentur, causant Pthisim, Asthma & similia Pectoris mala; in Articulis Manuum pedumque Podagram, Chiragram, Ischiadicam: in Renibus Hydropem: in Pleura, Pleuritudinem: alibi suis Locis Febres, Epilepsiam, Apoplexiam, & reliquos Morbos. Inde faciunt Archeum, Aulæ præfectum, furere, plura Symptomata patrare (de quo Archei furore infra) donec illa Spina virulenta sit ejecta, vel ipse Archeus ad Quietem reducatur, per Remedia universalis & appropriata; aut Spina illa evellatur, per Remedia ibidem generalia vel specialia, de quibus suo Loco.

Igitur illud amarum, acidum, falsum, virulentum &c. quamdiu manent intra Stomachi septa, sunt ibi amica; sed extra illud Territorium, quocumque devenerint, vel inhæserint, sunt inimica, hostilia, donec expellantur ex toto Regno Corporis. Hæc summatim de Ortu Morborum & Sanitatis in Stomacho. Et sic satis videtur stabilitus Thronus Regius & principalis Animæ in Stomacho. Sed quia Animæ sensitivæ in gubernando Minister summus, & Vicarius Generalis Archeus, aliam tenet Sedem & Residentiam, non procul à Regia Aula distitam, nempe in Liene; unde inter Stomachum & Lienem summa Correspondentia, Concurrentia, & quasi individuum Conjugium intercedit, ex quibus ambobus, vel ut ex quodam Duum-

iratu, tota Hominiſ Republica & Oeconomia gubernatur: Hinc paucis etiam hanc alteram Aulam, Cameram & Cancellariam cum Principali (ſicut Camera Spirenſis Imperialis, cum Aulica Imperiali) concurrentem, perlutremus & examinemus.

SECTIO V.

*De altera Anima ſenſitiva Cancellaria, in Splene per Archeum collocata.*

**I**Gitur ex dictis prorsus neceſſarium eſt, quod omnes primi Motus, Impetus, primiq; Conceptus Animæ contingant in Cubiculo Animæ. Qui licet maximè ſentiantur circa Stomachi Oriſcium, deprehenditur tamen Splenem inſervire pro Fermento Stomachi, ejuſdemqve quaſi eſſe Solem, Coctorem & Directorem. Unde amborum iſtorum Viſcerum Conſpiratio vocari poteſt Duum viratus, ſeu Regimen Corporis, ac Cancellaria quaſi duplex Animæ ſenſitivæ. Nam licet Fermentum digeſtivum & ſimilia Stomachi ſubſidia videantur Famulatum referre: In vitalibus tamen Famulatus, ut Potestatem & vires continet, ita & Dignitatem & Authoritatem præfert. Adeo, ut ſicut in Stomacho ſunt Senſus, Deliquia totius, & Coctionum Privilegia, maximè ſenſibilia, manifeſta & aperta: nihilominus vitale Spiraculum tam multiplicium Arteriarum, tamqve potenter Stomachi Digeſtiones cauſans, quod eſt Splen, juſſit DEUS abſqve Dualitate, Diſſidio, aut Præferentia potentiali, fieri cum Stomacho unam utriuſqve Viſceris Oeconomiam, diverſis quidem Officiis, in unum Scopum conſpirantem; licet utrumqve ſuo Operi attendat, idcirco & Loco ſeparatum. Unicus, nimirum hujus utriuſqve Regii, Viſceris eſt niſus concors, conſer-taque Intentionis Chelys ejuſdem Animæ ſenſitivæ ibidem reſidentis.

Vicinus igitur Splen Stomacho foris incumbit, quaſi eundem ſoveret, vitali Arteriarum contextu. Non quidem quod  
Arteriæ

Arteriæ omnem Vim dent Spleni, sed Viscera hæc se habent per modum Astrorum. Licet enim Astra à Sole Lumen suum mutuentur, singulis tamen est peculiaris sua Proprietas & agendi Robur. Quod in Luna longè est evidentissimum, ut patet ex Maris recessu, Æstu & Exundationibus. Unde licet Arteriæ multiplices Splenis, Solis Vices teneant, ipse tamen Splen, geminam & natalem Dignitatem, sibi peculiarem, obtinuit, licet Cordis Famulatio in Præparatione Sangvinis & Spiritus vitalis gaudeat.

Ergo Splen Sedes Archei, summi Ministri Animæ, Sedes est, qui cum sit Organum immediatum, & generalis Vicarius Animæ sensitivæ, determinat Actiones vitales Animæ in Stomacho residentis. Ipse est ejus totalis Executor Mandatorum, & Director. Vix enim Anima sensitiva aliquid meditataur aut operatur, citra Opem Archei.

Unde & in Exorbitationibus ejusdem Archei, subministratur Stomacho & Animæ, Aversio, Confusio, Exorbitatio, Indignatio. Ipsaque Anima sensitiva, tanquam Mentis immortalis siliqua, semper utitur Archeo, velit, nolit. Hinc omnes Amentię dicuntur præcordiales, & adscribuntur Hypochondriis. Quæ tamen ab eadem sede, ut ab eodem Animæ Fonte, velut unici puncti Læsione, promanant. Remedia pariter vix extra septa Stomachi materialiter exeunt, & rara sunt, quæ ad Lienem usque traducuntur. Quod patet abundè ex Difficultatibus quartanæ Febris curandæ. Sed hæc asserta de Animæ sensitivæ utraque Cancellaria, concurrentiam mutuam habente, seu de Animæ Duum viratu in Stomacho & Splene, oportet pluribus Argumentis corroborare & magis declarare. Sit ergo

### Argumentum I.

Ibi est sedes Animæ, ejusque Thronus, Aula, Cancellaria, ubi fiunt & exeunt primi Conceptus, Mandata, Impetus, in

reliqua Reipublicæ Membra, sed hæc contingunt in Stomacho, ut supra jam ostendimus, & in Splene, ut deinceps utrumque demonstrabimus. Ergo. Min: sic probatur.

Testantur Scholæ cum Hippocrate, Amentiam & Epilepsiam, ex Præcordiis & Liene prodire, qvi Stomachi est sodalis & socius Thori. Idem est de Præcordiis & Hypochondriis, qvòd Nomen datur Orificio Stomachi communiter. Adeoque Scholæ ipsæ sic testantur, ibidem quoque in Stomacho, seu ejus Orificio & Liene, ubi Officina Amentia latet, etiam in Sanitate, sedem recti Judicii esse, juxta commune Axioma: Functio vitata est ejusdem partis, cujus in sanis est integra; & contra.

Et sicut Amentia omnes causant vigilias; ita certo Argumento est, qvòd Somnus, Sopor, Vigilia, Dementia, eodem degant in Hospitio. Nam Somnus, Vigilia, Phantasia, Somnium, sunt Potestates versantes circa idem Subjectum, ac fiunt in eodem Organo & Hospitio, ut infra de Somno, suo Loco, magis patebit. Indubium etiam est, qvòd in Momento cesset omnis Operatio Mentis, per suspendium: prout ad Momentum suspensi sæpe sunt testati. Si ergo Caput Locus proprius esset Imaginationis, perseverarent utiqve aliquamdiu, vel longius, Mentis Operationes in Capite illæso existentes, quæ tamen statim in Puncto intercidunt, quam primum Lux ab inferioribus, i. e. à Stomachi & Splenis Regia fuit denegata, aut interclusa. Signum ergo est Phantasiam residere in hoc Duumviratu principaliter, originaliter.

### Argumentum II.

Ibidem etiam habitare Potentiam concupiscibilem, probari post ex Galeno, qvi Rabiem ex morfu Canis rabidi profectam, vult curari per Cinerem ex Cancris combustis. Hæc autem Rabies in concupiscibili, seu metu Liquidorum æstuat; unde & Hydrophobia dicitur. Cinis verò à Cancris, ad Cerebrum deferri non potest, ut ibi curet malum. Nihil enim illuc vadit

vadit, quod prius non sit in Stomacho transmutatum : Nec itur ad quintam vel sextam Concoctionem, nisi per primam & secundam. Unde & illa Rabies fit per intervalla, oblato nempe poculo aliquo aut Potu, in Concupiscibilem furit. Nemo autem Potuum Concupiscibilem Cerebro unquam dicit. Ergo dum Canis rabidus Doct. Baldi momordit Digtum, Virus istud statim à Digtio in Stomachum serpsit, tanquam primum Animæ sensitive Organum : uti etiam ad Splenem sibi convexum : quorsum Lixivii illius operatur Remedium, ita ut Passioni Hypochondriacæ sit Subjectum.

### Argumentum III.

Ibidem quoque hospitatur Potentia vegetativa : quia supra ostendimus, Splenem inspirare Fermentum digestivum Stomacho, quod idem est dicere, ac Lienem esse Vegetationis Exordium, i. e. Concoctionis, Nutritionis, Augmentationis : Potentiam autem vegetativam spectare ad Animam sensitivam; nec dari in Animantibus singulariter Animam vegetantem, sed esse Potestatem vitalem, Animæ æmulam, supra jam insinuavimus.

### Argumentum IV.

Conceptus Animæ sunt primi in Animæ Sede, i. e. Duumviratu sæpè memorato; qui etsi forte depurentur in Capite, non tamen ideò negant suum Fontem. Imo licet in Cerebro recuderentur, non tamen ad hoc Motuum Successione, ab Anima in Caput, Opus habent, tanquam Peregrinatione. Nam Voluntatis sunt longe crassiora Imperia, quam Conceptuum : & tamen vix concepto Motus Mandato, Fidicinis Digtii celerimè illud Mandatum exequuntur. Itaque Actiones utriusque Cancellariæ, non interruptâ Luce radiant in sua Objecta. Ideoque Discursus, suis Officinis adæqvatus, utrobique Leges sumit, ac vicissim alias statuit. Laxa alioquin, confusa, turbi-

da sunt Cerebri Phantasmata, si aliqua Splenis noxa, aut Error intercurrat. Sicut patet in Suspendio, Delirio febrili, Hypochondriacis, Rabiosis, Apoplecticis, Epilepticis. Consequentur Cerebrum debet esse Subjectum Stomacho & Lieni, & obedire eorum Duumviratui deliro. Unde non mirum est, quod Splen sub Hospite exotico peregrinas formet Ideas, & Conceptus alienos, eosque perficiendos sursum in Cerebrum mittat. Hinc etiam videmus in Hypochondriacis, statim Conceptus ex Hypochondrio, in Vultum ascendere & in Oculos, ibique confusos apparere, paulo post iterum etiam pacatos. Propterea supra benè asseruimus, primos Conceptus Perturbationum sentiri primum in Præcordiis. Nam si alias esurienti adferatur triste Nuncium, mox perit Appetitus. Ergo Nuncium & Appetitus in idem cadunt Hospitium. Idem sentitur ibidem in Orificio Stomachi, ad quamcunque Irritationem vehementem Iræ, Excandescentiæ, Terroris. *Unde illa vulgaris Querela: daß mir die Gall ist übergangen / quamvis revera nulla sit Bilis, sed Arcei alterati Motus, consequenter Anima sensitiva insultus ibidem dominantis.*

### Argumentum V.

Ibidem fiunt Somnia, Somnus, Sopor. De Somno infra specialiter id probabimus. Nemo enim Medicorum hæcenus dubitavit, quin Incubus, terrificum Somnium, suscitetur ex Præcordiis. Nam plerumque id contingit durioris Cibi cæna largiori, vel alias Stomacho laborante. Quod omnibus est manifestum. Ideoque hoc accidit, non cubanti in latere dextro, sed tantum dormienti supino in Lumbis, vel saltem in latere sinistro, dum scilicet penè satis est dormitum. Tales sentiunt tunc obscure, ratiocinantur, putant se Manibus tangere, & Oculis videre, non tamen possunt se movere: Sentuntur enim audiri & sentiri Oppressiones. Est nempe Stomachus  
onustus

onustus & oneratus, ejusque nondum absoluta Concoctio, ideoque contingit sinistro latere cubantibus; illuc enim est Os Stomachi contortum. Unde patet & Stomachum impedire motui, & præcipuè in hoc, Somnum & Somnia simul cum Motu moderari. Sunt enim Somnia Incubi fere semper eadem, ut & movendi Impotentia, quamdiu Stomachus malè affectus, Somno distenditur.

Scholæ causas Incubi (sicut & Somni) assignant crassos Vapores, Medullam spinalem invadentes, & quidem invehuntur in Vapores, ob momentaneam illius mali Solutionem. Nam si protinus expergescant Somniores ejusmodi, statim quoque cessat Incubus. Adeoque ad lubitum excitantis, Vapores illi cessare deberent. Sed falsum est dari crassos tales Vapores: unde Helmont. §. 43. n. 17. testatur, se per 50. Annos, quibus in Distillationibus continuo desudavit, nunquam vidisse ullum crassum Vaporem; dari quidem Exhalationes corporeas, in quibus Res volatilis sublimatur, ut in Sale Armoniaco, scandunt ad Latera Vasis crassæ Fuligines, sed aqueos Vapores crassos nunquam vidisse. Imo ut cunque etiam darentur, aut crassi essent quomodocunque, saltem ad Excitatoris lubitum subito illam Crassitiem deberent amittere, aut sistere deberet Calor ille, qui tales Vapores excitasset & condensasset: utrumque autem est ridiculum.

Denique, si Medulla esset affecta, ob denegatum Motum in tali Somnio: ad excitantis Lubitum, iterum omnis Affectus talis Medullæ, omnisque oppilans Vapor mox cessare deberet. Quod æque, ut prius, frivolum est. Et quomodo ad Momentum silebunt statim, & disparebunt tales crassi Vapores, per Excitationem? & rursus mox oppilarent Medullam eandem post repetitas sæpe Obdormitiones? Quod sæpe bis, ter, decies, una Nocte contingit, præcipuè apud Religiosos nostros, mediâ Nocte ad Matutinas surgentes. Siccine Vapores hi crassi continuo cessarent ad Momentum, & rursus oppilarent ad Momentum

mentum? Imo post repentinas similes Excitationes, potius sentiuntur Stomachi Indispositiones, seu Splenis, aliquamdiu durantes, quam in Splene Medulla. Sed hanc Somni Materiam & Somniorum, ubi contingat, & quomodo, examinabimus ex Professo Argumento sequente: nunc ad Incubum redeamus.

Rectius sanè ex dictis discitur, Regimen Imperiale Stomachi & Splenis, quod scilicet Impedimentum Stomacho sit oblatum, isque solo sui vitali Regimine, absque Vaporibus & Tubis, turbet Cerebrum, & Nervos, & vitiet primos Conceptus, quatenus nempe interrumpit Lienis solatia. Nec enim Splen in fractuoso, vitali, locupleteque Arteriarum suarum Numero, frustra floret suis Conceptibus; sed quoties suos Conceptus, alterius Mentis Deliciis sopit, dat aliis Potentiis Inducias ab Operibus suis. Et hoc est vere Somnus & Somnium, Quæ Deliciæ, si minus perfectæ, vel nimia Stomachi Solitudine turbatæ fuerint, Somnia quoque proferunt confusa.

Ibidem ergo omnes Passiones irascibilis, concupiscibilis Carnis Opera, fabricantur ab Anima, ut supra dictum. Dum enim Anima irascitur, gaudet, amat, licet diversimode afficiatur, & varias quasi Larvas in Idæis depingat; (de quibus infra) hoc tamen non est Organorum munus vel fabrica, sed unius & solius Animæ Passiones. Quæ, quia sunt Opera Carnis & alteritates Conceptuum Animæ sensitivæ, in sede Duum viratus fabricantur ab Anima. Splen ergo per intervalla, suis intentus Reflexionibus, Deliciis & Lassationum Remediis, tertiam Vitæ Partem nobis per Somnum suffuratur. At sicut dormiendo Somnia parit: ita vigilans paulo distinctiores, minusque somnolentas Cognitiones & Conceptus propagat. Somnus igitur in Præcordiis suscitatur, & in Capite se notabiliter manifestat. Adeoque Caput ad consensum Præcordiorum non erubescit parere, dum tractato & cessante Splenis Lumine,

Lumine, Cerebrum primos Idearum conceptus vix amplius condignos excipit, Species confundit. Sed hoc in sequenti Argumento nunc ex professo magis dilucidabimus: in præsentis enim principaliter de Incubo, horribili Somno, egimus.

### Argumentum VI.

Ibidem ergo etiam Somnus hospitatur. Putant quidem Scholæ Aristotelicæ & Galenicæ, Somnum causari & fieri in Cerebro, à Vaporibus, ex Stomacho illuc sublatis, oppilantibus seu intercipientibus meatus Sensuum, Motûs, Loquelæ, Judicii, i. e. Spinam Medullæ, & alia. Sed in hoc maximè errant, ridicule simul, & absurdè discurrunt, ut patebit ex mox subjungendis Rationibus gravibus. 1. Quia sic Somnus esset Morbus aliquis, adeoque Morbus fuisset ante Peccatum inflictus, quod est contra Scripturam. Ex illa enim constat, quod DEUS ante Peccatum, & ante Evam creatam, Soporem immiserit in Adamum. Ergo Somnus non potest esse Morbus; esset autem Morbus, si oppilaret & intercluderet meatus naturales Sensuum, Motus, Quietis, Judicii. Et sic in Adamo fuisset Somnus ille vaporaria, aut flatulenta forsan Paralyfis, & Amentia temporanea, in Corpore tunc adhuc impassibili, & in Vita ejus immortali, nec esset ullo modo Beneficium Corporis. Igitur hæc communis Opinio & Definitio Somni est Ethnica, non sapit, nec decet Christianum Hominem.

2. Similiter hæc Definitio errat in Substantia & Præsuppositis, i. e. quod intercludat Somnus Motum, Sensum, Loquelam, Judicium. Nam Experientia contraria docet, quod dormientes sub Somno se moveant, revolvant, deambulent etiam, (ut Noctambulones) sentiant ictus Pulicum, ita ut inde expergiscantur: alii etiam loquuntur & non raro respondent appositè. Ergo falsa est hæc Opinio, quod meatus in Cerebro, ubi est Officina Motuum sensuum, per Somnum oppilentur.

3. Hæc Definitio confundit Somnum cum Catarrhis, imo etiam cum Apoplexia, Epilepsia, tanquam eadem Radice, Causis & modo fiendi, oriundis. Unde sicut supra de Humoribus Figmentis, ejusmodi Catarrhosos Vapores, ut fabulosos, impossibiles explosimus: ita simul cum iisdem hic corrumpit Materia, Causa Somni allegata.

4. Adversarii proprio se Jaculo configunt, dum alibi docent Somnum, Soporem &c. promptissime adferri seu procurari ab opiatibus, Rebus in se frigidissimis, omnemque potius Evaporationem cohibentibus, idque fieri ex Opii Natura: Imo quo frigidius sit Opium hoc, eo operari efficacius, quasi tunc magis copiosiores magisque continui Vapores à Stomacho (etiam clauso Oesophago) ferantur in Caput, quo plus sincerioris Opii fuerit sumptum. Unde patet stupidissimum Commentum, quasi Somnus à Frigore fiat. Nec intelligi potest, quomodo unicum Opii Granum sit Frigoris in Stomacho causet, & sit Vaporis actualiter frigidi in Caput possit mittere? Quomodo sic Vapores, ex Natura sua calidi, & ideo ascendentes, hic contra Naturam suam sunt frigidi? Quomodo ascendunt hi frigidi Vapores, & non potius descendunt juxta Naturam? Quomodo Frigoris erit Vapores cedere potius, quam compescere?

5. Sed condonemus hos somniferos Vapores à Cibis ascendentes, & Nervos oppilantes. Interim tamen vera Anatomia ocularis demonstrat esse impossibile, quod tales soporiferi Vapores possint materialiter penetrare per tot Sensuum diversa Organa, & planè imbibi in Cerebri & Spinalis Medullæ Substantiam, deinde utramque obstruere, priusquam Somnum ejusmodi penetrent. Hæc, inquam, esse impossibilia, patet ex Anatomia. Demonstrationem hanc Anatomicam Vide in Helmont. §. 47.

6. Quomodo, quæso, licet & hæc condonemus, ad excitantis Lubitum posset expergefactus tam celeriter quasi in Momento

mento solvi & liberari ab istiusmodi Vinculis, Impedimentis, Oppilationibus? Interim in Apoplexia, Epilepsia, Paralyfi eadem sunt ferè indissolubilia. Dein, quid illos Vapores tam diu detineret immotos, adamantinos, per tot Horas in eodem Loco absque sui Condensatione, Constrictione (ut fit in Nubibus, Aëre) in Aquam naturalem? Semel enim constrictis his Vaporibus & condensatis, cur non pateret mox aditus Spiritibus animalibus interclusis, quin Somnum impredientem statim, profligarent, excuterent, sicut faciunt in Excitatione externa? Vel quid impediret, ne continuo novi Vapores ad eadem Nervorum Principia contenderent, ibique coagulati, pariant continuos Somnos, perpetuos, aut Catarrhos quotidianos, indelinentes, aut Paralyfes indubias? Contingit etiam præcipuè inter nos Religiosos rigidiores, sæpius una eademque Nocte expergefieri, totaliter Somnum discuti, surgere, studere, alia peragere, & rursus obdormire, adeoque ferè ad Lubitum totidem essent Nervorum unius Noctis, imo sæpe unius Horæ, Obstructiones, Resolutiones, iteratæ Obstructiones, & Iusus reciproci Vaporum sic ludentium.

7. Multos adhuc loquentes Somnus occupat, post trium fortè Momentorum susurrum. Quomodo in his tam repente, omnium Nervorum Constipatio præsto erit? Præcipuè cum paulo ante vix aliqua gravedo talium Grassatorum sentiatur. *Quare similiter etiam Somnus citius obrepit jacentibus, quam stantibus aut sedentibus, cum alias motus Vaporum ab inferis longe facilius esse debeat, in Corpore erecto, quam in cubante supino, aut lateraliter? Sic ergo sinus Cerebri toto Somni Tempore proinde debent esse repleti, non quidem Spiritu animali, sed peregrinis, crudis, crassis & morbosis Vaporibus? Ipsique Discursus Authores, Spiritus, tantisper debent feriari, dormire, vel procul evagari? mox autem in puncto rursus omnia illa gravata Organa liberari ad sonitum Campanæ, Dracule, aut Lubitum Excitatoris?*

*Confestim etiam redire ad sua Officia, Spiritus animales, ubicun-  
que interim fuerint evagati? Hec omnia nimis videntur ab-  
surda.*

8. Senes, quibus Coctrix est debilior, post sobriam Cœ-  
nam, melius dormiunt, quam post largiorem sumptam. Nemo  
tamen unquam dicet, Senes mittere plures Vapores ad Caput,  
si Abstemii sint exigua Cæna, quam si excedant largiori. Igitur  
sunt mentiti Vaporum & Frigorum Conspirations Somni  
Parentes.

9. In Sulphure Vitrioli Veneris, est Vis narcotica, sopo-  
rifera, calida & melle dulcior, quæ in Opio est amara. Simi-  
liter Vapores Vini, ex Crapula ascendentes, quis frigidus asse-  
rere audebit? Ex quibus omnibus aperte confirmatur, quod  
pro Somno causando non sit vis privativa, obstipans & infrigi-  
dans (præsertim à Pastu calidiorum, & Potu Vini) sed Facultas  
alia creata, super eminens Vigiliæ, in Splene locata. Sic etiam  
Venena quædam Mentem alienant, suamque Vim Phantasticam  
nativam, quæ nostram Phantasiam disponunt (sicut in Pomo  
Adæ, in rabidi Canis saliva, Tarantulæ Punctura, Jusquiamo  
&c. fieri solet) ad Lubitum sui & placitum venenosum. Sic & nar-  
cotica suspendunt Lienem, non Cerebrum, ab operosa Phantaf-  
matum seriorum Exercitatione in Cerebrum præter Memoriae  
capsulam dimissâ, vi Lucis Regiminis sui Duumvralis. De  
his vide plures Demonstrationes apud Helmont. totis §. 43.  
47. præcipue 47. §. 43. à num. 17. & seqv.

Somnus ergo probabilius fit, dum Splen propriæ insudat  
Nutritioni, cum Recreatione & Voluptate. Tum enim ve-  
niam dans seriis suis Imaginationibus, se totum demergit ob-  
lectando, in plenam Fruitionis Quietem, ex Saturitatis nem-  
pe suæ percepta Svavitæ, ac restituti sibi Fermenti sui Stoma-  
chici libertate, incumbit perfruendis deliciis suis; ideoque &  
tunc Digestio in Stomacho est infelicio, quia tardior, ob ob-  
structum

structum aliquvaliter Fermentum. Hinc etiam statim post Pastum Dormitio est nocentior. Quapropter Fruitio hæc, & ab Opera Feriatio, primus optatus semper fuit in Natura sensitiva. Unde dormiendo Phantasia Splenis & Stomachi abstrahitur à cogitando, de Necessitate vegetante, quæ ideo infelicius tunc succedit, ut docet Experientia & Inquietudo Noctis post Intemperantiam, Crapulas. Et quæso, crapulose Vaporista, cur post Epulas tibi dolet manè Cornu sinistrum in Capite supra Frontem? Respondebis: quia Orificium Stomachi inclinatur ad latus sinistrum, & quia plura jam Secula docent, quod Vapores doloriferi ferantur è Stomacho in Caput, doleant autem, quia acuti, acres, mordaces, è Vino relictis; Itemque, quod ejusdem lateris servant Perpendiculum, nec extra vagari permittantur, Sic Galenista. Sed corrumpitur tota hæc Responsio, ex jam dictis de impossibili ejusmodi ascensu ex Stomacho in Caput vaporoso. Et dato etiam eo, cur post sumptum Jentaculum, aut Potationem reassumptam, ex novis his Vaporibus ascendentibus, non potius intenduntur illi Dolores acuti? Cur eorum Augmenta cessant? Refutationem hujus Argumenti Anatomicam vide ibi §. cit. 47. n. 13. 14. Itaque Caput per Vapores illos aqueos, à Stomacho non magis lancinatur, quam Mentum virile à Vaporibus Testiculorum in Barbatis, non autem in castratis: sed totus ille Dolor provenit à Duumviratu, i. e. Stomacho & Lienem, malè affecto per Crapulam, inde ejaculante luminariter Compassionem in Capite. Vide ibi plura. Denique concludimus, etiam Scholis invitis, Imaginationem quandam sanam & integram deberi, etiam Spleni, si vitiata & præcordialis Melancholia inde promanet, sicut Scholæ fatentur. Sed de his plura, ubi agemus de Imaginatione ex professo.

### Argumentum VII.

Consideremus etiam in Foetu Sensitivam primum occultam latere in viscere Nutritioni dedito i. e. in Stomacho (ut in-

fra de generativa videbimus) esse que hoc viscus juvantium & nocentium Notionem. Postea Infante nato & Puero, eandem Sensitivam distinctiores conceptus ibidem formare, quibus Motus Membrorum obediat Spirituumque. Tandem Cerebrum, sui que clientes Sensus moventur, ut obediant Conceptibus in Duumviratu primitus principalibus. Sed non ideo recedit Anima à Viscere, quod primò Vegetationi (cujus Radix est in Stomacho) præfectum fuit. Tota enim Spiritualitas spectat Animam sensitivam.

### Argumentum VIII.

Studentes inordinatè, etiam intro sentiunt Satietatem, compositam ex Vertigine, & Anxietate cum suspiriis, & Manu Os Stomachi ostendunt affectum. Inde verò Dolorem Capitis accusant. Quod si nihilominus perseverando instent Studio illi, percipiunt circa Os Stomachi Lipopsychin quandam, ac deinde Imaginationem sibi inverti. Ergo ibi noxa sentitur, ibi labes est Intellectus, & Anima ibi principaliter residet.

### Argumentum IX.

Etiam Venus & Salacitas in Splene resident, & Stomacho, volint, nolint, Adversarii: quam antiqui Renibus adscripserunt. Sed ipsos omnes Erroris convincunt ipsi Pisces & Volucres *Aves enim carent Renibus & Urina, prout est manifestum, suntque nihilominus Aves salacissima. Similiter Pisces iisdem carent, & tamen sunt facundissimi & veneri.* Ergo credendum est Venerem esse Animæ sensitivæ Officium, adeoque in Parte, qua primi Motus, etiam dormientibus nobis fiunt, collocandam esse. In nullo enim Natura plus fuit sollicita, quam in Sexuum discrimine. Unde ab Initio adumbrationis Fætus, confestim occupatur in Veneris Organis; prout infra de generativa patebit. Plura efficacia ibi vide §. cit. 43. n. 42. Quod si antiqui verum in hoc docuissent, Aves certè hac in parte, longè essent nobis

nobis nobiliores, quia Venus ipsis esset collocata in nobiliori Hospitio, quam nobis, scilicet in Cloaca ferè, & Lotii fabrica ac Officina. Pollutiones etiam non contingunt Homi- nibus inter vigilandum invitis: quia Somnus est Effectus Splenis, huicque in Deliciis. Et ideo in Somno fiunt invitis; adeoque à Splene oritur ille invitus Effectus. Alias, si à Renibus proveniret, sicut Urina est indimittendo libera, & vix etiam adultis maturis invitis obtingit: idem pariter esset de altera Emissione, vix unquam futura involuntaria. Signum ergo est Venerem non in Renibus, sed in Splene, Somni Parente, residere.

Alioquin quid Renibus cum Somno commune intercedit in his voluntariis Operationibus? Annon frequentius mejitur vigilando, quam dormiendo? Quia juxta Scholas ipsas, Somnus suspendit quasvis Excretiones, solà Sudoris & inutilis Seminis exceptâ. Has enim libentius operatur in Dormitione, quam in Vigiliis. Alias certè vigili pronior esset spontanea, involuntaria, invita ejusmodi Corruptio, quam dormienti; & tamen Experientia dormienti in contrarium clamat.

Profluit autem ejusmodi Excretio, cum lasciviæ Somno, ut pandat, Somni, Somniorum, & ejusmodi Pollutionis idem esse Organum, sicut sunt unius Animæ Opificia. Et sicut Sanguificatio incipit in Venis meseraicis, tanquam in Jecoris Stomacho: sic Spermatis Coctio fit in Testibus à Splene. Imo calculosi, utroque Rene saepe sunt obstructi, impediti, nihilominus tamen manent salacissimi. Quod certè non fieret, si Venus in Renibus resideret. Unde enim primi Veneris Motus, sentiuntur manifestè circa Os Stomachi, (non vero circa Renes.) Ergo necessario ibi, i. e. in Duumviratu, Fons est illius, vide ibi §. cit 43. à n. 42. usque ad 45. plura pro Confirmatione Assertorum.

Argumen-

## Argumentum X.

Quia in Corporis trunco, Orificium Stomachi Centri locum possidet: unde Radii tam sursum, quam deorsum commodissime sparguntur. Hinc ipse, & Splen Vitæ Symmetriam custodiunt utrobique, & simul ac suum subtrahunt Regimen, statim Partium, quantumvis principum, Vires eclypsantur: sic enim repente fiunt Deliquia, Apoplexiæ, Epilepsiæ, Palpitationes, Vertigines, Amentia. Hæc omnia mox feriunt Caput. Non autem à Capite oriunda esse, unica docet Passio Hypochondriaca, quam omnes absque ullo dubio collocant in Hypochondriis stomachalibus. Unde etiam Nomen hoc participant. Sic etiam videmus quotidie Syncopen immediatè ab Ore Stomachi sic emanare, quasi ibidem consistat; unde & ibidem statim injectis Liquoribus aromaticis, restituitur patiens in Integrum, i. e. recipit mox Intellectum, Sensum, Motum, & Pulsus antea impeditos vel interclusos; adeoque inde colligitur, has easdem Functiones memoratas interclusas, quæ alias Capiti simul & Cordi adscribuntur, à Stomacho repentinè scandere & impediri debere. Vide apud Helmont. 43. n. 22. aliquot Historias, huic Scopo inservientes. Ex quibus omnibus colligitur vires intellectuales, Phantasiæ, Motus, Sensuum, collidi & restitui in Duumviratu nostro. Lipothymici etiam asserunt se sentire, omnium Vaporum Activitate celerius, in Præcordiis comminatum Deliquium, & citra Somnum mox suspendi omnem Conceptum. Unde clare patet primordiales Animæ Conceptus, formari in Præcordiis, iisque interemptis, statim etiam concidere Intellectionis Lumen. De his vide plura cit. loc. n. 23. 24. 25. 26.

## Argumentum XI.

Si Animæ Sedes esset in Capite, ibi necessario primi Motus sentirentur Passionum, Terrorum, Pavorum, Deliquiorum. Prius enim Caput, tanquam immediatum subjectum, Dolor afficeret,  
quam

quam Stomachum, quia juxta commune Axioma: ex Læsione Actionum, innotescit Pars læsa. Nec verisimile est, quod si Caput primitus hos primos Motus apprehenderet & sentiret, talia tristitia, & repentinos Pavores, eos statim in Stomachum immitteret, & non potius ad Nervos confines, quibus intimius præest. Imo crudele videretur, Partem sibi non subjectam, Stomachum, quærere, & subjectam i. e. Nervos relinquere. Atqui experimur quotidie hos primos Motus Passionum, Terrorum, Pavorum, Deliquiorum, &c. in Stomacho primum sentiri, iisque illum conculi. Igitur inde patet major Autoritas Stomachi, ejusque conjugis Splenis, in Caput, quam Capitis in hunc Duumviratum, esse,

### Argumentum XII.

Sopor, Somnus, Vigilia, Deliria, Apoplexia, & quæcunque Symptomata, vulgo Capiti adscribi solita, quotidie curantur, mitigantur, & abolentur Remediis stomachicis, non autem Cephalicis. Unde & Helleborum his malis commune Remedium, est vomitivum, adeoque Stomachum afficiens, non Caput. Hæc autem Remedia stomachica Caput non aliter attingunt, nisi per Regimen luminare, & Radios solares Animæ in Stomacho residentis, seu per Deuteropathiam. Ergo ibi est Sedes vera Animæ. Plura Argumenta vide apud Helmont. §. sæpe memoratis 43. & 47.

### Corollarium utriusque Sectionis, quartæ & quintæ.

**E**X dictis huc usque Sectionibus, quarta & quinta, est manifestum, in Stomacho residere Animam sensitivam (& in ea Mentem immortalem) tanquam in suo Thoro & Throno, unde vitales universim Potestates sunt desumendæ. Et quidquid hanc Animam turbat, vel lacescit, id ipsum per Remediorum Unitatem recedere compellitur, si eadem Remedia, Vires & Essen-

tiam omnium Membrorum in se contineant: qvalia sunt Remedia universalia, de quibus infra Parte secunda. Unde sicut Radix totam Arborem, hujusque Digestionum omnium Comœdiam, tam in Frondibus & Corticibus, quam in Ligno, Medulla & Ramulis gubernat: Ita & in nobis contingit per Stomachum & Lienem, vi Gubernationis Regiminis eorum universalis, tanquam Regii Duumviratus, & Cancellariæ supremæ, Ubi Stomachus est Fons, Director & Governator cæterarum Digestionum omnium totius Corporis humani, tanquam Jure ordinario sibi subordinatarum. Hic ipse Duumviratus, Intellectu proprio (ut infra patebit de Imaginatione) Mente immortalis, & insuper Intellectu alio rationali, ac vi Phantastica Animæ sensitivæ constat, quæ utitur suis Organis diversis, diversimodè distributis. Quorum tamen omnium Collegium, scilicet Comitia, intra Sedem Animæ celebrantur, tanquam in principe Aula, & inde Jura sua dein exercentur in omnia Membra suæ Reipublicæ, i. e. in Intestina, in Cor, in Caput, in Nervos, imo & in Mentis aliquando principes Facultates, item in Pulmones, Renes, & reliqua omnia Membra. Adeoque Locus centralis Animæ est Orificium Stomachi, non secus ac Radix Vegetabilium est Sedes eorundem. Archeus autem tanquam Animæ sensitivæ Cancellarius, aut summus Aulæ Præfectus ac Vicarius, residet in Splene. Mens vero immortalis, DEI Imago, imperat in Anima sensitiva, cui est involuta. Cerebrum est Membrum executivum Animæ Conceptuum, quatenus præsidet Nervis & Musculis, quoad Motum; sed quoad Sensus possidet in se Facultates, Memoriam, Imaginationis, Phantasiæ perficiendæ. De quibus infra ex professo.

Deficiente ergo Stomacho, Pallores, Tremores, Siccitates, Atrophiam, Tormina, Asthma, Icteri, Paralytes, Contracturæ, Vertigines, Apoplexiæ oriuntur. Unde sæpè defectus extremi non aliter superantur, quam per Remedia stomachica? Et è  
 contra

contra malum Stomachi, parit procul à se diffitos Morbos. Imo hodie dantur Potiones vulnerariæ, quæ sanant feliciter, etiam Vulnera externa remota Artuum. Maneat ergo & vivat Stomachus cum suo Liene, Sedes Animæ, Vitæ, & totius Regiminis Monarcha.

## SECTIO VI.

### *Anima Modus gubernandi describitur.*

**H**Oc agit Anima in tota sui Corporis Monarchia regenda, absque omni Reactionis Suspensione, & sine omni Respectu ad Contactum successivum, i. e. absque Motu locali de Loco in Locum, item sine consensu Partium vicinarum intermediarum, aut remotarum. Sed præstat hoc suum Imperium singulis Membris, Virtute prorsus Magnetica & Sympathetica. Quæ si detur alias in Objectum distans, Magnetica dicitur. Sed ubi in nostro Corpore circumscribitur Anima, appellemus eam Actionem Animæ, ad aliqualem differentiam Magnetismi, Actionem meri Regiminis, in qua Anima agens disponit de proprio Membro patiente, sive Objecto suæ Sphæræ, tanquam de cliente Juris hereditarii, juxta innatam sibi Legum Ordinationem ex Symbolo subjectam. Anima nimirum hic Tutor est: patiens verò Membrum est Minorrennis. Eiqve similis est in Universo Actio Astrorum, tam in se invicem, quam in sublunaria nostra; quæ Actio Astrorum absque Controversia, est influentialis, & mira operatur, ac à paucis capi potest, nisi & eam Magneticè & Sympatheticè operari dicamus. Ex his constat, hic non esse Consensu partium opus, aut Motu per Partes successivo. Regimen enim Principis non petit Consensum Subditorum, sed fieri potest in instanti, in distans æque, ac in propinquum. Unde Fabulæ sunt frustraneæ illæ deprædicatæ à plerisque: Revulsiones, Derivationes, Vapo-

res, Halitus, ex Stomacho in Caput & alia Membra inde descendentes per Canales, per Anfractus.

Admittimus quidem libenter alias Actiones corporales, v. g. quæ Calor sibi proxime admotum calefacit, & Viam, quæ Ructus ex Stomacho per gulam in Guttur & Nares ascendit, illam etiam, quæ Excrementa suis Canalibus deferuntur, & si exorbitent, maximè noxia expelluntur. Hæc, inquam, omnia admittimus; sed ideo non est negligenda altera Actio Animæ influentialis, quam hic in humano Corpore Actionem Regiminis vocamus. Quæ licet ordinariè non vagetur extra Corpus; est tamen abstracta à colligante medio, nec agit solo Radio directo ac solari, sed etiam altero quodam, nempe insensibiliter penetrante totam Partium Compaginem, & per modum Lunæ, quidquid oblique etiam aspicit, id afficit. Hæc Actio Animæ regentis, quæ quæ versus radiat, penetratque absque Colligationis Lenocinio: non tamen, nisi ad Objectum proprium. Datur & alia Actio spiritualis Rebus incorporeis propria, v. g. Animæ immortalis: alia fallax, nimirum Dæmonum. Sed de his Sectione sequenti.

Confirmantur dicta omnia Exemplis quotidianis, vulgò notis; videlicet Iræ, Metus, & aliarum Animæ Passionum, quæ in Ictu Oculi, & citius afficiunt Corpus diversimodè, & singula Membra, ut subito Genua labascant, Appetitus pereat, stent Comæ, Vox hæreat, saliva spumet, Sudores & alia Excrementa, ipsa Perturbationum procellâ furente, contaminent. Quantum quæso Differentiam videmus inter Eunuchos & Homines integros, à solis Testibus provenientes, in Barba, in Corporis habitu, in Animi Propensionibus: item in castratis animalibus, Bove, Tauro, Capone, Caballo. Et tamen Testes non habent Canales in Cutem remotissimam Menti, pro Barba efficienda, pro Voce aliter formanda: in Plumis Galli: in Cornua Tauri, neque in Animositatem aut Muliebrietatem: in  
Criaes.

Crines. Sed his Testibus inest insensibilis, magneticus, & quasi Astralis influxus, quasi Lunaris. Similes planè Actiones mirandas in remota, agit Cerebrum in Accretionibus, quæ apud omnes Cerebro ascribuntur. Sic etiam Uter in Fæminis, quam prodigiosas sæpè, & stupendas edit Actiones, & Effectus remotissimos? inflat Collum in immensum, spumat per Os, Manus Pedesque contrahit, totum Corpus elevat. Imo propter solum Uterum, Mulier est id, quod est: Barba caret, & licet sit Habitu humidiores, celerius tamen Viro pubescit, alias Perturbationes & Animositates patitur, aliamque Carnem & Cruorem à Viro diversum facit, adeò ut & propter Uterum, devotionem Sexus, sibi quadam prærogativâ, assumat. Unde illud Ecclesiæ pro devoto Fæmineo sexu. De his miris vide Helmont. fusius, §. 46. v. n. 43. & seq.

Quod si Uteri Monarchia spiritalis in totum Corpus Fæminæ: & Testium in Corpus Viri est tanta, cur eadem negetur Animæ sensitivæ, ejusque Aulæ Duumvirali? Igitur Monarchia Stomachi symbola est, cum Monarchia Testium & Uteri: neutra vero agit mediantibus Vaporibus, Revulsionibus, aut Derivationibus, sed merè influentialiter, magneticè, potestativè, luminaliter, radialiter. Nam à Testibus remotissimis Barba nascitur, Vox per Ætatem modificatur, Barbæ & aliorum Distinctiones, Ætates, Varietates, & Colores inde pendent. Similiter igitur Duumviratus, ejusque Vis, Lucis instar totum Corpus, vel saltem objecta sua, afficit, disponit, juxta Donum & Fines à DEO seminaliter implantatos. Diradiat ergò à Testibus Vis quædam per Corpus in Archeum, adeoque in Animam sensitivam. Cur alias Barba in Mento, & non in Fronte, aut alibi succrescit, cum sit Testium universale istud Luminis Effluvium per totum? Rationem vide Loc. cit. n. 48. Animæ enim agunt in suum Corpus, Potestate vitalis cujusdam Luminis sui, quod cum sit per Vitam (qua durante Anima est ubique præsens) quoquo ver-

sus extentum, depingit tunc Anima, in illo suo Lumine ideas sui Conceptus & Mandati, ut deinceps per Spiritus ministros Executioni mandentur in Organa destinata.

Hæc omnia denuo confirmantur, per Venena & plura Remedia simplicia, quæ etiam luminariter agunt in Objecta. Eodem ergo Privilegio Potestates naturales Partium, radiant sua Lumina per totum, & penetrant Lumen Archei, Actione Regiminis à suo Lumine pendentis. Unde scilicet Archeus confortatur aut infirmatur, alienatur, diruitur, perit. Venena enim in Præcordiis, aut alibi nata, agunt vi Potestatum suarum formalium vel luminosarum, juxta Ideam dotalem sibi impressam, & afficiunt Lumen vitale Animæ sensitivæ, Archeo, adeoque partibus insitum, & penetrant se mutuo radicali unione, idque vel Contagio Veneni permanente, & transplantante innatum Partium formale ac vitale Lumen: vel tantum pro exiguo Temporis Spatio, ut fit in Epilepsia: cum Libertate redeundi vel non, juxta Radicis suæ Exigentiam.

Ex his satis liquet, Lumen aliquod intellectuale manare continuo ab inferis ad Caput, cujus interceptione statim, v. g. in Suspendio & Submersione, licet Cerebrum, Medulla spinalis, & Nervi non lædantur, perit tamen omnis Animæ Virtus, Potestas & Lumen. Unde & in febrili Delirio ab inferis suscitato, perit Discursus Rationis. Est ergo reciprocum Regimen Inferiorum ad Superiora, & è contra.

Quæ tamen omnia fiunt celerrime, absque fictis Vaporum & Fuliginum fabulis, quæ revera sunt absurda & impossibilia mera, citiusque per Os ac Motus tales Vapores exirent, quam contra Naturam Partium, reciperentur, attraherentur, & hospitarentur in Membris improportionatis. Probationes Impossibilitatis harum Fabularum, vid. Loc. cit. n. 48. diffuse.

Stomachus ergo, ut concludamus, non est considerandus, ut sit tantum Saccus, vel Ahenum nudum coqvendis Cibis destina-

destinatum, sed ut Viscus vitale, quod gustu pollet, olfacit, & fertur diversis Appetitibus, ac si Animal esset, & quædam sæpè ita aspernatur, ut Homo mori malit, quam hanc vel illam Buccellam, invito Stomacho, deglutiat. Et licet Stomachus videatur inservire toti Homini; cætera tamen ipsi vicissim diversimodè debent obtemperare, ut nisi auscultent seriò, atrociter sæpè vapulent. Adeoque ex Stomacho non solo, sed etiam ex Splene, unicum facimus Connubium, & Thorum conjugalem unum, in quo Spleni, vices Mariti tribuimus, primorum Motuum; & Stomacho primi Sensus. Unde Stomachus est Lienis, & Lien Stomachi Complementum, Sub unico Thoro & Throno, amborum est Principatus, & unus Duumviratus, unum Regimen universale. Plura de hac Materia vide loc. cit. apud Helmont. §. 48. per totum. Sed cum paulo ante Mentionem fecerimus de Ideis Animæ formatricibus, & pictricibus, eas hic ex professo dilucidemus.

### SECTIO VII.

#### *De Anima Imaginativa, Phantasia & Ideis operatricibus.*

**D**iximus Sectione V. primos, Animæ Motus & Conceptus, consequenter eorum Fabrum, Phantasiam, residere in Duumviratu centraliter, & præcipuè in Splene: nunc oportet id clarius explicare.

Vis igitur primorum Motuum, est effrenis quædam Imaginativa, in Arbitrii Potestatem non redacta, in Splene stabulata. Et licet in Principio, imaginatum non sit, nisi merum Ens Rationis; non permanet tamen tale. Phantasia enim est Virtus sigillifera, & vocatur hæcenus Imaginativa, quia format Rerum conceptarum Imagines, seu Ideas, easque in Spiritu suo vitali caracterizat, ac proinde fit Idea ista Ens spiri-  
tale

tale, feminine & potens ad perpetrandum Res magni Momenti. Hæc Imaginativa, post conceptas Ideas, dein ad Stomachum, Duumviratus Socium distenditur, & hinc (in sexu Fœmineo) etiam facile ac primordialiter ad Uterum.

Splen ergo tam Fons est Idearum conceptarum in Imaginativa Hominis, quam in ipsius Archei imaginativa propria. Dantur enim plures Imaginationes Rerum, quam hætenus in Mundo visibili (qui nihil nisi visibilia scivit) fuit putatum; invisibilis autem Mundus multo est major & considerabilior, quam Mundus visibilis, ut Sectione sequenti videbimus. Archeus enim etiam suas & peculiare habet Imaginationes, proprias, (an verè dici debeant Phantasiæ, an Metaphoricè, hic non disputamus) quarum Virtute continuo sentit Antipathias, Sympathias, Philautias (sicut habet Magnes, Succinum, Heliotropium, & pleraque alia creata) atque inde suscitatur deductos suos Motus. Certe Concepta Archei, mox præfatis Locis, potentissimas assequuntur Determinationes; quæ quia Locum natalem olent, Hypochondriacæ vocantur, ac primorum & indiscretorum Motuum ferunt Momenta. Et licet Imaginatio inanimata, quæ absque Fortitudine Impressionis, vel alicujus præjudicati Inclinatione, ibidem cunctatur, tandem velut somnialis, indistincta & pene confusa fiat, ob quam raro incuriosis Hominibus Tempora incanescunt; tamen Imaginationes, quæ in ipsis primorum Motuum Officinis, suscipiunt alicujus Passionis Deliberationem, tales etiam Spiritus, in Cerebro antiquatos ad se alliciunt, Contagium loci subeunt, fiunt & cudentur Ideæ Judicio orbatae, ac seminaliter pariunt Effectus, suis Causis conformes, Hypochondriacæ scilicet Amentia, Confusionis, & Perturbationis suspectos. Hinc nempe suos quisque patitur Manes. Archealis tamen jam dicta Imaginatio, ut consensum Animæ non optat: ita nec expectat; ideoque contingit insensibiliter, ac nobis insciis. Sed de his plura deinceps.

Compro-

Comprobantur hæc Paradoxa Exemplo Prægnantis evidenter, quæ, v. g. si sua Imaginativa concepit magno Desiderio Cerasum, vel quid simile, illius Cerasi in Fætum, Ideam, inquam, feminalem, sigillarem & sponte indelebilem imprimit. Quæ Idea viridescit, flavescit, rubescit singulis Annis in Carne, iisdem Stationibus Anni, quibus alia Cerasa in Arboribus sic apparere solent. Sed cur hæc v. g. Cerasi idea, non in Matrem, sed in Fætum à se alienum imprimitur? Causa est, in desinens neque ficta Matris Affectio, quæ naturaliter plus pro Fœtu, quam pro seipsa vigilat. Illa ergo Sollicitudo nimia, fætui quasi continuo incubans, Ideam à Passionibus suis genitam, uno Radio ad suum Fætum dirigit. Et quia Manus est Organum Activorum principale: ideò Sollicitudo illa descendens ad Manum, quasi ad Defensionem sui Fætus, conceptam Ideam recipit, perguntque ulterius in Fætum. Atqui cum Ideæ sint quædam Lumina vitalia seminalia: ideo penetrant se mutuo, Lumen maternum & Fætus, absque Unionis Stupratione. Ergo concepta Cerasi Idea, superveniente Ideâ Curæ maternæ, dirigitur ad partem fætus, quæ Manus Matris Corpus attigerit. Cura autem quælibet semper est propter Finem, ad quem Manus executivè operatur. Manus ergo, tanquam Organum executivum Voluntatis, depingit concepti Cerasi Ideam, Parte illâ, quæ Mater sibi Manum apposuit. Unde constat, quod Cogitatio, quæ est merum non Ens, fiat mox Ens reale & qualificatum. Liqvet etiam hinc, quod Spiritus primario imbuatur illa Imagine, & semel aliqua Idea inbutus, deinceps impar fiat, aliis suis Muneribus exequendis: ut patet in Amentibus; eo quod semel concepta Idea sit Sigillum ad determinatas tantum Res agendas. Nam propter ætheream Simpliciter illius Spiritus Archæalis, se ita maritant istæ Ideæ, ut imposteriorum non separentur ab invicem, Materia & ejus Causa efficiens, quamdiu Suppositi fuerit Identitas.

Cum ipsa Idea sit semper in illo Spiritu, quæ proinde illa Idea spoliari nequit, absque sui Dissolutione. Simile v. g. est, dum Prægnans terretur ab Anate. Eò enim ipso Ideam Entis, à quo terretur, imprimit Imaginativa in Spiritum: ita ut Idea ista fiat ibidem seminalis; & ita quidem, non tantum Embryonem formatum destruit, sed hunc etiam transformat in Anatem. Ex his paucis Exemplis constat non tantum Potestas & Authoritas Imaginativæ, sed etiam, quod Idea ab Imaginatione hauserit Vim figurativam, & habeat simul Vim seminalem & figurativam; imo & Potentiam efficiendi Metamorphosin Rerum. Itaque in Hominibus, Ideam Seminis prolifici primum penetrant Ideæ Inclinationum, ad Mores scilicet, ad Scientias, Affectiones, Morbos, Defectus &c. Puer etiam per Educationem, rigidam vel mollem, incipit deflectere à nativis Inclinationibus. Tum demum, ubi Discretionem aliquam præditus est, per Exercitia & Consortia, in varias incidit Affectionum Ideas, quibus plerumque in Vitam totam obedire cogitur: quia à teneris Unguibus similes Educationis Ideæ, & Exercitii frequentioris implantantur. Mox deinde in Adolescentia, Ideæ Æstimationis & Honoris vigere incipiunt, quæ licet plerumque sint adhuc insontes; ubi tamen se his associaverint Passionum, vel unius saltem Affectionis Ideæ, Manu Inclinationum introductæ, priores Ideæ penetrantur à fortioribus, puta Odii, Amoris, Vindictæ, Luxuriæ &c. Verum si Timor accesserit: inde tam vehemens Idea insurgit, ut Ægritudinem violentam cum perpetua Pusillanimitate incutiat. De his uberius Helmont. §. 4. Tract. 2. de Morbis.

Sunt autem Idearum mitissimæ Amoris, Gaudii, Desiderii, quæ tantum oblectant sua Svavitate, totamque sic irretiunt Animam, ut Delectationibus & Voluptatibus continuo inhiant. Violentiores sunt Ideæ Iræ, Tristitiæ, Agoniæ, Invidiæ, Metus, Arrogantiæ, Despectus, Terroris, Vindictæ, Temulentia,

tiæ, Zelotypiæ, & Desperationis. De his vide loc. cit. n. 9. Sunt autem repentinæ omnium atrocissimæ & maxime lethales; quia ex improvise Imaginativam quatiunt, adeoque totalem quasi Archeum contaminant. His succedunt diurnæ Ideæ: quia quadam Assuetudine fiunt Fures domestici, qui noverunt Thesauros, horumque claustra. Hinc fortis Consuetudo ligat Animam, quatenus Ideæ, in Archeo influo receptæ, tandem & Archeum, insitum partibus Spiritum, contaminant, & quasi adamantinum firmant. Ideæ verò Inclinationum ad Virtutem, supernaturaliter dantur, nunc post corruptam Adæ Peccato Naturam, Ideæ autem Inclinationum ad Artes & Defectus, ab Ideis seminalibus Parentum nobis implantantur: vel à Puerro, per Educationem instillatæ, abeunt in Naturam, quatenus Ideas nativas penetrant, & iisdem coalescunt. Sunt etiam Affectiones, proprii Nominis, producta Inclinationum, Passionum, & Affectionum Exercitia, nec contingunt absque nova Idearum Propagatione; & quæ ideo Vitæ instar vernaculam in nobis parant Habitationem & Habitudoem.

Passiones autem sunt internæ Animæ Motiones, circa quarum Frenum & Repressionem totus versatur Stoicismus. Perturbationes tandem sunt Passionum, plerumque à Causis extrinsecis suscitatae Ideæ. Passionum autem communis Mater est Desiderium: quod sic nascitur. Corrupta Natura, nunc in se naturaliter versa, ideo meditatur libenter, & fere semper tantum sibi plausibilia: quatenus continuo versatur circa Objecta Concupiscentiæ Peccati. Et sicut Ignis è Silice: ita à plausibilitate Objecti nascitur Desiderium. Cui nisi per modum Surculi inseramus DEI Timorem & Amorem, pro freno, & succiderimus Conceptuum Plausibilitatem, in primo sui Germine, seu prima Herba Conceptuum primorum: jam Fomitem in Natura nostra corrupta reperit hoc Desiderium, accrescit Malitia, nondumque præ sui Exiguitate patens, trahit sub se mox totam

Animam in Servitutem & Mancipium, tandemque infatuat quasi totam, eamque excruciat; ita ut serva evadat illi Appetitui, per quem de Throno suæ Majestatis fuerat dejecta. Horum omnium Explicationem Physicam curiosam, vide loc. cit. n. 14. Desiderium autem bonum semper ex Gratia superne datur, cujus productum est Amor, Nitorque Animæ producens Perfectionem Charitatis. Virtutes ergo, quatenus ex Gratia proveniunt, transcendunt ab Imaginativa sensitivæ, cum suis Ideis in Intellectum, adeoque tingunt totam Animam suo Nitore aureo. Prout è contra Vitia, Passionum & Peccatorum Exercitia, tingunt, vel potius contaminant, Animam, ut fiat quasi belluina; altera vero virtuosa evadat quasi Angelica. Hinc illud Christi Redemptoris nostri: Lupi rapaces: Genimina Viperarum: dicite Vulpi.

Ex hucusque dictis constat. 1. Ideas cudi, in Imaginativa per Cogitationem. 2. Imaginem sui imprimere in Spiritum Vitæ. 3. Esse Media operativa, quibus Anima Corpus suum movet & gubernat. 4. Esse Imagines seminales. 5. Graduari juxta Potentiam & Fortitudinem Imaginativæ. 6. Per eas humanum Embryonem sæpè mutari in varia Monstra. 7. Omnem Hominem, per Imagines Tristitiæ, Terroris, formare sibi seminalia Venena, quæ quasi Pestes, vel violento alias langvore, consumunt Hominem. 8. Quod etiam extra Corpus Imaginantis egrediantur, ut patet in Ceraso Fætui impresso, de quo Sectione seqv. uberius.

Et hæc Ideæ debent esse immediatè, non quidem in ipsa Anima, sed immediate in Archeo impetum faciente i. e. in generali. Si quidem absque Idea hujusmodi Archeus plane exfors maneret omnis Actionis, Operationis & Propagationis. Ergo & ab Idæis omnis Naturæ motio, (etiam in non animatis, prout videbimus Sect. seqv.) omnis Actio, tam in Remediis, quam Venenis, omnisque Potestas naturalis seminaliter impressa est  
à Paren-

à Parente quolibet cunqve. Imo introducuntur sæpè etiam Ideæ exoticæ, alienæ, ascenduntqve in jam constitutas nativas, inqvilinas: quia Ideæ se mutuo penetrant, non aliter ac Lumina, & servant Symbolum Archei, cum Archeo perpetuum, Syngamicum. Quæ Ideæ dum Materiam capeffunt, jam Morbus natus est. Uberiorem Explicationem vide, loc. cit. n. 20. & seq. Vnde sicut Ideæ seminales ac primitivæ, in Semine à Parentibus plantatæ, figurant Hominem, Brutum, Plantam: sic quoqve supervenientes Ideæ Inclinationum, Affectuum, Passionum, determinant etiam Vultum Hominis ad Physiognomiæ Delineamenta: quæ dein quoqve variantur per Ideas posteras Morum, Consuetudinum &c. Hinc etiam Bruta per Ideas molestas Libidinis, non pingvescunt, sicut castrata. Eunuchi verò, si incurii sint, pingvescunt: qui alias etiam per Ideam Tædii, Curarum, macilefcunt.

Unde autem Ideis sit tanta Potentia, scitu dignum est, quod Tabula, seu Materia, super quam, vel in quam Phantasia suas depingit Ideas, sit ipsamet Archei Substantia; quæ semel per Ideam conceptam deturpata, & tanquam seminali Principio instructa, deinceps ad alia Munia inefficax est. Ideo scilicet incurii tardè canescunt: & à sensu contrario, Sollicitudines multæ Senium præcipitant, ac maturant. Juxta illud: Spiritus meus attenuabitur, & Dies mei abbreviabuntur. Hinc etiam omnes ferè Morbi, qui sanantur similiter per unicum Remedium appropriatum, vel universale: quod Remedium vel hanc Ideam morbificam abstergat, vel auferat Materiam occasionalem. Utroqve enim modo sic Archeus per se redit ad Sanitatem; prout infra magis patebit, ubi agemus de Causis & Remediis Morborum. Vide etiam loc. cit. à num. 23. & seq. Deductionem Morborum & Remediorum, per claras & paucas Demonstrationes.

Archeus ergo est primus Motor & Actor in omnibus, à

Principio Generationis, usque ad Rei cujusvis ultimum Epilogum: i. e. habet suum Blas motivum & alterativum (sicut Astra) naturaliter ipsi datum, & Vi seminali proprium; utpote, quod vel à primo Conceptu, tum Animal, tum vegetabile quodlibet, ad nutum propriæ Destinationis movet, figurat, alterat, auget. Adeoque Archeus est, ille Hippocratis, impetus faciens, semper inculcatus, extra vel præter quem, nihil movetur, sentitur vel alteratur in Animatis. Denique Archeus se regulariter movet juxta Ideam, vel à generante sibi implantatam, vel aliam aliunde adscititiam. Unde ipse Archeus est Animæ sensitivæ supremus Præfectus Aulæ, cujus Thronus est Stomachus & Lien: ubi sæpè celebrat sua Comitæ, quasi Animæ Nomine: Cerebrum, Hepar, Cor, sunt quasi Secretarii intimi, summi.

Dantur & aliæ Ideæ Archeales, spontè à nulla Causa interna, venenosa, sive extrinsecus assumpta, sive intus nata Materia morbosa, aut à Passione aliqua fabricatæ; sed ex se erumpentes. Unde fiunt Morbi Filiorum hereditarii, dormientes in Juventute, & per plures Annos, Torturæ Noctis, & Morbi silentes subinde, recidivi, lunatici, astrales; quorum Explicationes vide apud Helmont. Tract. de Morbis §. 5. ubi plura traduntur scitu dignissima.

Constat igitur, quod sicut Sanitas consistit in Vita integra; ita & Morbus consistit in ipsamet Vita oblæsa. Subsistit autem Vita unicè & proximè in sede Animæ; Anima vero non operatur extra se, nisi Vi Organi sui Officialis, sive Aulæ Præfecti, qui est aura vitalis Archei. Estque hic Archeus, sicut Blas Meteororum & Astrorum, causans & moderans omnes Tempestates & Tranquillitates Mundi: sic & Archeus in Microcosmo causat & moderatur omnes Tempestates & Malacias. In æthere ergo hujus Archei depinguntur Ideæ aspectuales, tam ex Profunditate stellaticæ ipsius Animæ, quam ex 7. Erronibus, seu Planetis Viscerum principalium, & insitis Spiritibus formatæ.

Sic

Sic enim Pavor Pestis, Pestem creat in Homine. Pavor subitaneus Mortis, sæpe Podagram necat. Deductionem curiosam horum omnium vide loc. cit. §. 6. Morbi ergo contingunt primum in ipso Archeo, Animæ Janitore & Aulæ Præfecto: inde vero penitus deferuntur, penetrantque usque ad Nucleum ipsius Animæ sensitivæ. Unde licet Remedia pleraque, non penetrent extra Stomachum ad singula Membra, Morbo affecta; sufficit tamen si Medicamen, in ipso memorato Animæ Solio aut Hospitio, eandem Animam penes se ipsam alloqvatur, & afficiat. Denique nemo non sentit omnes fere Morbos, Horrores, Timores, Vapores, Iras, Excandescencias, Tristitias, Suspiria, omnemque concupiscibilem & irascibilem Perturbationem, sibi circa Os Stomachi exoriri, & agitari. Sic repentinus Bombardæ sonitus, sentitur primum in Stomacho. Nuncium malum repentinum in Mensa perceptum, tollit mox Appetitum. Inde incipiunt Podagra, Epilepsia, Apoplexia. Ergo necessario concluditur ibi residere Animam centraliter, cum suo Archeo administro.

Tandem etiam sequitur ex præfatis, quod Vir multæ Phantasiæ, necessario etiam Viribus enervetur. Non secus enim lassatur, quam qui operoso Labore Diem transegit; totusque tam Mente quam Corpore deficeret, nisi subinde relictus grato Colloquio, sociali Deambulatione, Conversatione amœnâ, & subinde aliquo Vini haustulo moderato. Juxta illud: Vinum modicè sumptum acuit Ingenium. Unde & Vinum, non ad Ebrietatem, sed ad Hilaritatem est conditum. Tristibus ergo, defessis, exhaustis, oppressisque succurrendum est Vino, usque ad Hilaritatem.

## SECTIO VIII.

*De Anima Actione Magnetica, Sympathetica, Antipathetica, Magica naturali, Extatica in distans.*

DE his aliqua attigimus in superioribus, ubi egimus de Anima sensitivæ Actione Regiminis, seu Gubernationis modo, quo Membra suæ Monarchiæ regit. Nunc ea in Specie expresso elucidare oportet. Quod autem dentur revera ejusmodi Actiones, & Virtus in Rerum Natura in distans operans, nimirum, Magnetica, Sympathetica, Symbolica; demonstrat in primis Vinum, quod turbatur in Cellario, dum Vitis etiam remotissima, etiam per plurima Milliaria distans, florere incipit. Idem in Cerevisiis longe manifestius apparet, quæ similiter turbantur, ab Hordei florentis Virtute, quæ tamen sæpè inter se distant aliquot milliaribus. Idem apparet in Heliotropio, Persicaria, Magnete, Succino, & aliis infra adducendis. Ergo in his & similibus, alio recurri non potest, nisi ad Consensum naturalem, symbolicum, magneticum, sympatheticum, mutuum, inter Agentia talia proportionata, tam procul invicem distantia. Quod demonstramus Paragraphis sequentibus.

## §. I.

*Hæc Virtus turbatrix Vini & Cerevisiæ longè distantis, non potest Astris adscribi.*

Probatur hæc Thesis: quia Vitis creata jam habuit suas Vi-res naturales, ante condita Astra. Ergo illa ab Astris emendicare non potuit. Nam in Creatione Mundi Vitis receperat à Creatore Potentiam crescendi, & se multiplicandi, ante creatas Stellas & Sydera, ut patet ex dictis de Meteoris. Nam Vegetabilia jam erant ante Stellas, i. e. Die tertia creata: Stella vero

vero quarta Die sunt conditæ. Ergo necessariò Vegetabilia omnia, erant in suo Vigore ante Stellas, earumque influxum putatum. Ergo in Essentia nequeunt esse conjuncta, quorum unum absque altero consistere potuit. Imo Stellæ in alium Finem non sunt datæ, nisi in Signa, Tempora, Dies, Annos; vide Genesin. Itaque iste unus, idemque adhuc ignotus Spiritus motor, Vinum absens, & Vitem longè distitam regens, eaque colloqui quasi faciens, & compati, non potest esse ab Astris. Nec aliunde id potest assignari naturaliter, quam si recurramus ad proxima Symboli, Unitatisque Commercia, Vini & Vitis inter se, vel ad consensum Magneticum, vel Sympatheticum inter Agentia quædam, procul ab invicem distantia. Idem est de Cerevisia & Hordeo à longè inter se correspondentibus. Similiter videmus Prægnantem suo Fœtui, à se alieno, imprimere Cerasum: item Sagas & Magos per Incantationes, Fascinationes, sæpè occidere Homines, Vaccas, &c. per distans, mediante Cera, aut alio absente Instrumento. Et alia plura occurrunt in Natura, quæ infra adducemus, quæ nostra Tenuitate explicare non valemus. Dona autem Divina Naturæ attributa, Dæmoni adscribere sine, Rei evidentia nimis impium videtur, quando eadem non statim capit nostra exiguitas & Intellectus imbecillitas. Quod autem illæ Sagarum Cædes & Actiones in distans non à solo Dæmone præternaturaliter fiant, & multo minus aliæ miræ Actiones, in distans operantes, eidem Dæmoni sint adscribendæ; sed quod illæ Sagarum Cædes, etiam ab ipsis Magis, Sagisque naturaliter producantur, alia vero mira ab ipsa Natura peragantur, deinceps demonstrabimus, Sic.

## §. 2.

*An Miræ ejusmodi Actiones in distans Dæmoni  
sint adscribendæ?*

Quantum ad Actiones nocivas Sagarum in distans, certum videtur de Fide, quod Dæmon ex se, Homini & Rebus ei subjectis, nocere non possit, nisi ex DEI jussu, ut ejus Minister Justitiæ, aut ex Cooperatione liberi Hominis, Dæmonis Mancipii, Instrumenti, Magi, Sagarum. Similiter certum videtur, quod præter Potentiam locomotivam & alterativam Rerum sublunarium, ad instar Astrorum, Dæmon non possit aliud in sublunaria. Hæc enim Potentia ei post Lapsum mansit salva, tanquam ei naturalis, sicut reliqua connaturalia. Potest ergo Ventos, Tempestates, & similia ciere, Venena conficere & ejusmodi; non tamen Homini aut Rebus ei subjectis, injicere, sicut neque Cultro, Gladio, aut Veneno, vel alio Instrumento per se Hominem, Vaccam, aut Canem occidere, sine Ministerio alicujus Creaturæ liberæ, qualis est Homo. Nam DEUS & Angeli, imo & sancti Homines ei commendare possunt. Sed hoc Argumentum de Sagis paulo post ex professo clarius deducemus. De aliis Effectibus miris, quos noster Intellectus capere non sufficit sapere, judiciosissimus Caramuel in Theologia Morali, Anno 1645, impressa, lib. 3, de Conscientia dubia, Corol. 36, n. 1381. sic docet: In dubio, an Effectus proveniat à Causa naturali, an à Dæmone? præsumendum est, procedere à Causa naturali. Hæc Conclusio ponitur contra multorum Levitatem, & Præsumptionem, qui omnia, quæ non intelligunt, statim de Superstitione i. e. Opera Dæmonis accusant. Rem fateor, libenter disco, & semper vaco Literis ac Experimentiis, & singulis Diebus crescit apud me naturalis Potestatis Opinio, decrescitq; Potentia Dæmoniacæ iniquitatis. Multa dicuntur de Nigromanticis alibi, sed non coram Te factis, etsi tandem to-  
tura

tum Terrarum Orbem circum eas, nihil videbis, quod & quando excedat Naturæ Vires. DEUM posse punire Hominem scio, & posse ei in Pœnam permittere Dæmonis Familiaritatem, non ambigo: id fecisse aliquando, Historiæ sacræ & prophanæ testantur. Si quid rarum videas, Gratias age Naturæ. Conditor enim Potentissimus condidit Naturam potentissimam. Hoc suppono, sublatere aliquando Pactum, aut Dæmonis interventum quousque videam evidenter, non credam. Ita Caramuel.

Sed hæc Naturæ Potentia magis elucescit ex dicendis. Igitur nisi evidenter constet & doceatur, Effectus superius adducti & Virtutes illæ in distans operantes, Dæmoni adscribi nequaquam possunt, sinè gravissima DEI, Naturæ Conditoris, Injuria & Blasphemia.

Nec quisquam asseret eosdem Effectus à DEO fieri supernaturaliter & miraculosè: restat ergo illas fieri naturaliter; quam Virtutem nos vocamus, aut Magneticam aut Sympatheticam, Antipatheticam, Symbolicam, & sæpè etiam Magicam naturalem. Quod postremum nunc de Homine paucis demonstrabimus.

## §. 3.

*Asseritur in Homine esse Virtutem Magicam, extaticam, naturalem, mirorum patratricem.*

Certum est de Homine, Creatura libera, ex Fide Divina, quod sit Imago DEI factus. Ergo est ei similis in pluribus; quod ipsum docet sacer Textus: Faciamus Hominem ad Similitudinem nostram. Ergo sicut DEUS omnia creavit ex nihilo, eademque conservat; sic etiam Anima Hominis, DEI Imago & Similitudo, potest ex nihilo creare aliqua Entia realia, efficacia; quales sunt Ideæ reales, seminales, mirorum operativæ, sicut supra jam vidimus. Has Ideas verò creat per Imaginativam, per Intellectum & Voluntatem, & per eas regit in-

tra se, totum Corpus, omnia Membra, omnes Spiritus, Monarchicè, Virtute quasi magnetica, astrali, sympathetica. Et hoc præstat non tantum ad intra, sed etiam ad extra, etiam in distans operando mira. Latet enim in Homine, ex Vi Imaginis Divinæ, Virtus quædam Magica, Magnetica naturalis, per Peccatum Adæ non ablata (:naturalia enim ipsi remanserunt integra, læsa tantum fuerunt graviter:) remanens adhuc in ipso, sed quasi dormiens; per quam, si ipsa excitetur sive à DEO, sive ab Angelo, sive à Dæmone, evadit Homo extaticus, sive supernaturaliter, sive naturaliter (:si scilicet hæc Virtus dormiens excitetur per Artem Cabalæ, aut alia vi naturali, de qua infra dicemus:) eâ, inquam, Virtute sic excitata, transfertur Spiritus exterioris Hominis ad Loca remota, videt futura, ut præsentia, perpetrat mira, per hanc suam Virtutem Magicam naturalem, seu Magiam naturalem.

Ita ergo Dæmon non potest Hominem, aut Jumentum, ex se solo occidere per Cultrum, vel Venenum; sed indiget Instrumento ad hoc, Homine libero. Hinc excitat sui Mancipii seu Sagæ, malam Voluntatem, ad formandas Ideas liberi Consensus & Desiderii, Hominem vel Bestiam talem & talem occidendi. Ipse verò Dæmon parat, Venenum, v. g. aut alia Occisionis desideratæ media, Sordes, & similia consveta: his applicat Ideam Desiderii & Consensus Sagæ; quæ Idea ex naturali sua efficacia operativa per medium defertur à Dæmone ad incantandum seu occidendum Hominem, Brutum, eiqve applicata Idea Sagæ, cum Instrumento illo parato, occidit Hominem vel Brutum, non per Dæmonis Percussionem, sed per Sagæ Ideam liberam Voluntatis, emissam naturaliter: non aliter, ac si Saga præsens incantando cum Cultro, Veneno, Sordibus illis conficeret. Et hæc Actio Sagæ est naturalis, licet Dæmonis concurrentiæ sint præternaturales.

Probari post hæc Virtus Idealis extra Hominem agens,  
per

per varia Exempla v. g. Tarantulæ, Basilisci, Torpedinis, Aspectus Sagarum respectu Infantium, Ergo Anima humana, Sensitivæ naturaliter copulata, potest extra se invia agere in distans, sive id postea fieri dicatur Magnetica Virtute, sive Sympathetica, sive Antipathetica, sive Symbolica, sive quomodolibet, nobis hic sufficit, hanc ei inesse Potentiam & Virtutem Idearum. In his consistit Substantia hujus nostræ novæ Philosophiæ, de Virtute Magica naturali Animæ, ut plurimum quidem post Adæ Peccatum in nobis dormiente, subinde tamen excitari solita; sive à DEO & Angelo, & tunc supernaturaliter: prout contingit in Extasi supernaturali in Prophetiis, & aliis DEI Donis; sive subinde à Dæmone: prout in jam præfatis Actionibus, & tunc est naturaliter, & similiter si fiat per Artem Cabalæ &c. Verum, ut hæc magni Momenti & notatu dignissima, clarius cognoscamus, fusius, solidius, explicatius, eadem perlustremus & dilucidemus in sequentibus.

## §. 4.

*Declaratur & confirmatur fortius hæc Virtus naturalis Magica Nature.*

Notandum 1. Quod ex Consensu Theologorum Mysticorum, Homo dividatur in Hominem externum & internum. Utrique assignantur Mentis cujusdam Potestates. Sic nempe Carni & Sangvini Voluntas competit, quæ non sit Voluntas Viri, nec DEI Voluntas, juxta D. Joannem. Similiter Pater cœlestis quædam revelat Homini interiori: quædam vero revelat Caro & Sangvis, i. e. Homo externus Animalis. Hinc Idolorum servitus, Invidia &c. inter opera Carnis ritè numerantur, (cum in Imaginatione tantum consistant) quod fieri non posset ab Apostolo, si & Carni etiam non esset sua Imaginatio & Voluntas electiva. De his videatur Evangelium.

Porro dari Extases, Homini interiori competentes, certum est.

est. Dari quoque Extases in Homine animali exteriori propter intensam Imaginationem, pariter extra dubium est. Imo Delrio in suis Disquisitionibus Mag. admittit & refert, Puerum quendam in Civitate, Insulensi Belgica, tam violenta Cogitatione ductum, quod flagranti Desiderio eodem, videndi Parentem, quasi per Extasin raptus, eundem Parentem multis inde milliaribus absentem, inviserit, & ad se rediens, omnium, quæ viderat, memor, multa quoque Signa apud Parentem veræ præsentia dederit. Plura occurrunt sæpius, & in Historiis recensentur. Quæ hic omittuntur Brevitatis ergo. Istud autem fuisse Desiderium exterioris Hominis, Sangvinis scilicet & Animalis, certum est. Nam Anima semel disligata à Corpore, nunquam nisi Miraculo reunitur. Igitur in Sanguine est quædam Potestas extatica, quæ, si aliquando Ideâ ardentis Desiderii fuerit excitata, etiam ad absens Objectum exterioris Hominis Spiritum deducere possit. Ea autem Potestas in Exteriore Homine latet, velut in Potentia, nec ducitur ad Actum, nisi excitetur, accensa Imaginatione, ferventi Desiderio, vel Arte aliqua, pari naturali Cabalæ, Dæmonis &c. Sed de his infra commodius loquemur plura.

Notandum & supponendum 2. Quod Dæmon sit juratus Hominum Hostis, quibus noceret indefessè, ubi & quantum posset, si esset sui Arbitrii, sicut non est. Et licet suis Sagis Mancipiis pariter sit Inimicus, ea tamen nunquam prodit, ut capiantur à Judicibus, partim ne per hoc aliquid decedat suo Hōmagio & Honori, partim ne à Judicibus præviâ Pœnitentiâ comburantur, sibi que è Faucibus eripiantur talia Mancipia. Ex quibus constat, Hominem Peccati mortalis reum, si Dæmon per se posset occidere, nequaquam id procraftinaret, ut eum lucraretur sic. Atqui videmus, quod non occidat eos, Ergo non potest. Talem tamen in Peccato mortali Saga sæpius occidit, & quilibet Homo. Ergo Saga potest, quod Dæmon

mon non post, i. e. Saga potest non secus ac Sicarius ense aliquem, Libertatis Arbitrii sui Idea, necare. Igitur in hoc Actu est Sagæ quædam Potestas, quæ non est Sathanæ. Ergo Sathan in ejusmodi Homicidiis Magicis, non est principalis Efficiens & Executor istius Homicidii. Alias enim si esset Executor principalis & verus, non egeret Sagâ Coadjutrice; sed maximam Hominum Partem, solus jam dudum per se necasset, in tali Peccati mortalis statu. Ergo in hoc est aliqua vis Sagæ propria & naturalis; quæ non est Sathanæ. Quam nunc exactius examinare oportet.

In primis ea non potest esse Vis aliqua mascula corporea, quia ut plurimum Sagæ sunt effœtæ Vetulæ. Ergo oportet esse aliam, corporea mole longe superiorem, Homini naturalem. Hæc igitur in illa parte, quæ DEI Imaginem proximè referimus, collocanda fuit, in qua Homo præ aliis omnibus Creaturis, elegantissimè, propriissimè præpollet; ideoque dominatur & imperat simulacris DEI, aliarum Creaturarum. Unde & ex hac Prærogativa, Pedibus ejus omnia sunt subjecta, juxta SS. Scripturam. Sicut ergo DEUS agit per Nutum, per Verbum: sic etiam oportuit Hominem, si debeat dici verumque esse Simulacrum DEI, agere aliqua solo Nutu; nec enim ut novum, & soli DEO proprium est. Nam & Sathan, Creaturarum abjectissimus, solo quoque Nutu, Corpora Loco movet, cum tamen non habeat Extremitates, quibus tangat, moveat, vel etiam novum Corpus sibi assumat, uti patet Experientia. Ergo istud Privilegium non minus Homini interno, quia Spiritus est, competere debet, si DEI Imaginem, & quidem non otiosam, repræsentare debeat. Hanc Facultatem nos vocamus Magicam naturalem.

Igitur Vis ista est in Homine interno, sive hoc Etymo intelligamus Animam, sive ejus Spiritum vitalem, nunc nobis perinde est: Cum Hominis interni ad externum sit quædam

dam Proportio ad omnia ; suo gliscens modo , ac Dispositio appropriata , & Proprietas Proportionata. Unde necesse est, hanc Vim per totum Hominem esse dispersam, in Animaquidem vegetiorem , in Carne vero & Sangvine remissiorem, prout infra videbimus. Spiritus vitalis in Carne & Sangvine, fungitur Vice Animæ, i. e. in interiore Homine, is idem est, qui in Semine totam Figuram Hominis, superbam illam Structuram, & perfectam Adumbrationem, Finesque Rerum agendarum novit, quia in se ea continet, & qui jam constitutum Fætum usque in Vitæ Periodum comitatur, ut Præsul & Dux ejus. Et licet cum Vita abscedat, tantillum tamen ejus in Cadavere Vi interfecto, tanquam eidem optimè confermentatus, remanet aliquamdiu ; non item in Cadavere spontè ex Natura fatiscente mortuo. Is, inquam, est Spiritus Hominis interioris.

Anima igitur omnino Spiritus, nequaquam posset Spiritum vitalem, (corporeum equidem) multo minus Carnem aut Ossa movere, aut concitare, nisi illi Vis quædam naturalis, magica tamen & spiritualis, ex Anima in Spiritum & Corpus descenderet. Nam, quæso, quomodo alias obediret Spiritus corporeus, jussui Animæ, nisi Spiritum & deinceps Corpus movere posset?

*Objicies.* Transeant hæc de ista Vi motrice intra concretum & naturale Animæ Hospitium, seu Territorium, i. e. intra Corporis Terminos; extra tamen hos limites & extra Corpus hæc Virtus nihil potest movere, alterare, aut ciere. *Respondetur:* Vim illam Magicam naturalem Animæ, quæ etiam extra se agit Virtute Imaginis DEI, latere jam obscuram in Homine, & velut dormire post Adæ Lapsum, atque Excitatione indigere, quæ eadem, ut somnolenta, ac velut ebria alioquin, in nobis quotidie est præsens; sufficit tamen ad obeunda munia in Corpore. Dormit itaque Scientia ac Potestas Magica,

ac solo Nutu Actrix in Homine, postquam Scientia Pomi prohibiti manducata fuit. Et quam diu hæc Scientia Pomi (quæ est Carnis & Sangvinis, exterioris Hominis, & Tenebrarum:) viget in nobis, pessundata est illa nobilior Potestas Magica. At quia in Somno, tota subinde Pomi Scientia dormit: hinc etiam quandoque Somnia sunt nobis Prophetica, & DEUS ipse in Somniis sæpius Homini per Effectum idcirco propinquior est. Ubi videlicet interior Magica, jam per Scientiam Pomi non interpellata, sese usque quaque exerit, intelligendo: prout nempe, quando se etiam in Potestates inferiores demergit, movendo Euntes in Somno (:v. g. Noctambulones:) tuto eosdem deducit in altissima Præcipitia, & salvos reducit, quo Vigiles nunquam scandere, aut descendere potuissent.

Hæc per Experientiam sunt quotidia. Hoc idem experimur quotidie, in moribundis, in Parentibus &c. qui sæpe mira prævident, prædicunt, & quasi causant miraculose, per Maledictionem, Benedictionem, Imprecationes, Filiis factas. Mira etiam patrant sæpius moribundi, haud dubio per hanc Virtutem Magicam, naturalem, innatam, & tunc excitam. Igitur Principium Cabalæ inter dormiendum hauriri asseritur, consopita scilicet Pomi Scientia. Intellectualis Animæ Actus clarus semper & inconcussus est, ac quodammodo perpetuus; tamen quamdiu Principale Agens Vim suam usque ad Sensus limites non traduxit, nondum per totum Hominem propagata est istiusmodi Actio sublimis. *Nam nos, qui una cum Virtute sensitiva, cum carnali Intelligentia sumus, per eandem perpetuo (proh Dolor) à Scientia altera & Magica superiore, distrabimur, avellimur, in Umbra Cognitionis potius, quam in ipsa Veritatis Luce retinemur.* Nec enim advertimus nos intelligere Incolæ Tenebrarum, nisi quando facta est Facultatuum mutua quædam Transductio, ac veluti Actionum anguli, diversis agentibus prorogati, circa medium complicantur. De his vide plura Exempla San-

etorum Extaticorum, præcipue Caramuelis, Dominicum Carmelitam Discalceatum, qui Victoriam, in Albo Monte nostro Pragensi, Catholico Exercitui prædixit, eiqve præsens adhortando adfuit. Mira ibi leges.

Sathan itaqve etiam hanc Vim Magicam excitat, alias dormientem in suis Mancipiis, & eadem utitur loco Ensis in Manu potentis, i. e. Sagæ, quæ id potest naturaliter. Nec aliud prorsus Dæmon adfert ad Homicidium illud, præter Excitationem dictæ Potestatis somnolentæ, & compulsæ plerumque Voluntatis Consensum in Sagis. Propter hæc duo, Dæmon tanquam totum sibi tantum deberetur Officium, postulat sibi per Pactum certum, perpetuam Oppignorationem, Servitutem, Adorationem Sagæ illius. Cum tamen hæc Potestas collata sit Homini gratis à DEO, & Homini plane naturalis. Igitur Dæmon sic falso decipit Homines, reliqua vero, quæ ibi in illis Incantationibus agit, sunt mera Ludibria, Oculorum Fascinationes, Larvæ falsæ. Adeoque sibi Dæmon falso attribuit, quod ab ipsis Magis fit naturaliter, & sic sibi furatur Honorem alienum, indebitum. Opera verò Dæmonis, quæ intercurrunt, ut jam diximus, sunt mera ridicula, impertinentia, apparentia, nulla. DEUS enim non permittit eundem latius aliquid posse, sed vinctum tenet: reales vero & nefarios in his Actus, Saga exerit de sua naturali Facultate. Nam per Adæ Peccatum oblitterata quidem sunt Dona Gratia, non tamen Dona Naturæ.

Et eadem adhuc Dona naturalia, licet non fuerint sublata, stant tamen, velut Somno coercita & sopita, quæ Excitatione aliqua efficaci Opus habent. Quo valde inserviunt Contemplationes, Orationes, Vigiliæ, Jejunia, Mortificationes, ut devicta scilicet Carnis Somnolentia, Potestatem illam agilem, cœlestem, & expeditam in DEUM, nanciscantur, eumque coram alloquantur suaviter, qui non nisi in Spiritu, i. e. interioris Hominis fundo, vult adorari. De his vide practica Exempla in  
Cara-

Caramuelis Dominico cit. in Vita D. Josephi, alias Hermanni, ubi stupenda de hoc genere invenies. Huc etiam facit Ars Cabalæ, quæ Potestatem illam naturalem Magicam, velut Somno excusso, Animæ restituit. Sed totam hanc Doctrinam novam, Exemplo Practico confirmemus.

## §. 5.

*Declarantur hæc Exemplo Practico uberius.*

Assumamus tantum ipsa Sagarum Opera: quæ licet nefaria sint & horrenda; eadem tamen Radice, indifferente ad bonum & malum, i. e. Potestate Magica naturali nituntur. Esto ergo Saga, in Stabulo absente, occidit, v. g. Equum. Hic Virtus quædam naturalis à Spiritu Sagæ egreditur, non vero à Dæmone, quæ Virtus opprimit vel strangulat Spiritum vitalem Equi. Hic sciendum, duo esse Subjecta Morborum & Mortis, Spiritum nempe & Corpus, in quo Morbus habitat. Et quia in Corpus omnia Entia agunt, tanquam maximè passivum; putatum est reliquum spirituale Dominium fuisse Sathanæ. Aliud vero est Spiritus, impalpabilis, invisibilis, qui per se ipsum omnes Morbos, patitur, & patiente hoc Spiritu, etiam Corpus patitur: quia Actio in Corpus terminatur, sed non è contra.

Actus igitur præfatus Sagæ, planè naturalis est: licet Virtutis Excitatio facta sit Auxilio Dæmonis: non minus, quam si porrecto per Dæmonem Ense, Saga Equum trucidaret: Actus iste Sagæ naturalis est & corporeus; prout alter præcedens est Actus naturalis & spiritualis. Homo enim non minus naturaliter constat Spiritu, quam Corpore: nec est Ratio ideo, cur unus Actus dicatur naturalior, aut cur solum Corpus agere dicatur, Spiritus vero feriari saltem Actione sibi propria, quatenus DEI Imago est, omnino destitui debeat? Imo Spiritus vitales sunt, qui propriissimè sentiunt, movent, recordantur, non vero Corpus, ipsumque Cadaver. Omnis igitur Actus respicit magis

propriè suum Agens, quam agentis Hospitium, Corpus. Igitur Radius aliquis spiritualis à Saga abit in Hominem, aut Brutum necandum, juxta Axioma: non fieri Actionem; nisi debita fiat Approximatio Agentis ad Patiens, & Copula Virtutum ad invicem, sive eadem Approximatio fiat corporaliter, seu etiam spiritualiter. Quod nunc ad Manum visibili Testimonio probemus.

Si recens Cor Equi, per Magam maectati (Cor enim est Sedes Spiritus vitalis) clavo transfigatur, affetur Veru, vel Crate torreatur, mox Spiritus vitalis Sagæ illius, sine alterius mediæ Interventione patitur, & inde Saga tota ipsa (non enim Corpus, sed solus Spiritus sentit) immanes patitur Ignis cruciatus & Dolores. Quod alias nullo modo contingeret, nisi facta fuisset Copulatio Spiritus Sagæ, cum Spiritu Equi. Equus enim strangulatus retinet Vim quandam mumialem, (sic vocamus, quandocunque Carni adhuc confermentata est Virtus liquoris vitalis, i. e. Spiritus insitus, qualis inspontè, præ Ægritudine, aliaque inferioris Ordinis Disruptione, morientibus, non reperitur) cui Vi mumiali Equi, comes est Spiritus Sagæ, ipsi equino Cordi per Vim illam mumialem copulatus. In Corde ergo Equi recenti, antequam ad Sagam, Dissolutione suus remigret Spiritus, fit alligatio Spiritus Sagæ, qui retinetur per infixum Clavum, & Tostura utriusque Spiritus simul, unde per Magnetismum, extremo Ignis termino, Sagam in Spiritu sensitivo agitari contingit. Effectus autem iste ab Intentione mutatur. Si enim Vindicta Experimentatorem concitaverit ad hanc Torturam, tunc Effectus malus est moraliter; quia contra DEUM. Si vero tantum fiat Periculum, seu Proba, ut Saga sic se prodere cogatur, Judicibus subjici, & proximo, sibi que imposteriorum Indemnitas procuretur, DEI Gloria augeatur, ejus Offensio major præpediatur, in hac certè Intentione bonus multis, videtur.

Non est autem cogitandum totum Spiritum Sagæ abiisse in  
Cor

Cor Equi, (sic enim mortua foret) sed univocam quendam Spiritus, Lucis que vitalis Participationem, prout in Semine Paterno qualibet vice, totius Hominis Architectus Spiritus, etiam ad plures Fetus sufficiens, propagatur, Spiritu tamen Patris manente integro. Ista enim spiritualis Lucis Participatio, est Magica, Virtute Verbi Divini (:Animalia & Herbae producant Semen:) locuples Communicatio, & unum producit decem Myriades Seminum æquivalentium, ac Spiritus feminales integrales totidem, tanquam de Lumine Lumina accenduntur. Quid autem sit propriè Spiritus Magneticus, & Entitas, Phantasia Parente genita, paulo fusius infra dicemus. Nec est, quod aliquis putet, hanc Cordis equini in Sagam Reactionem esse tantum putatitiam; aut Ludibrium Dæmonis, planè superstiosum, & damnabile; cum videamus è contrario, quod Saga infallibiliter prodatur, & cogatur in apertum prodire, velit, nolit. Quod tamen est planè contra Intentionem Dæmonis, imò ipsimet Diabolo in Præjudicium, ut supra jam diximus. Effectus enim talis est perpetuus, nunquam fallens, habens Fundamentum in Ratione & Natura spirituali, minimè vero Superstitione innititur. Exempla simili modo Sagarum læsarum, occurrunt ferè quotidie.

Confirmantur hæc omnia, alio quotidiauo Exemplo: nempe per Cadaver Hominis mactatum, ante Judices positum, quod præsentem Homicidam, incipit Sangvinem ebullire, certumque sæpe Delicti Indicium præbere: licet jam antea Cruor restrictus steterit. Nam moriente ex Vulnere Homine, Virtutes inferiores, quæ sunt muniales, (:eæ enim effrenes non sunt in nostra Potestate:) Vindictæ faciendæ Vestigium sibi imprefserunt; hinc præsentem Homicidam ebullit Cruor & effluit, quasi & in Ira impresso Ultionis simulacro agitatus. In Sangvine enim etiam post Mortem, inest suus mactato Sensus præsentis Homicidæ, sua Vindicta, quia inest eidem quoque sua Phantasia,

tasia. Idem confirmatur Exemplo Abelis occisi, cujus Sangvis in Cœlum clamavit: uti & alia Peccata in Cœlum clamantia. Hinc etiam in Obsidionibus plerumque Pestis comitatur: quia scilicet Spiritus Magicus exterioris Hominis, concepit in conflictibus Arrham Vindictæ impressam. Aliquando etiam Milites ad Desperationem præ Paupertate, eorumque Uxores, sic moriendo, ferè adiguntur, multaque imprecantur Ditiorebus, Officialibus, Infortunia: unde fortissimæ Impressiones, in Spiritum sidereum morientis, posthumæ relinquuntur: qui Spiritus mox ab obitu in Aëre oberrans, suæ Classis, i. e. spirituales nocendi & ulciscendi modos comminiscitur, & promptus patrat. Pestes autem ejusmodi sunt truculentæ, nemini parcentes, velut divinitus immissæ. Et quia sunt spirituales frustra Remediis corporeis operam evadendi tentant. Verum non est tutum hic Mumiarum ad invicem Connexum & Concordantiam exprimere pluribus: inde enim emanavit tota veterum Necromantia. Et ideo DEUS in Lege vetuit, Corpora suspensorum relinquenda in Patibulo, neve Sol super ea occidat, propter Effectus jam dictos. Plura de his vide apud Helmont. in supplem. §. 15. In his ergo sita est tota Basis Magicæ naturalis, non vero in Benedictionibus, Ceremoniis, aliisque vanis Superstitionibus, quæ posteriora inventa videntur, à Dæmone, ut decipiat Homines, & sibi attribuat, quæ revera non habet, tum etiam, ut omnia conspurcet suis Zizaniis, etiam bona alioquin. Imo & Magiam sæpe Sacræ Scripturæ bene interpretantur, ut videre est in Magis Sanctis Eoicis. Itaque sub hoc Magiæ Vocabulo, altissimam Rei Cognitionem ingenitam, & potentissimam ad agendum Potestatem, nos sub intelligimus, nobisque cum Adamo æque naturalem, per Peccatum non extinctam, sed velut somnolentam, ideoque Excitamenti indigam.

Quod Excitamentum fit, vel per Spiritum Sanctum, ut in  
Magis

Magis Eoicis, & aliis hodie Sanctis contingit frequenter, vel per Sathanam, post præviam Oppignorationem (:ubi tamen suo Mancipio occultat, hanc Virtutem esse Homini naturalem, sed eam sibi mendaciter adfingit :) vel potest etiam ipsemet Homo sibi per Artem Cabalæ Excitamentum tantæ Potestatis ad suum Libitum causare. Hi tales vocantur Adepti, quorum etiam Rector est Spiritus DEI.

Hæc Virtus Magica, ut jam vidimus, est quoque in Homine exteriori, scilicet in Carne & Sangvine, suo tamen & longe effectiori modo. Imo non tantum in Homine externo, sed etiam proportionaliter in Brutis, (:sic enim Genesis Animam Brutorum Sangvini inesse narrat, & eundem hoc merito commedi prohibet i. e. extra Cibos humanos proscribit:) sicut & in aliis rebus fortè omnibus etiam, ut infra fusius videbimus; cum singula totius universi Adumbrationem in se, contineant, eoque saltem Nomine, DEUM, i. e. Omnia in omnibus esse, Veteres serio admonuerunt.

Tandem Connexio est inter Res spiritualiter agentes. Et sicut Spiritus cum Spiritibus dimicant, Exemplo Sagæ & Cordis eqvini; Cruoris & Occisi, & Homicidæ: ita & Spiritus inter se amicantur, ut sic loquar, Exemplis magneticis, & Rationibus propriis, pro Fascino & Ligatione Animarum, prout de David & Jonatha legitur, & plura alia Exempla testantur quotidie. Denique Homines prædominantur cæteris Creaturis corporalibus, & Vi sua Magica naturali domare possunt aliarum Rerum Virtutes Magicas. Ex hac Hierarchia, hucusque dilucidata aliquvaliter, satis constat Majestas, Excellentia, Potentia Animæ humanæ, & quod, quæ hæctenus in Sathanæ Dominium, non nisi rustice & nimis corporaliter Philosophantes multiretulerunt, militent contra DEI Creatoris Gloriam & Animarum nostrarum Excellentiam. Ut autem lucidiora evadant, quæ jam de Spirituum inter se Duello, vel Amicitia, & ad invicem

vicem Conspiratione diximus: operæ Pretium erit, hic pariter Spirituum Arma, eorumque Rempublicam paucis designare.

§. 6.

*De Mundo invisibili, intelligibili & Spirituum humanorum Republica.*

„Seriò hic iterum recogitandum est, Exemplum prægnantis Faminæ, quæ per solam Imaginationem impressit Cerasum Fœtui, ea Parte, quâ Manum prægnans sibi admovit. Quod Cerasi simulacrum in Fœtu, non est otiosa tantum Macula; sed suo Tempore cum cæteris Arboribus floret, maturescit, mutatis nimirum Colorum & Figurarum signaturis.

Ardua profecto & sacra Vis humani microcosmici Spiritus, qui extra Truncum arboreum, verum Cerasum, i. e. interioris Cerasi Proprietatibus insignitam Carnem, solo conceptu profert. Unde duo necessario Consequentia colligimus. 1. Omnes omnium Rerum Spiritus, & Essentias, velut in nobis latere, & microcosmicaticè tantum Phantasia nasci & educi. 2. Animam concipiendo generare quandam ideam Rei conceptæ, quæ quidem prout antea latebat ignota, & velut Ignis in silice: sic Concitatione Phantasiæ produci quandam realem & essentialem Determinationem quidditativam Cerasi: quæ non sit Qualitas nuda, sed aliquid Substantiæ simile, inter Corpus & Spiritum seu Animam, ambiguum, i. e. ita spirituale, ut non sit planè corporeæ Conditionis exfors: cum Actiones Animæ in Corpus, & inferiores sibi Ordines propendentis, terminentur: neque tamen ita corporale, ut Dimensionibus claudi possit, quod etiam Enti seminali proprium est, ut supra recensuimus. Hæc igitur Entitas idealis, cum ex Mundo invisibili ac intellectuali Microcosmi excidit, Corpus induit; & tunc primum Loci & Numerorum Determinationibus clauditur, & evadit Civis visibilis Mundi, Reipublicæ seu Monarchiæ.

Objectum

Objectum illius nuda & pura in se ipso Essentia est, non Accidens, consensu Theologorum Practicorum, i. e. Mysticorum. Protheus itaque Intellectus noster hanc conceptam Essentiam velut induit ac vestit. Sed quia quodvis Opus, sive internum, sive externum, in sua propria Imagine fieri habet: Intellectus agnoscit, Voluntas diligit & vult, Memoria recogitat, Et hæc omnia faciunt, non nisi per Imagines. Hanc ergo eandem Imaginem Objecti sui Intellectus induit: & quia Anima est simplex Corporis Forma, quæ quocunqve se avertit, idcirco nec Intellectus agens duas simul Imagines habere potest, sed prius unam, mox alteram. Super Intellectum ergo, & comprehensam Imaginem, adhuc lenem, tota descendit Anima, & hanc Essentiæ Cognitionem format in Imaginem persistentem, seu idealem Entitatem. Entitas igitur illa in Intellectu adhuc levis est, nec alibi Consistentiam reperit, quam in Prægnante, quam Consistentiam in aliis Hominibus nanciscitur non nisi per Voluntatem, i. e. Intellectus semper procreat Entitatem, sed eam non induit, seu investit, nisi per Voluntatem, exceptis solis prægnantibus Fæminis, ut dictum. Sive igitur Peccatum dicamus nihil, sive aliquid, saltem Consensus in malum nunquam fit, sine reali Procreatione hujusmodi Entitatis cujusdam, ejusque Assumptione & Induitione. Et hæc est Causa Fæcunditatis Seminum. Phantasia enim Libidine commota, Entitatem lenem patrat: quam si Anima per Voluntatem induat (:prout semper Actio incarceratæ nostræ Mentis deorsum & extrorsum vergit:) tum eandem Entitatem in Liqvore Seminis dispergit, qui Liqvor Seminis non nisi alias sterilis foret. Hæc Actio velut per Mentis Alienationem fit: abeunte scilicet Voluntate, per veram Magicam exterioris Hominis, in Ecstasim quandam, in qua fit Communicatio Lucis cujusdam mentalis, super Entitatem, descendantem in Corpus Seminis. Quoties cunqve igitur Cogitatio sensum

& velle in Consensum trahit; toties nascitur & induitur turpis Pellis, idealis Entitas spuria: quo partu, Voluntas dicitur confirmata. Illa quoque idealis Entitas, quoque versus à Voluntate dirigitur, eo vadit. Hoc pacto, Voluntas movet nunc Brachium, mox Pedem, &c. Porro quando spargitur dicta Entitas in Spiritum vitalem, ad aliquid amandum, juvandum, nocendum; levi tantum indiget Incitamento, sive DEI, Artis, vel Sathanæ operâ, facto, ut nimirum peregre abeat Portiuncula Spiritus, quæ Entitatem jam induit, obeatque Munus suum, ipsi à Voluntate inunctum. Sic Masculus Semen extra se deponit, quod per Entitatem, quam hausit, fecundum est longè, & extra suum truncum fungitur suo munere, ut Experientia quotidie docet. Corpora, ergo, profectò, vix Mundi Medietatem, faciunt. Nam & Spiritus per se suam habent Mundi Medietatem, imò totum Mundum quasi complent.

Itaque in toto hoc Contextu deducto, Spiritus ejusmodi vocamus Magnetismi Patronos, non illos, qui ex Cœlo demittuntur, multò minus id de Infernalibus intelligimus; sed de iis, qui fiunt in ipso Homine, sicut ex silice Ignis, nempe ex Voluntate Hominis, aliquantillum Spiritus vitalis influentis desumitur, & id ipsum assumit idealem Entitatem, tanquam Complementum ac Formam. Quâ Perfectione nactâ, Spiritus, qui antea Aura æthereâ erat purior, instar Lucis subtiliatur, mediamque Sortem inter Corpora & non Corpora assumit. Mittitur autem eo, quo Voluntas ipsum dirigit, vel saltem, quo innata Spiritum Scientia infallibilis, juxta Scopos Rerum agenda- rum eundem mittit. Sic ergo idealis illa Entitas, Itineri jam accincta, quodammodo Lux, & non amplius Corpus, nullis stringitur Locorum, Temporum aut Dimensionum imperiis; ideò tamen, nec Dæmon est, nec ullus ejus Effectus, nec ulla ejusdem Conspiratio, aut Pactum; sed quædam spiritualis Actio illius Hominis agentis, nobis planè naturalis & vernacula.

Hanc

Hanc qui bene capit Philosophiam, facile intelliget, Mundum materialem, utrobique ab immateriali & invisibili Mundo regi, & coerceri: Hominum autem Pedibus substrata esse cætera creata omnia corporalia. Hæc nimirum Causa est, cur etiam Mumia humana, Adeps, Ufnea & Sangvis humanus (:quia scilicet Phantasia illis inest:) in Unguento vulnerario magnetico, imperet Sangvini canino, eqvino, in Pyxidem per Bacillum adportato. Sed de hoc Puncto agemus §. seq.

Dæmon ergo ex sui Creatione non habet Potentiam attingendi aliquam Formam, ut in ea, absoluto sui Nutus imperio, perficiat suum velle. Est enim Spiritus abstractus ab Ente corporeo, & ligatus, ac deinde à Peccato suo, scurra miserimus. Sola autem Potestas locomotiva ei remansit, & quorum Motus non cedit in damnum Hominum. Nec unicam fragilem Fenestram potest per se diruere, absque adjumento Libertatis suorum Clientum, Sagarum, Magorum. Nec etiam movet Elementa per attactum (:quia caret Extremitatibus, quibus Corpora tangat, ne quidem illa quæ assumit:) quo attactu aliquid apprehendat, aut tangat, sed solo suo Nutu, Aspectu intuitivo movet (:qualis Aspectus Astrorum est in Meteora:) per Ideas nimirum, vel nostrum velle in sua Organa. Quæ nutuallis Potestas, ut naturaliter fuit Angelicæ Naturæ indita: ita & Dæmoni post Peccatum mansit relicta. Vide plura apud Helmont. Tract. de Morb. §. 10. num. 6. Reliqua, quibus suas Scrofas & Mancipia dementat, sunt mera Oculorum ludibria. De quibus abunde videri potest Martinus Delrio in Disquis. Magicis. Alias enim si Media ab ipso præscripta, illam Vim promissam ab eo verè in se haberent, quam apud suos Dæmon jactitat, de Necessitate quoque naturali, semper, ubique in cujuscunque Manu, & æqualiter idem efficerent, absque Reflexione in Pactum, ac vanas illas Circumstantias.

Itaque sunt meræ Præstigiæ, & nihil concurrunt ad Operationem

tionem, absque Homini ope. Dæmon enim non habet Vim idealem, seminalem & sigillarem, qualem habet Homo ex Dignitate Imaginis DEI, quæ ipsius Pedibus substituta sunt omnia. Igitur tales Ideas mentales & operativas, debet Dæmon mutuari à suis Sagis, quas sigillare dein potest in Sordibus suis & Venenis. Hinc etiam in Jure vocantur Saggæ Veneficæ, quia Operam suam contribuunt principalem, in nocendo Homini- bus aliis, & Venena deferendo, ad incantandum Hominem, vel Brutum, modo supra dicto. Hinc dicuntur à Jure quasi Factrices Venenorum, non quod Venena propinent potanda tantum, sed potius, quod ex non Venenis Venena quasi conficiant. Saga ergo illas Sordes, à se, per Ens ideale Desiderii contami- natas suspendit, sepelit, propinat, imò & Manus suas ungit & lavat his Sordibus, dirisque Venenis imbuit, ut per Contactum, transferat illa Venena in Objectum, cui vult nocere. Illæ ve- rò Ideæ seminales, monstrosæ, venenosæ, cum jam sint alte- rius, & peregrini Archei Cives, introductæ in Corpus incantati, adeoque extra Locum & Subjectum proprium, statim per illas contaminatur & corrumpitur Archeus incantati, prout fit in aliis Venenis pestiferis. Et cum Dæmon hæc applicare non possit per se, suscitatur Ideam fortis Desiderii, Odiique voluntarii in Saga, ut mutuatis istis liberis & mentalibus Mediis Voluntatis Saggæ, transferat suum velle, per quod incantandum afficere intendit.

Imò nec Homo alium occidit Cultro, nisi accesserit Desi- derium in Consensu libero, & resolutæ Voluntatis Imperio. Propterea ergo exigit Dæmon attactum Saggæ ad Corpus incan- tandum, vel saltem ad aliquid, quod primario sit affectum, & demum Corpus incantandi, ut in illud Vi Sympathetica, na- turali (:qualis est quæ Chalcanthum naturaliter absens Vulnus sanat:) Ideæ receptæ agant, & deinceps in Corpus, cujus Sympa- theticum commercium, ejusmodi Effluvia naturalia tenent, tanquam

tanquam media. Denique sepulta sub Limine, vel suspensa, nocent, imò & in primo intrantem tantum suam explicant virulentam Feritatem, absque Sagæ contactu ad incantandum Corpus, citraque Notionem, Odium aut Desiderium nocuum, contra primum intraturum.

Probari hæc possunt aliquo modo à Visu Basilisci, vel Torpedinis directione. Nam sicut Basiliscus Radio visivo suum virus spargit in Objectum, non in Locum, & non in Corpus aliud quodcumque, licet sibi vicinius; sed tantum in illud, in quod primo Oculi Acumen direxit & vibravit. Et sicut Torpedo non in propinquiore aliquem, fortè Visus sui Venenum ejaculatur, sed potius & tantum in trahentem e minus Funem: sic scilicet Ideæ seminales, connexæ Sordibus suspensis vel sepultis, vigorantur ab Idea Desiderii accensi, tanquam à Voluntate Basilisci, vel Torpedinis, & exercent illam tantum in Objectum determinatum. Et licet hæc Similitudo non respondeat usquequaque in amborum Terminorum Identitate; sufficit tamen saltem demonstrasse, non tantum Homini, sed & vilioribus Animalculis, naturaliter inesse Vim attributivam & executivam Intentionis illorum, quibus solo Visu, Intentione, Desiderio, vel Odio nocere instituunt. Dose enim ista naturalis extendit se etiam ad quæcumque, quæ magneticè vel sympatheticè sua e minus movent Objecta.

Quæ Media & Dotes, adhuc excellentiori modo, Homini naturaliter tributa in existere, non est absolum, dum omnia suis Pedibus substituta credimus. Igitur pariter Attactu vel Ictu simplici, Sagæ sua incantamenta transferunt in Objectum; ideoque & Medio sympathetico aliquid simile ibi tegitur in illis: longeque adhuc strictius, dum ad Cruorem, Pus, vel aliud Corporis effluvium obligantur talia Incantamenta. Unde Sagæ in his utuntur modis & mediis naturalibus, alias etiam in Torpedine & Basilisco consuetis, quam vis nefariè & per Dæmonem curent excitari suas Vires.

Ita-

Itaque Sympathetica & Magnetica, carent omni Fraudis Diabolicæ Specie ex se, nisi ab Utentibus perversè adhibeantur. Unde & mendaciter & falso Dæmon sibi Adorationes & Liturgias petit, & præscribit exhiberi pro talibus Virtutibus, quarum penes se nulla prorsus est Potestas. Cæterum hic exurgit Moralis Quæstio: An sit superstitiosum, sic percutientem Sagam, repercutere, ut naturaliter eodem modo reflectat Incantamentum in sui Authorem? Sanè videtur, quod non. Quia naturali Jure licitum est, Vim vi repellere, præsertim si id non tam ex ira aut Odio, quam ex sui Defensione, ac noxæ Aversione contingat. Igitur prout jam demonstravimus, quod vis Incantamenti potissima pendeat ab Idea naturali Sagæ: ita & consequens est, præfatam Repercussionem esse prorsus licitam, propter naturalem Ideam Desiderii, quo quis se eximere optat & studet ab illato Incantamento. Adeoque in Repercussione, nemo læditur aut proritatur cum Dæmone, Vi alicujus Pacti. Imo sola ista Repercussio, Vim incantamenti prorsus naturalem manifestat, sicut & Dæmonis Impotentiam. Salvo in his, Ecclesiæ Sacræ Judicio.

Denique pro Coronide, loco Fundamentorum notentur hæ pauca Theses, alibi jam supra traditæ. 1. Quod omnis Forma vitalis sit Lumen vitale sui Corporis. 2. Quod omnes Formæ tam Inanimatorum, quam Animatorum, licet discrepent inter se, Gradu, Indole; Lumine tamen omnes conveniant in aliquo essentialiter luminoso. 3. Quod Luminis ergo se invicem immediatè attingant & penetrent, prout unum Lumen aliud penetrat, interfecat. Sicut etiam fit, quando solares Radii collecti per Vitrum in Conum, licet in unum Punctum coeant, & inde regrediantur diversimodè, non tamen quoad Entitatem inter se confundantur. 4. Quod ideo diversa in Genere aut Specie Lumina, se mutuo, instar Luminis immediatè penetrent, & operentur communicativè, absque Lassatione. 5. Quod omnes

Corpo-

Corporum Formæ sint vera Lumina, non tamen omnia substantialia, licet entitata, præter solam Mentem humanam. Illa enim sola operatur cum Superioritate, attingit & penetrat omnem aliam Formam se inferiorem, illo præcipuè Titulo, quod sit vera DEI Imago, & ei inhabitet Regnum DEI. Et hæc ex Fide & Natura. 6. Quod ideo Dæmon non possit attingere aliquam Formam, ut in ea suum velle perficiat, absque DEI jussu.

§. 7.

*Eadem Virtus Anima agens in distans, confirmatur variis Exemplis naturalibus.*

Exemplum I.

Datur hodie aliquod Unguentum Magneticum. Si nimirum ex vulnerato Corpore Cruor, Bacillo vel alteri Instrumento illiniatur, & sic Bacillus cruentatus tali Unguento obligetur, vulneratus etiam absens sanari eo ipso possit & solet, per solam Bacilli Inunctionem & Ligationem, idque Virtute Magnetica. De hoc curandi modo quæri potest, & solet: An sit naturalis? an fiat Opera Dæmonis superstitiosè ac præstigosè? pro Superstitione fieri, probat hoc Argumentum: Omnis Effectus vel immediatè procedit à DEO, & sic est Miraculum, & Effectus supernaturalis: vel à Dæmone & est Effectus præstigosus: vel à Causis naturalibus ac ordinariis, & tunc Effectus est naturalis. Atqui hæc Curatio Magnetica, seu Magnetismus non est Miraculum à DEO patratum immediatè; nec est naturalis: ergo est Diabolica. Respondetur: Licet contra Majorem possemus ostendere, dictam Enumerationem Effectuum esse insufficientem. Nam Homo interior etiam agit aliquos Effectus, qui tamen non comprehenduntur sub illis tribus modis: quia Virtute Magica naturali plura sæpè agit stupenda, etiam extra se naturaliter, sed non ordinariè; & tamen ille Effectus non  
fit

fit exacto Dæmonis, prout hæcenus ostendimus, nec est Effectus naturalis ordinarius, nec immediatè DEI: consequenter Majorem legitimè negare possemus. Nihilominus eam sicco Pede pertranseamus, & negemus solam Minorem, quatenus asserit Effectum Magnetismi, & illius Curationem, non esse naturalem. Multi dantur Effectus naturales, qui tamen non contingunt ordinariè, sed rarius accidunt. Idque fieri naturaliter, multis Rationibus & Exemplis deinceps probabimus & declarabimus. Inprimis enim certum est, multam fuisse DEI Bonitatem in omnibus, qui omnia creata condidit in Usus Hominis, nec quemquam Hominum admisit Assessorem in Consilio suo æterno, quot, quantasve Rebus indere vellet Virtutes & de facto indidit. Certum etiam videtur à Peccato Superbiæ Hominem excusari non posse, qui, quando non percipit aut percipere potest in singulis Rebus Rationem naturalem, (:quasi universa DEI Opera metiri suo Acumine ac penetrare posset:) ideoque mox audacter negat, DEUM talibus Rebus Virtutem hanc, vel illam mirandam, à se non perceptam, dedisse; quasi Homo, Vermiculus, compos esset DEI & Consilii ejus: qui sic omnium Animos ex suo æstimat incapaces: quia putat fieri non posse, quod ipse capere non potest. Nobis certè non videtur naturaliter impossibile, aut nimis mirum, quod extra Magnetis Corpus aliquid consimile, & solo Magnetismi Nomine explicabilem aliquam Virtutem, Rebus etiam aliis DEUS Creator dederit. Cur enim non posset plura ejusmodi Corpora, aut Virtutes condere & Rebus aliis indere? Ostendatur aliqua Contradictionis Implicantia. Nonne sufficere deberet ad Magnetismi Positionem, unicum saltem dari Exemplum naturale istius Lapidis, Magnetis, ad cujus Normam cætera quoque diversimode distributa intelligantur in Creaturis? & tamen plura enarrabimus ejusmodi Exempla naturalia pro abundantia? An ideò, quia sibi novum, paradoxum, in cognitum est,

est, proinde statim debet id esse Diabolicum? Absit tam impiè, malè, & indebitè de Divina Majestate sentire: nec certè ideò talem Honorem statim Diabolo attribuere, & blandiri ei debemus.

Quid enim svavius Dæmonem potest afficere, quam si bonorum Operum & mirandorum Gloria, eidem tam facile defertur, quasi ipse esset Author eorum? Unde bene Caramuel supra citatus dicit: In dubio, an Effectus proveniat à Causa naturali, an à Dæmone, pro naturali esse præsumendum: quia Naturæ Conditor potentissimus etiam Naturam condidit potentissimam. Unde non credam sublatere aliquod Pactum, aut interventum Dæmonis, in aliquo Effectu, quousque id videam evidenter. Ita Caramuel. Similiter ego hæc scribens consului eundem D. Caramuelem, tunc Vicinum nostrum in Emaus Abbatem, de miris illis F. Tobix, Laici Novitii, Actionibus, quasi prodigiosis, Anno 1651. patris, quid sentiret? ubi mox omnia rejecit & irrisit, tanquam deceptoria, consulens, ut talem Novitium expelleremus cum ejusmodi Miraculis & prodigiosis Illusionibus. Quod etiam factum est. Deinde conceditur ab universis, quod Natura materialis, suo Magnetismo, quotidie trahat à Superis cœlestibus Formas, Cœlestiumque Favorem continuò expetat. Et quod vicissim Cœli aliqua ab Inferioribus invisibiliter ad se alliciant, in Aërem elevent, ut sit liber & reciprocus Aditus, & in unicum totum Universum Membrorum concinna invicem consonans Chelys. Magnetismus igitur, quia passim re ipsa ubique viget, nihil novi, præter Nomen, continet, nec Paradoxus est, nisi iis, qui cuncta irrident, & in Dæmonis Dominium ablegant, quæcunque ipsi non intelligunt sua Ratione imbecilli.

Tandem, quid quæso in hoc Unguento est superstitiosum? An quia componitur ex Usnea, i. e. ex Cranii humani violenter occisi Herba, item ex Mumia & Adipe Hominis? Atqui his

omnibus licitissimè quotidie utitur Medicus, & vendit Seplasia. An vero, quia modus utendi, tibi fortè novus, vulgo insuetus, admirabilis videtur; ergo ideò Effectus Diabolicus erit? Denique ipsa etiam Remedia in se sunt Res naturales, quibus DEUS eam Facultatem dedit, ut mox videbimus. Nec habet hæc Curatio ullos Ritus, Verba, Characteres, Sigilla, Ceremonias, aut vanas Observantias Temporum, Rerum sacrarum. Unde ergo de Superstitione suspecta esset? Quicumque ergo hanc Magneticam Vulnerum Curationem putat esse Diabolicam, non quia Fine, & mediis illicitis constat; sed quod modo ipsi in cognito procedat, is eodem Argumento convictus; aut omnium, quæ recenter etiam, & olim, celeberrimus ille Mathematicus, Athanasius Kircherus, Professor Romanus Jesuita, in sua Arte Magnesia, & in magno Opere de Acu Magnetica, & recentissimè Caspar Schottus, itidem Jesuita, de Magia naturali, magnis Voluminibus, & alii passim, tradunt; aut quæ mox nos hic adducemus, horum, inquam, omnium, aut debet adducere Causas quidditativas: vel fateri Operationes illas Magnetis omnes esse Diabolicas: vel saltem confiteri tandem, Magnetismum, esse Proprietatem quandam occultam, per hanc Appellationem, propter manifestam illius Lapidis prærogativam, à cæteris abstrusis, & vulgo ignotis Qualitatibus naturalibus diremptam. Stupendas etiam Magnetis Operationes naturales Physicas aliquot vide apud Helmont. in supplem. §. 15. n. 19. Item apud Gvilelmum Gilbertum, Londinensem Medicum de Magnete; & Kircherum, quibus duobus, nemo hæctenus melius scripsit de ista Materia. Hic tantum obiter addimus, Dorsum Magnetis, sicut Ferrum movet; ita & Intestinum pellit, curat Herniam, omnemque Catarrhum de Natura Martis, item Parum Naturæ. Quæ omnia, aut ostendantur à priori, quomodo fiant naturaliter, aut, si id demonstrare non potest Adversarius, pro Diabolicis condemnet & pronuntiet. Quod vix audebit,

debit, si sani Judicii est. Sed de hac Magnetica Vulnerum Curatione, quomodo fiat naturaliter, & quomodo Objectiones dissolvi possint, dicemus & declarabimus infra magis. Interim progrediamur ad alia Exempla.

### Exemplum II.

Est Liber impressus Franckeræ, Anno 1611. apud Udalricum Dominicum Balck, de Lampade Vitæ, ubi reperitur ex Paracelso, si Sangvinem calentem ægri Hominis, includendo Testæ, & putamini Ovi, quod fovendum exponitur, & Carnibus admistum hunc, inquam, Sangvinem si Cani esurienti, aut Porco dederis, mox Ægrotudo in Canem, à te Ægro, trahitur & abit. Ibidem probat plures Morbos verâ Magneticâ Curâ sanari, v. g. Hydro-  
pis, Podagræ, Icteri. Quorum præcipuè illud de Sangvine Cani dato, fit solius Sangvinis Mumialis Magnetismo. An sic Proximo Sanitatem restituisse, erit Diabolicum? An sic alios Morbos Proximi curasse, erit Dæmonicum?

### Exemplum III. & IV.

Mulier ablactans Infantem, quo citius Ubera sibi sterilecant, emulget Lac in Prunas, & mox flaccescunt Ubera. An forsan Dæmon ea ex fugit? Idem fit, si quis Excremento stercoreo recenti Ignem Ferri superstruit, mox per Magnetismum nates Cacatoris fiunt scabiosæ: Igne scilicet torrente Excrementum, & Tosturæ Acrimoniam, quasi Dorso magnetico, in Anum impudentem propellendo. Annè & hoc Diabolicum? Præcipuè si fiat non ex malo Fine? Quam mirabiliter item Succinum necet Magneticè Vitriolum, vide apud Helmont. loco cit. n. 22.

### Exemplum V.

Quidam Bruxellensis in pugna amisit Nasum, adivit Chirurgum quendam Tagliacozzum, Bononiæ degentem, ce-

lebrem, ut alium Nasum ab eo sibi fieri curaret. Et cum Incisionem proprii Brachii, ad supplendum Nasum, pro Carne excindenda formidaret, convenit in hunc Finem Bajulum quendam, pauperem Hominem, ex cujus Brachio Caro excisa, & pro Naso novo alteri applicata, accrevit ipsi in Forma Nasi.

Post 13. Menses Bajulus ille in remotissimo Loco à Bruxellis, i. e. Bononiæ, 100. Milliaribus ab altero Loco distantis, moritur, & eodem Momento alteri sanato Bruxellis, comperitus est Nasus insititius friguiffe, ac post aliquot Dies putrilagine cecidisse. Id potest Bruxellæ probari per Testes. Saltem hoc Exemplum omni Dæmonis Illusione carebit. An non est Mumia Magnetismus ille planè consimilis, quo Nasus Vita communi, Sensu & Facultate sensitiva, tot Mensibus Insitionum Jure gaudens, repente trans Alpes ex Italia Bruxellam usque operans, mortuus est? quid hic Diabolici? Hujus Rei i. e. Nasi insititii tam subito mutati Casum investigantibus inventum fuit eodem fere Momento, quo Nasus frigere incepit, expirasse Bajulum. Quid hic quæso Phantastici?

#### Exemplum VI.

Radix Carlina (quæ Chamæleontis est) plena Succo & Viribus evulsa, Mumia humanæ temperata, tanquam Fermento ex Homine, cujus Umbram premis, Vires & Robur naturale in te trahit. Ita Helmont. §. cit. n. 24. Sed hoc præstigiosum dices, quia Paradoxum? Quasi non eadem Lepra-Namani in Gehazin esset traducta, & Icterus idem Numero in Canem aliquando transplantatus.

#### Exemplum VII.

Heliotropia certè Magnetismo quodam feruntur ad Solem, & etiam ab Occasu, ubi hodie Solem reliquerunt, cras ad Ortum videntur reversa. Nec dici potest id fieri, vel Virtute Caloris, vel Lucis solaris. Nam Die nubilo & frigidiore,  
Rythmum

Rythmum hunc Solis servant, & Nocte opaca ab Occasu ad Ortum moventur, tanquam Solis pedissequi. Hocne Diabolicum censebis? Forfan tibi & aliud superest Subterfugium, nimirum, quod sit Harmonia Superiorum cum Inferioribus, & Facultas tractrix planè cælestis, quæ sublunaribus tibi non videtur communicanda. Quasi vero Microcosmus, cælestis Sortis indigus, nullam in suo Sangvine & Usnea notaret Astrorum Revolutionem, ut supra jam vidimus, & infra magis patebit.

### Exemplum VIII.

Quid dicemus de Philtris? quæ Mumialem Confermentationem requirunt Personarum, ut ad certum Objectum trahatur Dilectio. Imo datur passim Herba, quæ si teneatur & foveatur Manu, donec intepuerit, ac mox alterius Manum detinueris, quoad & illa tepescat, ille totus, ad Dies aliquot, ardet tui Amore. Affirmat Helmont. loco cit. n. 27. se hoc ipsum practicasse in quodam Catulo, qui mox relicta Herba sua, secutus est illum, licet peregrinum, semper adeo, quod Noctu ante fores ejularer, donec ei aperiretur. Calor enim prius Herbam calefaciens, non solitarius, sed Effluvio quodam Spirituum naturalium concitatus, Herbam ad se determinat, & sibi individuat: assumpto vero hoc Fermento, per Magnetismum alterius Spiritum trahit, & subigit in Affectionem amorosam.

### Exemplum IX.

Multi etiam Morbi curantur per Arcanum Sangvinis humani Magneticè: nisi enim Sangvis, Pus, Urina, & perspirabile Effluviu, continuò aliquid secum de Spiritu vitali demerent, educerent, iisque inesset Participatio quædam Totius, extra Concretum naturale, fortè non adeo brevis Vita Hominis esset.

### Exemplum X.

Perficaria, sive Piper Aquaticum, Consolida, Sophia, Serpentina, Brasentella, & plures aliæ Herbæ, hoc habent peculiare,

liare, ut si frigida demergantur in Aquam (:prout & Quercus excisa, flante Borea, verminosa erit, nisi mox demergatur subter Aquas:) hæ, inquam, Herbæ, si frigida in Aquam demersæ, & subter Vulnus aut Ulcus aliquantisper intepescant, mox verò defodiantur in Loco canoso, ubi putrere incipiunt, etiam satagunt attrahere ex Ægro, quidquid noxium est. Idque faciunt primo in Putrefactione sui Corporis. Virtutes enim tunc jam quasi Corporis repagulis solutæ, liberè Magnetismum, alias in se dormientem & impeditum, exerunt, & juxta Contagionem & Compressionem à vulnerato aut ulceroso Loco acceptam, reliquum mali vel etiam eminus multum exsugunt. Sic Medicinæ, sic Alimenta quasi dissolvi debent in Stomacho, donec Virtutes suas exerant. Quid ergo mirum, si idem fiat in Hominis resoluto Corpore?

### Exemplum XI.

Si quis Folia Asari decerpando, sursum vellicaverit, purgabunt alium, i. e. tertiam Personam hujus Tractationis nesciam, per Vomitum tantum: si deorsum carpando torqueantur, solam Alvum dejicient. Certè præter Asarum, & Sambuci Extremitates, id reliqua Purgantia non habent, quæ quomodocunq; decerpta, univocè operantur semper. Sed in Asaro, Planta integrali, Proprietas elucescit Magnetica, adeoque ad Carptionis Sensum variè dotat sua Folia. Habere autem non tantum Plantas, sed creata ferè singula quandam Adumbrationem tum Antipathia, tum Sympathia (:quæ sine Sensu consistere nequeunt:) magis patebit ex sequentibus.

### Exemplum XII.

Helmont. Loco cit. n. 33. narrat se habere notam Matronam quandam, quæ sæpius, eunte & redeunte Paroxismo, Podagra affligebatur. Causa fuit ignota toties reiterata Recidivæ. Tandem advertit, quod quoties post Remissionem sederet in Sede, quæ Frater ejus olim, & in alia Urbe Podagricus sole-

solebat, statim ab inde Morbum repullulare sensit. Qvi Effectus nullatenus Imaginationi aut Scrupulo adscribi potest: utpote, quod duo hæc sint longè posteriora illo Effectu. Si autem in illa Sede fraterna alius sedisset, nulla accidit ei Morbi Redintegratio. Ergo jam Fratris mortui Mumia, Sedem Contagio suspectam merito reddidit, quæ Sorori soli, & non alteri cuicunque Podagrico, fluxus illossecus quieturos moveret, trans omnes Vestes penetrans.

### Exemplum XIII.

Saphirus cæruleo Colore satur, si Anthracem, quo Pestsis se prodit, attigerit, & aliquamdiu affrictus fuerit, mox verò auferatur, non cessat Saphirus ille jam absens, Virus totum ex contaminato extrahere magneticè; modo id fiat tempestivè, Viribus Ægri nondum debellatis. Ideo solent locum Apstematis in Circulum, paulatim aucto Saphiro, conscribere: ne scilicet exiens Virus, quæ insensibiliter evolat, latius exspacietur, & nobilem aliquam vicinam Partem latius proinde infectet. Quæ enim Virus è Corpore tabido magneticè, tanquam per Tubum extractum, exhalat, totus ille Circulus circumscriptus nigrescit, & tandem in Escharam combustus, excidit: Corde interim à mortifera Contagione præservato. Quod autem id fiat per Magnetismum Gemmæ, non vero ex alia Virtute, vel Veneni intus edomatione, Locus ipse pro Magnetismo dat certius Testimonium. Nam non nigrescit statim sub ductu, vel per ductum Saphiri; sed mox abinde atrescit, combustus immediatè per Auram pestiferam, i. e. Arsenicalem, isthac, & non alia Vià egredientem. Quæ Virus continuo exhalat, nimirum in Conum, resumptis Radiis venenosis, ibidem necesse est Locum impetum, pati, atrescere & comburi: quæ sicut successu Temporis contingunt, Virus quoque successivè effluere ad tractum absentis Gemmæ, edocent. Idem Saphirus, cum maneat

neat in se integer, & incorruptus, indiget tantum certo Tempore ad hoc, ut Radium suum influentialem per attactum Mumia copulet Radio Auræ pestiferæ, qvo eam mox absense exigat. Ad dictam, inquam, Copulationem, ut fiat Alligatio Virtutis Saphiricæ ad Venenum, requiritur certum Tempus v. g. Horæ  $\frac{8}{4}$ , qvo circumdatur Anthraci Circulus.

Ubi & hoc mirum est notandum, qvod licet Anthrax recen-ter pluribus Locis se simul ostendet, solus tamen ille Locus, qvi Saphiro circumscriptus fuerit, amburitur, sidentibus & pereun-ribus cæteris. Nota etiam: Qvo sæpius Saphirus Venenum ex- fluxerit; eò potentior laudatur deinceps, nihil vero de suis Vi-ribus per hoc amittit. Vide plura de hoc Exemplo, & Objec- tiones contrarias evacuatas, loco cit. n. 34. 35. 36.

#### Exemplum XIV.

Imo & Homini, hac in Parte, suusest Magnes, qvo Tempo- re Pestis, per suam insensibilem Transpirationem in se haurit Virus è contaminatis forinsecus. Tunc enim suo Magneti, Na- tura, qvæ alias tantum bonos Succos attrahit, succumbit, no- cuam Auram allicit, & Mortem intro vocat. Contra quem, Magnetem suus est Magnes contrarius, i. e. Saphirus. Ipse enim Saphirus, vel etiam frustum Succini lucidum, prius per septem Planetarios Pulsus conficta (:sunt enim hi in Guttu- re, Carpis Manuum, prope Pedum malleolos, & ad Cordis Thronum:) & collo Periapti, vel Amuleti vice appensa, huma- manum illum Magnetem præcellunt, impediunt, adeoque di- ræ Luis sunt Amuleta certissima; alioquin plane inefficacia, si Pulsuum Confictio non præcesserit. Plura Exempla stupen- da Virtutis Magnetici Lapidis, vide fusius in Kircheri Arte Ma- gnesia, Anno 1630. Herbipoli impressa. Hæcine omnia & plu- rima alia, aliquis Diabolica censebit, & Pacto cum Damone inito adscribet?

Exem-

## Exemplum XV.

Pro Coronide hic adducamus miras aliquas adhuc Rerum naturalium Virtutes. Refert Helmont, loc. cit. num. 45. se vidisse Militem quendam, qui frustulum Usneæ (:est Herba quædam crescens in Cranio Hominis v. g. suspensi, aut alias violenter occisi, nascens mediantibus Astralibus & Meteoricis Influentiis:) frustulum, inquam, ejusmodi Usneæ, intra Cutem & Carnem Capitis, consolidatum gerebat, qui amicè dein intercedens, inter duos Fratres invicem de Vita dimicantes, Gladio in Capite cæsus in Terram cecidit, quo Ictu Pileus & Coma, ad Cutim usque, velut novacula, discissa erant, Pelle tamen illæsus evasit. Subjungit: Vos conjicite, cui nam Causæ Pellis tutela sit dedicanda? Ego conjecturis incertis non assevi Animum torquere. Fulgur interim Ense est multò potentius, si Laurum, non saltem Vitulum marinum quatit, nec Equum Fulgur attingit, cujus Chamus Vituli marini Pingvine inunctus sit: nec Stabulum ferit, cujus Postes, tali Adipe sunt pingves. Experientia est trivialis. Transeo tamen, & aliis hanc Arenam relinquo, ubi prius simile Paradigma monuero. In Arduenna D. Hubertus colitur, quo omnes à Cane rabido demorsi tendunt, si flocculus ibidem ex ejus Stola, intra Frontis Cutem, demorsi à tali rabido Cane solidetur, imposterum, à nulla fera rabida feriri potest, Dentesque arcet flocculus. Dices: id fieri per Miraculum. Respondetur: Esto Miraculum per Reliquias illas sanctas patratum. DEUS tamen in Miraculis ut plurimum ad latus Naturæ vadit, ejusque Morem observat. Nam qui solo Verbo potest omnia, etiam mediis subinde utitur. Sic Sudor in Sudario D. Petri, esto Unguentum Magneticum. Sudor vero Ægrorum, vel etiam aliud insensibile Effluvi-um, ab iis effluens, esto Sangvis vulnerati, intra Unguenti Pyxidem Bacillo positus, statim undique Noxa ex Ægro magneticè trahitur. Idque eò fit potentius, quo Magnes ille super-

naturalis majoris est Efficaciæ. Par scilicet videtur utrobique Ratio, & par modus, nisi quod in Mundo materiali, Sangvine & Unguento, seu mediis Corporalibus, id contingat: in supernaturali verò, per Amicorum DEI Reliquias, multum certè etiam hoc Nomine venerandas. Quæ, ut Unguento nostro Magnetico proximiores evadant, ex quibusdam Locis, Fontem, Olei, Liqvoris, Balsami, Aquæ, (quales sunt Oleum S. Catharinæ, Manna S. Nicolai, Aqua S. P. Augustini, S. Wenceslai) indefinenter stillantem, DEUS in variis Locis excitavit, quo scilicet magnetico Remedio, utrobique i. e. in Mundo naturali & supernaturali suffulti, certo sciamus Curationem Magneticam, DEO esse acceptam, & in utroque Mundo, consimili Ordine, pari passu, unoque Ductore ire.

Hinc recentes Reliquiæ, sæpè plura & augustiora edunt Miracula, vel ubi transferuntur, & noviter tanguntur: quia necesse Magnetem fricari, & moveri, si trahere debeat. Refert ibidem n. 49, de S. Huberti Reliquiis, quomodo per eas, aliquis, non tantum liber deinceps à Cane relinquitur furente, sed etiam quod magis est adhuc Regium, alteri demorso à Cane rabioso, potest Tempus differre ad multas quadragenarias, donec is possit illas sua Commoditate adire, suspenso interim & silente Veneno rabido. Consangvineum quoque dedit Natura Zinzilla (:quæ est Excrementum Diaphragmatis in Phlegmonem abiens:) occidit, ubi zonæ instar circumierit. Curatur autem tuto & celeriter, si Sangvine cujusdam, qui semel illo Morbo laboraverit, foris vel tenuiter Locus inungatur. Nempe qui semel ab illo Morbo convaluerit, Sangvinem non tantum Balsamicum obtinuit, unde imposterum ab illo Morbo sit tutus; sed etiam eundem Affectum curat in proximo, ejusque Sangvinem, cutaneo attactu, vi Magnetismi, in Balsamum similem transplantat. Simile quid reperitur in Peste semel infectis, sed emerfis. Nam & tales deinceps non facile ab eadem corripuntur. Sed de his satis.

## §. 8.

*Solvuntur Objectiones contrariae.*

Præcipue contra hucusque de Virtute Animæ in distans operante Magnetica, Sympathetica &c. deducta, opponi possunt similia.

*Obiectio I.* Per Aristotelem non potest Accidens transire de Subjecto in Subjectum. Sed Respondetur: Jam supra nos ostendisse in Materia de Generatione & Corruptione, hanc Regulam Aristotelicam esse falsam. Ibi enim docuimus de Vita media Rerum, necesse esse, ut Accidentia, & Virtutes v. g. Ciborum, Pharmacorum, maneat vel transeat, ad novum generatum, alias sine Effectu fore. Vide ibi plura, & apud Helmont in Suppl. §. 5. n. 39. 40. 41. Unde sicut Aristoteles in aliis pluribus est sine Fundamento, ut supra sæpius vidimus; ita & in hac Materia de transitu Accidentium de Subjecto in Subjectum, graviter erravit: & maximè, quod docuerit ex hoc Capite; quod eadem Cicatrix, quæ heri fuit in Homine vivo, hodie non possit amplius esse in ejus Cadavere mortuo. Si ita esset, frustra nos SS. Reliquias veneremur, si sola Materia prima Aristotelica fictitia tantum super esset, & non remanerent aliqua Accidentia in corrupto, quæ olim erant in vivo. Ecce quo Ethnicus Error Aristotelis propellit Christianos!

*Obiectio II.* In cœlestibus Impressionibus conceditur hæc Virtus in distans; sed negatur per Vis influentialis in sublunariibus. Respond: sic omnes rectè Philosophantes erunt simul reprehendendi, qui annotarunt superam Lationem, in Inferioribus esse, modo inferiori, & vicissim Inferiorum Analogiam reperiri in Superis. An non Herbæ, Animalia, & æger Homo Mutationes Temporum futuras præsentiant, & præfagiunt? An non quo Rana profundius sibi instantis Hiemis Hospitium excavarit, eò immanior Bruma? Hinc enim auspicia sunt Meteorica: non

quidem, quod ista fiant Motu Cœlorum præcoci, & adhuc nondum præfente, seu futuro tantum, sed quia creatis singulis suum inest quasi Cœlum, Cœliq; rotatio, dependens ex Ente Seminis, in cuius Spiritu (ut pote qui universi Cœlaturam continet:) suum est Cœlum, & sua sunt insuper Ascendentia. Unde una quæque Res suum Cœlum Cœlorumque Syzygiam continet: Cœlorum tamen Motus, quia nobilissimus, quia communissimus Rerum particularium Cœlos (:sic appellemus ex alterius Verbi defectu:) dirigit juxta se. Hæc nimirum Causa est cujusque naturalis Inclinationis. Et ubi Creatura à Motu illo Cœli, tanquam Norma communissima, proprii Cœli persuasione exorbitat, statim adest Morbus & defectus. Hinc Ægroti præfentiunt Tempestates, Temporum futuras Mutationes, non item Sani. Mare enim si flueret & reflueret tantum, ex ductu Lunæ cœlestis, & non etiam Vi suæ propriæ Lunæ Hydromantica: Venti etiam, si siconcitantur tantum, v. g. ductu Mercurii cœlestis, & non proprii Astri Chaomantici, profecto nec essent usquam Venti provinciales, & per totum Orbem confimilis flaret Ventus, Mare etiam flueret ubique, si non eodem Tempore, saltem eodem Rythmo: quod est contra Praxim novam Navigationis. Quia unicus tantum est Mercurius & simplex Luna in Cœlis. Sat igitur hic est ostendisse obiter, Naturam cœlestem & Enormanticam inesse Rebus ipsis, quæ tamen ad Rythmum superioris Lationis sese concitet & moderetur, quamdiu non vult refractaria haberi. Similiter Firmamentum non causat futura, nisi remotè, idque primis Qualitatibus, vice cujusdam Coqui: alioquin opulenter annuntiat Opera Manuum DEI. Res ipsæ autem continent in Ente seminali Firmamentum particulare, ratione cujus symbolizant superacum inferis lege Amicitia & Philautia. Ex quibus saltem nunc colligere possumus Magnetismum & Vires influentiales, passim ipsis Rebus sublunaribus esse insitas & proprias.

Obje-

*Objectio III.* Transeat, Magnetismum in se habere aliquid cœleste, seu Virtutem aliquam cœlestem ei inesse; nullatenus tamen eadem sublunaribus aliis est tribuenda. Et quidem etiam ipse Magnes trahitur à Polo cœlesti, non vel ex Virtute sibi propria insita. Sed Respondetur: Quid hoc aliud est, quam negare Magnetismum extra vel præter Magnetismum dari? Nam si universaliter omnium Sublunarium Influentiam ad invicem, vocemus Magnetismum: eamque occultam Coaptationem, quæ absens in absens per Influxum agit, sive id fiat trahendo, sive impellendo, Etymi defectu Magnetismum nuncupemus, si, inquam, sic loquamur universaliter; cum aliter hæc vocare non sciamus. Certè qui negat extra Magnetismum dari Vim influentialem Sublunarium, ad invicem, & dari sibi Instantiam ex adverso poscit, is Absurdum requirit apertè, nempe Magnetismum extra Magnetismum, nescitque, quid neget aut petat. Exempla enim facti ipsius evidentis, Magnetismi in sublunaribus existentis, §. antecedente sufficientia attulimus, quæ si Adversarius non credit, experiatur & verum inveniet; si vero credit, cur negat apertam Experientiam? Nonne idem convincunt quotidie Exempla Vitis & Hordei, quæ florentia movent dissitissimum Vinum & Cerevisiam, nec id potest naturaliter adscribi Astris, aut Dæmoni, aut Miraculo continuo. Quod vero Magnes trahatur à Polo, & non Virtute propria insita moveatur, est falsissimum, prout demonstrat ad oculum Helmont. loco cit. n. 45. & seq. per varias Experientias, Mathematicas & Mechanicas. Ex quibus Remonstrationibus constat, quod in Magnete sit Virtus influentialis, quæ citra respectum Propinquitatis Objecti, Cœlestium more, libere ad Polum usque fertur, cum sit spontanea Magnetis ad Polum Eradiatio. Itaque si unica Virtus naturalis jam à nobis reperta est, in Sublunaribus ad Objectum distans longissimè diradians (:scilicet in Magnete ad Polum, per tot millena Milliarum operans:) quæ Diabolo ne-

quaquam adscribi potest, sufficienter simul probatum est, etiam pares plures prorsus naturales esse posse, quales jam in Exemplis & Unguento Vulnerario, plures adduximus. Magnes ergo, vel Ferrum à Magnete, contactum, cum spontè propria ad Polum se convertant, necessariò extenditur quædam Qualitas à Magnete ad Polum; quam novimus fieri citra Effluvium aliquod corporeum: ideo eandem spiritualem Qualitatem nominamus, contra aliquos inexpertos dissentientes, qui Spiritum, contra omnem Naturam, corporeum distinguunt, velut quid præter Naturam. Et sic putant aliqui Theologi rariores: Medici verò Spiritum contra crassiorem Corporis Compaginem distinguunt. Hoc pacto dicimus solis Lucem & Cœlorum Influxum, Torpedinis Ejaculationem, Basilisci Radium visivum &c. Qualitates planè spirituales, quod scilicet non Communionem substantialis Evaporationis in distans, dispergantur illæ Qualitates, sed tanquam imperceptibilis Lucis medio, diradiantur à Subjecto in Subjectum debitum. Ex quibus patet, primò Qualitatem naturalem in Unguento illo Vulnerario Corporeo stabulare spiritualem. 2. Quod radialis Lucis instar, seu medio ac Vehiculo tractus feratur in Objectum appropriatum. 3. *Quod Spiritus mundani Sensatione quædam (omnis Sympathie Causatrice) deferantur ejusmodi Qualitates ad longinquum & destinatum Objectum.* Et hic Spiritus mundanus non est Dæmon aliquis, sed Aura Ætheris purior, ac vitalis, qui Spiritus Solem Titaniaque Astra, & Spiritus intus alios latentes, totamque diffusa per Artus Mens agit molem: adeoque Mundum Communionem quædam, Partium ac Virium Conspiratione moderatur, juxta Consensum omnium rectè Philosophantium. v. g. Heliotropia sentiunt Solis iter, Mare Lunæ stitium utrumque notat. Denique omnis Creatura per Vitam, Essentiam, Existentiam & Sensationem, Creatoris sui Majestatem, Libertatem, & Præsentiam attestatur.

Obje-

*Obiectio IV.* Quærit forsan Adversarius; quid tandem trahatur à vulnerato illo, & quomodo fiat Tractio illa per Unguentum absens? Respondebis 1. Quando Antagonista ostenderit, quomodo & cur Magnes Ferrum trahat, seseque ad Polum convertat: tunc & nos respondebimus, quomodo Mumia attractam Mumiam per Mumiam sanat. Respondebis tamen 2. didactico Analogismo sic: quod bene sit notandum, in Vulnere, non tantum fieri continui Solutionem; sed simul etiam introduci exoticam Qualitatem, unde labra Vulneris indignata, mox æstuant, apostemantur, imo totum abinde Corpus Febris, ac varia Symptomatum Syndrome conflictatur. Sicut Ovum, cujus Putamen vel leviter saltem est læsum, putrescit, ubi alias potuisset conservari. Igitur Magnetismus hujus Unguenti, trahit peregrinam illam Dispositionem ex Vulnere, unda labra, nullo demum Accidente prægravata, sine Dolore sunt, & mox concrecere festinant, nullatenus impedita. Naturæ enim ipsæ sunt Medicatrices; Medicus vero tantum Minister Naturæ; nec Pharmacum in Vulnere Carnem parit, sat agit, si Obstacula removerit: quæ alias unicum istud Vulnerarium Unguentum, satis arcet securè & opulenter, & sic Vulnus sanat.

*Obiectio V.* Cur Unguentum hoc potius attrahit, seu allicit alienam illam exoticam Qualitatem, quam aliquid naturale, & Vires Venarum? præcipuè cum Sanguis in Unguento adhuc sit sanus, adeoque adsciscere deberet potius Sanitatem Vulnerati, quam Indispositionem, prout de Carlina supra est dictum? Respondebis: diversos dari Magnetismos: Quidam enim Ferrum trahunt, quidam Paleas, Plumbum: quidam Carnem, Pus. Aliquorum vero ea est gratia, ut pestiferam tantum Auram extrahant.

Cum igitur Effectus hujus Unguenti sit sanare perfectè, breviter, absque Dolore, Sumptibus, Periculo & Virium jactura:  
hinc

hinc patet Virtutem ejus Magneticam, haud dubiè à DEO naturaliter inesse (:Ille enim omnia svaviter, perfectè & feliciter perficit:) & non à Dæmone: quia si iste hic esset Cooperator dictæ Sanationis, eadem certe esset imperfecta, cum Roboris Amissione, Debilitate, Jactura Vitæ, difficili Convalescentia, vel Mali alicujus majoris & Infortunii Recidiva. Quæ singula Curis Diabolicis, & ejus Naturæ sunt annexa: hic autem talia procul absunt à nostro Unguento Magnetico. Quod si esset Remedium Dæmoniacum: saltem tunc deficeret, quando Vulneratus in Peccato mortali constitutus, quasi à mortuis hoc Remedio revocaretur; quia tunc Dæmon alias cum Sangvine & Vita simul Animam æternam perdidisset, si Hominem non juvisset, & si mortuus ex Vulnere fuisset ille Peccator. Tandem negamus assumptum, scilicet Sangvinem extra venatum, esse perfectè sanum: sed asserimus potius, eum Vita communi privatum, & initia alicujus Corruptionis esse ingressum, & saltem obtinere adhuc Vitam mumialem. Huc facit Cruor putridus, & tamen Magneticus in Ovo.

## §. 9.

*Quomodo operetur Magnetismus? An per Sensationem.*

Hucusque ostendimus dari Animæ, & plurium Creaturarum Operationem Magneticam in distans naturalem. Nunc investigemus modum, quo id fiat. Certum in primis est Magnetis Lapidis, & Rerum omnium inanimatarum Magnetismos fieri per naturalem Sensationem, omnis Sympathiæ auctricem. Cum enim Magnes se spontè ad Polum dirigat, oportet eundem novisse, an in sua Directione non sit Errorem commissurus? Quomodo autem Magnes Polum novisse potest, si non sentiat, ubi sit? Similiter cum idem Magnes ad Ferrum eminus positum se torqueat, Polo neglecto, necessarium est

est ipsum prius sensisse Ferrum illud, Varios igitur Sensus & Imagines Magnes habere debet.

Nec etiam satis erit ei sensisse tantum, nisi Amoris & Philautiæ Stimulos addamus, adeoque dicamus, eum Phantasiâ quâdam naturali dotatum esse, cujus Impressionis causa universi Magnetismi sunt conflati. Alia enim Phantasia dirigitur in Ferrum potius, quam in Polum: tunc enim per vicinum tantum Spatium Virtus sua spargitur. Mutata etiam est ejus Phantasia, quando Fatum, Catarrhos, aut Intestinum, ut Medicina, cohibet, prout jam vidimus supra. Alia quoque Phantasia Magnes trahit aliquid ex Vitro Ignibus excocto: minutulum enim ejus Fragmentum, in Massam vitream injectum, dum coquitur, è viridi vel luteo candidum efficit. Licet enim ipse Magnes rubeo sit Colore saturatus, & Igne consumatur vitriario: interim tamen dum vivit, etiam ex candente Vitro Liquorem tinctum attrahit, consumit: adeoque ejus Tractio non tantum ad Ferrum est: sed etiam ad Partem illam æream, quæ difficulter ex Vitro abiret, & hæcenus Vitriariis est in Usu communi. Alias mirandas Magnetis Virtutes vide in Kircheri Arte Magnetica supra cit. Succini etiam Phantasia Paleas & Festucas trahit, Tractio quidem satis otiosa, sed Tractiois Signatura perfectili. Nam Mumia nostræ maritatum, nostro quoque Magnete fortius, trahit in adversum, & Zenexon, seu Amuletum evadit, Pestem extrahens. Gummi vero immixtum Succinum, Virus & Plumbum, sua Imaginatione jam transplantata, è Vulnere trahit: variata nimirum utrobique trahendi Voluptate & Voto.

Et quid mirum est (nisi apud eos, qui omnia ignorantes, omnia quoque mirentur:) quod res inanimæ Phantasia polleant? Cum is, qui totus Vita est, res omnes creet, nullamque ideo ex Manu sua mortuam expectandam promisit? Nullaque penitus Res ab ipso proveniret, in qua & Ipse non elucescat præsens, Spiritus enim Domini replevit Orbem Terrarum: imò

hoc, quod continet omnia, Scientiam habet Vocis. Nonne pariter in Pomo prohibito multam Scientiam fuisse credimus? ejusque Esu Protoparentes nostros simul Scientiam esitasse & intus concepisse, ex Fide constat? Et an non Scientia omnis Phantasia sui Generis præsupponit? Sic enim aliquot simplicia quoque Amentiam, alia Insaniam, alia Furorem maniacum inducunt; non quidem per Cerebri humani destructionem, aut Spirituum ejus dissipationem, (:in tali enim Casu non constarent Vires & Robur furiosi, & validissimæ Vires;) sed per introductam illorum Simplicium alienigenam & furiosam Phantasia, quæ Victrix Phantasia humanam subigit, & eandem, pro Tempore, ut in Delirio & Phrenitide; aliquando etiam perpetuo sibi servam efficit, prout in Lunaticis & Vefanis est videre. Nonne pari modo Canum rabies in Hominem transit? Phantasia enim Furoris maniaci in Salivam transplantata, mox triumphat de Sangvine illius Animalis, quod aperta Cute, ut tenuiter attigerit. Tunc enim Phantasia prisca, loco mota, cedit, & peregrinæ Tincturæ Phantasia Hydrophobicam velit, nolit, assumit. Unde tandem Mors binfica, i. e. ex sola Ægritudine mentali, exaltatâ nempe & excitatâ Virtute Magicâ Canis, super Phantasia Animalis demorsi non excitatam, sed somnolentam.

Eodem planè modo, Phantasia Tarantulæ Ictu exili imprimitur, & ex ea Mente alienati mox tripudiant, saltantque immensum. In eo tamen differt Tarantulæ Venenum à Canis rabidi Veneno, quod hoc agat Potestate magica Canis excitata, adeoque per Magicam veri Nominis; illud verò per Facultatem Magicam somnolentam, prout etiam in Napello & cæteris Deleteriiis exili quantitate Hominem necantibus, patet Differentia: quia contra Canem rabidum nullum Animal se tuetur aut defendit, quia est Potestas magica ligans, contra quam non valent Dentes,

tes, aut Cornua: quod de Tarantulæ Veneno dici non potest. In Homine ergo externo, ut supra, imo & in Sociis Animalibus Vis magica velut consopita est, nec in solo Homine potest excitari (: licet quidem multo facilius:) sed etiam in consortibus quibusdam Animalibus. Imo nec satis est, Spiritus ad invicem cum Spiritu hanc servare Concordiæ & Monomachiæ Legem, sed etiam in toto Universo latet Spiritus quidam, qui Sympathiæ & Dispathiæ Leno, Confabulator & Actionum Promotor existit; & ratione cujus Magnetismus, tanquam per Vehiculum ad distans Objectum extenditur. Id probamus ad Oculum.

Si super Testudinis Chordam, lenem Paleam, ancipiti extremitate in Aëre, instar Stateræ pendentem, posueris, & alterius Testudinis similem Chordam, aut Fidem pulsaveris eminus, ubi Toni in octavo sonant & concordant; tunc alterius alias quietæ Testudinis Fides, moræ impatiens, subsilit, præ Lætitia gestit, & invisam Paleam subsultu suo excutit (: An forsitan Dæmon hic erit Fidicen? nequaquam:) hanc tamen Paleam non contingit subsilire, licet omnes alias Fides alterius Testudinis unanimiter, fortiter & cominus pulsentur. Nec etiam nudus Tonus alteram quietam Chordam subsilire cogit. Nam id tunc quilibet Tonus efficeret; sed solus ille Spiritus leno in medio habitans, & Actionum naturalium fidus Executor & Adjutor, Sympathiam Chordæ ad similem Chordam defert, promovet, & concausat illum Effectum. Si ita est, prout negari non potest, cur ergo Nomen Magiæ adeò perhorrescimus? Siquidem tota Natura Maga est, nec ullam habet Potentiam, quæ non proferatur à Formæ suæ Phantasia, & quidem magicè. Sed quia hæc Phantasia, in Corporibus Electione carentibus determinatæ est Identitatis; ideo ignoranter & rusticè nimium, non Phantasiæ illius Rei; sed Proprietati naturali, hætenus idstetit adscriptum; & Loco Causæ, Effectum attulerunt ex

Ignorantia Cauſarum verarum, cum tamen alias omne Agens agat in Objectum proprium, præſentiendo nempe illud, quo ſuam Activitatem, non temere, ſed in Objectum tantum ſpargat: poſt Senſum ſcilicet Objecti; commota Phantafia, diſpergendo idealem Entitatem, & copulando eam Radio Entitatis paſſivæ. Hæc nempe fuit magica Actio Rerum naturalium: Proprii tamen Nominis Magica & Phantafia, eſt in Creaturis Electionis Potestate ditatis. Ut hæc omnia melius intelligamus, oportet ea declarare per aliquas Demonſtrationes adhuc. Videamus nunc primo per Claſſes, Virtutes magicas & Phantafias Formarum & Rerum omnium naturalium, earumque ſtupendas Operationes.

### Membrum I.

#### *De Formarum diverſarum Phantafia, & Virtute Magica naturali.*

Proprietates itaque formales, manantes à Formis trium Principiorum naturalium, i. e. Salis, Sulphuris & Mercurii: ſeu Salis, Pingvedinis & Liqvoris, unde Corpus quodlibet conflatur, & in eadem iterum reſolvitur. Proprietates, inquam, tales formales emanant à Phantafiis harum Formarum. Quæ, quia ſunt valde corporales, & in Sinu Elementorum adhuc hærent: ideo vocantur communiter Proprietates formales & occultæ, propter Formarum Ignorantiam, quæ alioquin revera ſunt Effectus magici, à Phantafia dictarum Formarum propagati; ſed ignobiliores, & maxime corporales; Finibus tamen, quos reſpiciunt, ſatisfacientes abunde. Hujus generis ſunt Virtus Alvi ſubductiva, ſonnifera &c.

Alterum Genus ſeu Gradus ſunt aliæ nobiliores Proprietates, ex Phantafia Formarum mixti oriundæ: tales ſunt in toto, ratione Formæ, ut Magnetismus Magnetis, Virtus Tincturarum, item Specifica & appropriata omnia, quæ ratione vel  
totius

totius Homogenei, vel Formæ alicujus Partis integralis, non autem solius alicujus Principii accidunt: qvalia sunt, quæ in Carne, Radice, Foliis, Fructu sita sunt, & non in ullo trium Principiorum inde separatorum. Item Antimonium, quamdiu in sua Forma manet, summas Vires obtinet: quas tamen in suis Principiis nunquam assequitur. Et hæc etiam sunt de Gremio corporali, ideoque Magica spiritualis in hisce adhuc occulta est, & hæcenus putata deberi tota Naturæ, quam contra Magiam ineptè distinxerunt. De hoc puncto vide apud Helmont. loc. cit. n. 154. Exemplum. Tertius Gradus & Classis est Virtus Magica, quæ profluit ex Phantasia Vitæ, totius integralis. Et hinc est in Brutis & Homine externo: quæ magis absoluta est spiritualis, nondum tamen ad summum deducta Apicem, subindeque tamen multa Excitatione, forti Phantasia, per Entitatem introducta, ad magnum Culmen ascendit, & Hominis interni Magiam veram æmulator quam proximè. Cæterum cujuscunque Bruti Anima Vim habet creandi Entitatem realem, & per Voluntatem, (:i. e. Carnalem sensitivam:) dimittendi eam longius. Tale Brutum est Magicum, ut Basiliscus, Canis rabidus, Pisces multi apud Olaum &c. Talis quoque Virtus est in Sangvine multorum Animalium. Hinc nempe dicit S. Scriptura, Animam esse in Sangvine extra venato, etiam num per Ignem cocto, fortassis & per fotum plane putrido. Ignoscat Lector de Voluntate Brutis attributa: sic enim ex defectu alterius Verbi nominamus hanc Facultatem, qua Bruta exequuntur suas Intentiones, seu Apprehensiones. Quartus tandem Gradus est, Virtus magica à Corpore quasi abstracta, quæ fit Excitamento interioris Potestatis Animæ: unde fiunt potentissimæ Procreationes, Impressiones augustissimæ, & Effectus validissimi. Utrobique scilicet Natura maga est, ac per Phantasiam suam agit. Et quia quo spiritualior, eo potentior est; ideo quoque Magica est Etymon analogon, Omnis ergo ex enarratis Virtus magica,

gica, Excitatione eget, v. g. infima per Teporem prævium excitatur. Nempe Vapor quidam, seu aura spiritualis, ratione cujus, dense dormiens Phantasia ex perge fit, & incipit Velitatio corporeorum Spirituum media, quæ est Magnetismi, per Attactum prævium excitatur. Summa autem Magica, quæ est Brutorum & Hominum, Conceptu intellectuali excitatur: Hominis quidem interni, non nisi per Spiritum Sanctum, & per ejus Donum, Cabalam, excitatur: externi verò, per fortem Imaginationem assiduam & intensam Speculationem, imo & in Saggis per Dæmonem excitatur. Sangvinis autem extra venati, in quo Anima habitat, excitatur Magica, quæ in Potentia adhuc est ad Actum; vel per ascendentem Imaginationem fortiolem v. g. Magi, Sangvine tanquam medio utentis, & in illud medium Entitatem suam accensam stabulantis; vel puta Ungventi vulnerarii Phantasiâ ascendente, Proprietatis in Sangvine latentis excitatrice; vel per præviam destinationem Sangvinis ad Corruptionem, per quam scilicet Elementa ad Separationem disponuntur, & Essentiæ (quæ putrere nesciunt:) essentiellesque Phantasiæ, quæ in Potentia Proprietatum latitabant, in Actum deveniunt.

Cujuslibet ergo Subjecti Phantasia obtinuit validum Appetitum, ad alterius Rei Spiritum, ad aliquid nimirum loco movendum, attrahendum, expellendum vel respuendum, repulsandum: Ibidem, & non alibi, nos Magnetismum, velut naturale ejus Rei Donum magicum à DEO illi instabulatum, agnoscimus. Est ergo hæc Veritas, formalis quædam Proprietas, à Sympatheticis & abstrusis Qualitatibus segregata. Nam istarum motrix Phantasia, non ad Motum localem; sed tantum ad Motum alterativum directe fluit. Unde omnis Magnetismus est Sympatheticus, vel Antipatheticus: non tamen vicissim omnis Sympathia vel Antipathia est Magnetica. Ex hucusque deductis vidimus, non tantum Sangvini inesse Phantasiam & Appeti-

Appetitum magicum, sed & Humoribus, Cibis, & Excrementis: cum id ipsum varia Morborum Proles patefaciat. Prægnantes enim peregrina appetunt, & Virgines, naturali Uteri exorbitantis Oestro pallidæ sunt, ac celeriter, quod appetunt, digerunt: non quidem ex ratione, nec consanguinitate Naturæ humanæ, id poscentis; sed exotica Humorum Phantasia, sic stultè imperante, seductæ: quibus Sordibus expulsis, subitam læsorum Appetituum Sanitatem sæpe restitui videmus: vel etiam saturatâ eorundem Humorum amente Phantasia, compesci cernimus.

Igitur in Sangvine est sua Phantasia, quæ quia potentius ibi viget, quam in cæteris Rebus; ideo Sacra Scriptura Sangvinem, etiam coctum, & edi promptum, animatum vocat. Et quia eadem Phantasia tradux inest, inde contingit, quod in Post humo sæpe Mores, Gestus & Conditiones Avi emicent. Hinc etiam Nobilitas ex bene merita Virtute Ortum sumpsit: alias Nobilitas immerito continua Stirpis Propagatione augeri putaretur, nisi Avorum Mores in seris Nepotibus speraremus probabiliter elucescere. Ex quibus est manifestum, quod non tantum Phantasia Animalis in Cruorem imprimatur, post Obitum etiam pertinax; sed etiam, quicumque ex stragulis, v. g. ex pelle Gulonis (:est Animal in Moscovia frequens & voracissimum:) contegitur, somniare cogitur continuo de Epulis, Voracitate & insidiosa Animalium Venatione: pro Indole scilicet viventis illius Animalis; adeoque ex solo externo Tegmine, traducitur Phantasia Animalis quondam vivi, Pellibus ejus hospitata, in Hominem subter eas Pelles dormientem.

Unde ad Propositum nostrum, de Sanatione per Unguentum vulnerarium magneticum declaranda &c. Similiter illa fit à Ministerio Phantasiæ Sangvinis vulnerati. Ex hoc enim Capite, Sangvis ille extravenatus in Bacillum assumptus, Unguento magnetico introducitur. Tunc enim Phantasia Sangvinis, alias adhuc somnolenta, lentaque ad Actum, Virtute Ungventi magne-

Magnetici excitata, ibidemque reperiens balsamicam & medicam Ungventi Virtutem, optat sibi inductam Qualitatem, impertiri suo toti, & exinde elicere spiritali Magnetismo omnem peregrinam Tincturam: quod cum per se, aptè non satis possit efficere, Opem Usneæ, Sangvinis, Adipis & Mumia implorat, quæ simul in Balsamum coalita talem, qui non nisi in sua Phantasia etiam medicus, magneticus, simulque omnis Qualitatis alienæ è Corpore est tractivus, cujus nimirum recens Sangvis, Spiritu abundans, apportatus est; sive Hominis fuerit, sive alterius Animalis. Est igitur Phantasia illa Radix & extatica ex parte Sangvinis recenter & novissimè apportati; Tractus verò Magneticus in Sangvine inceptus, medica Ungventi Virtute perficitur. Non trahit autem Ungventum Vulneris Infirmitatem ad se, ut fiat Pyxis Pandoræ; sed Sangvinem noviter allatum in Spiritu alterat, medicum reddit, ejusque Potestatem magicam excitat: inde illi Virtus quædam medica & magnetica, quæ redit ad suum totum, curatura germanum Spiritus Sangvinem, per totum Hominem: exsugit scilicet tristem Impressionem ex Vulnerato, eamque medica Potestate, perituram expellit, foras exigit. Quæ Virtus medica, domatrix mali, est partim in Sangvine excita, partim etiam eidem ingenerata, per Ungventum; Spiritu nempe hujus in Spiritum Sangvinis sic imperante, ex sua Phantasia, i. e. ex Dono creato naturali. Alioquin Sangvis, integris putrescens Viribus, sub testa Ovi, & jam quasi compedibus per præviam Putredinem liberatus Spiritus, trahit mediante Mumia Canis, & realiter transfert Morbum, qui sedet in Phantasia & Oestro Sordium, in ipsum Canem, non aliam scilicet ob causam, quam quia sine Balsamo Ungventi interveniente, Magnetismus perficitur.

Ubi etiam notandum venit, si Vulneratum contingat plura simul recepisse Vulnera, sufficere Sangvinem ex unico saltem Vulnere haberi, & sic curari unica Opera quoque cætera: quia  
Sangvis

Sanguis ille concordem cum Spiritu totius servat Harmoniam, & ab eo inducit Qualitatem infestam, non tantum à Labiis Vulneris; sed etiam toti Homini communicatam. Ex uno nempe Vulnere febricitare solet totus Homo, cur non similiter & poterit sanari?

## Membrum II.

*Quomodo Homo, etiam solo Nutu & Phantasia operari possit, extra se in distans?*

Habemus ergo ex dictis Mysterium magnum hætenus ignoratum. Ostendimus nempe ad Oculum & Manum, in Homine sitam esse Energiam, quæ solo nutu & Phantasia agere possit extra se, imprimere Virtutem, Influentiam aliquam, perseverantem & agentem in Objectum longissimè etiam distans, absens &c. Quo solo Mysterio facilè elucescunt omnia, quæ hætenus à nobis sunt dicta, de ideali Identitate in Fomite spiritali asportata, & peregrè ad Munia sua abeunte, de Magnetismo Rerum ferè omnium genito, tam ex Phantasia humana, quam cujusque Rei propria: nec non de Hominum Magica Superioritate, super reliqua omnia Corpora sublunaria. Clarum enim est, constatque Experientia sine ulla Controversia, ex Chalybe fieri Acum, quæ Magnetis attactu Polum Antarcticum ostendit navigantibus; Chalybem verò irritò conatu in Acum nauticam cudi, nisi debitus Magnetis affrictus præcesserit. Quæ cum sint extra Controversiam, ostendemus nunc solo nutu Fabri, Acum nauticam fabricari posse.

Incudi ergo, quæ cuditur Acus ex Chalybe, sit inscriptus, seu notatus Septentrio, idque in Linea recta: deinde stet Faber dorso versus Septentrionem respiciente, ita, ut cum Chalybs sub Malleo ducitur ad faciendam Acum, eam versus se & Boream trahat. Et hæc faciat Faber ex professo, cum advertente Intellectu & Voluntate. Acus sic facta sinè ullo alio Auxilio Ma-

Uu

gnetis,

gnetis, Polum notabit; & quidem sine Variatione solita. Acus autem, quæ fit sic casualiter supra Lineam dictam, & inscio ac involuntario Fabro, inanis est, nec Polum notat, ut altera. Ergo Imaginatio Hominis fabricantis, illo Momento quasi Nativitatis Acus, cum jam maximus fervor Ignis in Chalybe desit, & subobscura tantum adhuc Rubedo adest, imprimit ejusmodi Facultatem Magneticam, & quidem in Chalybem, seu Subjectum appropriatum. Id autem fieri non potest à Cœlo, quia tunc etiam Cœlum influeret, quando Faber nihil intendit, & inscius est, quod tamen falsum esse constat. Si verò Cœlum influeret ad certam tantum Horam & Positionem, jam triumpharet Characteristica, & Sigillaria Siderum Ars, ab Ecclesia prohibita.

Ergo nulla Ratione Cœlum magnum id operatur; sed Constellatio illa, quæ influit tunc in Chalybem (:& omne fortassis Sigillum:) fluit tantum ex Cœlo microcosmico, i. e. ex humano nostro Olympo. Et ideò irrita sunt illa Sigilla, quæ non cudentur à Fabro Mago in sua Phantasia exaltato. Interiores nempe Entitates & Phantasiæ Rerum aliarum cedere & submittere se debent Phantasiæ nostræ humanæ; per quam Sapiens dominabitur Astris: Cujus imperio subjecit Creator, quid quid est Cœlo conclusum. Hæc Experientia jam enarrata, de tali Acu, confirmatur plurium Testimonio, & pluries. Vide Helmont. loco cit. n. 170. qui asserit se ipsum id fuisse expertum. Sic Asarum & Sambuci extremitates, auscultant Phantasiæ imperanti Decerptoris, ut supra vidimus Exemplo XI. Sic etiam clavus Cordi eqvino infixus, ex mandato & nutu Infigentis, detinet ibi Spiritum Sagæ, & necit cum Spiritu mumiali Eqvi, quo simul torreatur Spiritus Sagæ, ut Tormine illo, quasi eqvuleo, Saga pro datur, tandemque per Judicem, DEO infesta, Hominibus perniciofa, de cætu Hominum tollatur, juxta mandatum DEI. Nam si Opus ad aliquod Objectum externum terminatur, id Anima maga per se non aggreditur, sed utitur ideo Clavo jam dicto.

cto. Vide superiora, & Helmont. loco cit. Hoc de Sagæ Tormento Exemplum apud omnes est in confesso, & occurrit frequentissimè.

Probato nunc eo, quod Homo habeat Vim per Nutum agendi, & movendi aliquod Objectum distitum: satis simul confirmatum est, his & aliis pluribus naturalibus Exemplis istam Energiam etiam Homini à DEO datam, ipsiq; naturaliter competere. Unde absurdè putatur, quod Dæmon hæc & similia Exempla moveat, alteret, aut in iis applicuerit activa passivis, prout communiter Vulgares loqvuntur, motu locali, per solum Nutum. Nam omnibus constat, in dictis Motibus, eum non fuisse primum movens: quia caret Extremitatibus, quibus tangat, arripiat, aut transferat, vel (:quod fingunt:) aëreum Corpus assumptum saltem, ullatenus moveat: quia etiam caret Anima. Absurdum, inquam, est putare, quod Dæmon post Lapsum retinuerit, sicut revera retinuit, Dignitatem suam Magicam, quâ solo Nutu agit quælibet, quia erat Donum ejus naturale: interim vel Homini eadem Dignitas Magica naturalis deberet post Lapsum ablata fuisse, negata; Dæmoni vero Creaturarum despectissimo remanserit integra condonata. Si qui vero sunt Effectus tales miri ab Hominibus prodeuntes, eidem Dæmoni & pacto cum eo Supplicio saltem attribui oporteat. Hæc, inquam, sunt nimis absurda, & Fide Christiana Hominisqve eminenti Excellentia indignissima.

Diximus etiam, omnem fortassis Vim magicam in Homine dormire, & Excitatione Opus habere: quod hic declaramus semper verum esse, si Objectum, in quod agendum est, non sit proximè dispositum, si ejus interna Phantasia propria non prorsus annuat Agentis Impressioni, vel etiam, si Robore Patiens sit par, vel superior Agente. At contra, ubi Objectum est plenè & proximè dispositum, ut Chalybs ad recipiendum Magnetismum: vel plane debile, & sibi malè conscium, prout contin-

git in Sagis, Homicidis, Adulteris, Furibus, tunc Patiens sine multa Excitatione, sola Phantasia Hominis exterioris in Opus deducta, & in medium aliquod v. g. Clavum, Particulam pelliceæ Vestis alligata, succumbit omnino Magnetismo. Medio enim semper utitur Magus naturali. Sic namque prægnans, v. g. nisi Manum extenderit ad suum aliquod Membrum, Fœtus non signabitur, v. g. Ceraso, Mure, vel alio Signo Phantastico. Simile quasi habemus proportionaliter in Verbis & Formis Sacramentorum ex Opere operato operantium, & in Verbis Exorcismi ex Opere operantis: ubi Verba & Formæ Sacramentorum semper infallibiliter operantur, quia id fit ex Vi Verborum Christi, seu ex Opere operato; sed quia Exorcismi non semper operantur, defectus non est in DEO; sed in eo videtur in hære, quod Mens inexcitata Exorcistæ Verba reddat torpida: quia Opus Hominis operantis etiam ad id requiritur. Unde Nemo videtur esse felix Exorcista, nisi qui Virtutem suam magicam Mentis excitare noverit per sancta Exercitia. Hic ergo habemus Philosophiam novam Christianam totam; non vero Ethnicorum deliria, aut otiosa Somnia.

Quæ tamen omnia, licet clarè videantur habere Experientiam & rectam Rationem testem; nihilominus eadem cuncta humillimè submittimus Judicio Sanctæ Ecclesiæ Romano-Catholicæ.

Et concludimus hanc Materiam de Hominis Virtute magica naturali hoc Argumento: Quicumque Effectum naturalem à DEO sic creatum, sic Creaturis suis donatum, attribuit Dæmoni; is suffuratur & alienat Honorem DEO, Creatori & Rectori nostro unico, debitam, & in Dæmonem hunc Honorem vertit, ignominiosè, impiè, Atheè.

De his vide Caramuelem in Theol: Moral: Lovaniensi, Loco supra citato. Ubi in Fine addit. Pro Sagarum & Necromanticorum Causis, legendus est inter alias Juniorum Libros, parvus

parvus ille, qui inscribitur. Cautio criminalis. Somniant Domini mei, cum vigilant Anus decrepitæ; cum sapere videntur, delirant, & Necromantici, cum Scioli censentur in sua præterita Superstitione, sunt vani, Impostores, Mendaces. Aliqua vera fuerunt, aliqua vera reperiuntur, pauca tamen; adeoque Judices timide debent pronunciare Sententiam. Errabunt enim frequentissimè, si Sagarum Declarationi & Confessionì semper credant. Sic Caramuel. De his etiam videatur Delrio, & Caspari Schotti, Jesuitæ, novissima Magia naturalis, nunc 12. Florenis Rhenanis Pragæ venalis. Nobis hæc sufficiant pro Assertionem, quod Anima humana fulgeat Virtute excellentissima, extatica, Magica naturali, Magnetica &c.

### SECTIO IX.

#### *De Animæ Sensatione.*

**N**Ë hæc Sectio propter Materiæ Abundantiam nimium excreseat, pro majori Claritate, eam distingvemus in aliquot Paragraphos.

#### §. I.

*Quid doceant Veteres de Sensatione, Dolore, Motu?  
id est, in quo consistant? quomodo fiant?*

Variè loquuntur Authores, etiam moderni, de Subjecto Sensuum. Scholæ communiter docent: Cerebrum esse Sensuum omnium Motuumque, consequenter Doloris, Insensibilitatis, & similium Affectuum omnium sensibilibus Organum primarium & principale. Alii vero, cum agnoscant Cerebri Substantiam orbam esse Sensu Tactus, nec moveri arbitraliter; Membranam vero duplicem, quæ vocatur Meninx, esse Sensus acutissimi, licet immotam: decreverunt omnem Nervum, utcumque exilem, duplici tali Membrana obtegi, eamque ab utraque Meningum Cerebri mutuari. Hi ergo Sensum desumunt omnis

Nervi, ab obtegente ista Membranula; non autem à sui Substantia, medullari Cerebri correspondente. Sed quam malè hæc omnia, præcipuè de Nervis tradita, subsistant, vide apud Helmont. Tract. de Lithiasi capi 9. à num. 10. & sequent. Et patet præcipuè Falsitas hæc in Lepræ Insensilitate, Supiditate. Nam Leprosi stilum & Acum in Carnem adactam nihil prorsus sentiunt. An igitur Leprosi carent Nervis? An illis Nervi à carnosa Membrana sunt detruncati? An Spiritu Animali & Vita sunt privati? An obstructi? Vide ibi plurima in contrarium. Hippocrates vero voluit Sensationem, tam effectivè, quam susceptivè consistere in Spiritu animali. Hic paulò propius ad Veritatem pertingit, sed Punctum tamen ejus nondum videtur tangere. Eam ergo Opinionem hic penitus examinemus.

## §. 2.

*Examinatur Hippocratis Sententia de Subjecto  
Sensationis.*

Mentem nostram in hac Quæstione paucis exponemus. Cum omnis talis Spiritus sit mortuus, & Cadaver, nisi à Vita ipsa illustretur: & cum Vita ipsa, illo in Spiritu latens, non sit Spiritui illi propria, & inseparabilis ab eo, sed toto Subjecto distingvatur Vita à Spiritu vitali Animalis; (:nam utramque pro unico eodemque Spiritu habemus:) ideo in primis patet, quod Spiritus ille, sive animalis, sive vitalis dicatur, non sentiat immediatè; sed potius ipsamet Vita propinquius & immediatius sentire & dolere videtur illo Spiritu. Demonstravimus autem supra de Formis Rerum, quod Vita, sive Forma Rerum sit quædam Lux, specialis Creatura, lucens in suo Hospitio, per omnium Partium compositi sui Satellites; non sit tamen Substantia, nec Accidens, sed Ens neutrum. Hoc præsupposito, & supra probato, de Sensatione & Sensu loquemur multo propinquius, quam Hippocrates, ut, si Sensatio olim dicebatur fieri cum Passione Cor-  
po-

poris, in qua Spiritus impetum faciens, recipit Impressionem Rei sensibilis; quæ ideo etiam abusivè dicitur ipsamet Species sensibilis; ut, inquam, si ita olim ab Hippocrate dicebatur, nos modo intelligamus hanc Impressionem unico Momento, eodemque Puncto insinuari Vitæ sibi inexistenti. Sub qua nempe Insinuatione, Applicatione, & Adaptatione, tum primum oritur Sensatio, facta in ipsa Vita & per Vitam. Cujus scilicet Vitæ Proprietas inseparabilis sit ipse Sensus. Cumque Vita non sit Corporis, nec Corpori propria, nec Soboles Proprietatum corporalium; sed ex dono Creatoris sit Lux adveniens, supra Sortem Elementorum & Cælorum: hinc quoque Sensatio non est Corporum, nec Materiæ, nec Solutionis continui; (ut in Vulneribus:) sed Proprietas planè vitalis, de ipso Formæ trunco. Sicut etiam non est satis ad videndum dari Oculum, Medium & Spiritum animale, ut fiat Visio; sed insuper requiritur Applicatio Spiritus visualis ad Vitam. Ideoque Effectus videndi, ut ut prorsus ordinarius est, superat tamen totam Naturam elementalem: quia Vitæ ipsius continet Iconem & Symbolum: eo, quod Visio, Gustatio, Odoratio, Tactio, Auditio, sint Effectus immediati Vitæ, ludentis per sua Organa. Nam in omni Sensu necesse est, Spirituum Lenocinia, & perceptas Rerum Species adaptari immediatè ad Vitam, si unquam Sensationes contingere debeant. Tantæ itaque Molis est Sensatio ipsa, ut omnium Sublunarium ambitum, cum tota Cælorum & Elementorum Potestate, facilè excedat. Unde propriè loquendo de Sensu & Sensatione, ipsa Anima sensitiva est primarium & immediatum Ens, quod omnes Sensationes agit, & agendo in se tolerat. Ideoque Spiritus Cerebri est tantum Organum mediatum; Vita vero est Organum, seu medium, quo Anima Sensitiva persentit externa irruentia. Sensatio enim non est immediate in contento, nec in continentibus, nec etiam in Spiritu, per Nervos in Partes vitales diffuso: quia ille Spiritus, impetum faciens, differt ab Anima

ma sensitiva non aliter, ac Fumus materialis pingvis à Flamma, per quam accenditur Fumus ille. Anima verò immortalis, seu Mens humana, tota est impervia humanis Conceptibus: quatenus est simulacrum ipsius DEI incomprehensibilis. Anima vero sensitiva, licet Semine occasionali incipiat in Natura, i. e. dispositivè à Semine; tamen cum sit illius Divinæ Imaginis Imago proxima, tota quoque humanitas est incognita, & ideò non potest per Causas describi; sed tantum obscuro Reflexionum Circulo, ad suas Actiones & Proprietates describi potest; (:id quod faciemus Sect. seqv. ex professo:) Ut scilicet Anima sensitiva sit Lux formalis, cui primario Vitæ sensitivæ Proprietates conveniunt. In Homine autem eadem sensitiva Anima est Substerniculum & Hospitium Animæ immortalis, & immediatum Syndesmon, cum Creatis corporeis præter se. Isti ergo Animæ adhuc remotior est Aspectus, relativus ad Vitam: cum Vita & Anima sint distincta, tanquam Abstractum & Concretum: vel potius tanquam Entis Proprietas, & Ens ipsum. Unde hæc Anima per Vitam sentit in Animalibus, videt immediatè in Spiritu Optico, qui in Pupilla habitat, conceptas Species. Spiritus enim Opticus ibidem est Speculum diaphanum, cujus Lux est ipsametibi præsens Anima sensitiva, Sedes & pedisequa Mentis nostræ immortalis.

Igitur non est hic opus recursum susceptarum Specierum visibilium sensibilium aliarum, per Nervos successivè ad Cerebrum; sed Anima immediatè ubique præsens, Vim omnem Spiritui Optico de se elargiens, ipsa videt, cernit, & discernit. Cerebrum verò est tantum Officina & Conduis istorum Spirituum. Hinc Nervi non deserviunt deferendis Speciebus, in Sensatione haustis, ad Cerebrum, tanquam Vehicula; sed tantum irrorandis Spiritibus in Cerebro illustratis, ad refocillandas Partes & confirmandas, quibus ipsi inferuntur.

Ex his ergo concidit Opinio illa Nervorum Patrona per  
Sensatio-

Sensatione & Subjecto Sensuum : similiter altera pro Spiritibus animalibus. Nec est par Ratio Sensuum externorum, ulla cum Potentia Phantastica & suis Sororibus agnatis internis. Nam Species sensibiles exterius perceptæ ab Anima, abstrahuntur à Sensibilitate, & tum demum tanquam de Materia ex qua, cudentur inde Species in Imaginem Rei sensibilis. Alias sensitiva externè intrantia, concipiuntur concreto modo, in Organis Sensuum, ac proinde non tantum sæpè displicent, sed jam etiam dolent. Putamus deinde Animam sensitivam (:quæ est Homo carnalis, vetus, Adamicus, & Lex carnalis:) non distingvi à Luce formali & vitali, nec sedere immediatè in Spiritu influente, qui totus nimirum labilis est, & fluxus. Spiritus autem, qui in Organis mox à prima Constitutione in olevit, licet vivat, Vita ultima Seminum: nondum tamen verè vivit Vita media animali, (:quæ est sensitiva:) donec Lumen vitale superveniens, actualiter in Foetu luxerit.

Cujus Dispositiones gradatim præmittuntur: sed tamen unico instanti à Divina Bonitate Creatoris illuminantur. Quod non aliter contingit, quam in confictu Silicis ad Chalybem, quando Ignis in momento resultat. Lux ergo indicibilis illa, accenditur à Creatore, in Spiritu Viscerum nobiliorum: & primò quidem in Corde (aut Stomacho:). Quæ Lux, ut sensim Vires acquirit, potentius dilatatur; non aliter ac Candelæ inferioris Fumus, Flammam visibiliter suscipit de Candela superiore demissam. Adeoq; licet Organa Officiorum diversitatibus sint diremta, inserviunt tamen Conspiratione mutuâ Necessitatibus & finibus à Creatore Domino præfixis. Est tamen nihilominus omnium Viscerum & Membrorum, unica tantum Chelys, continuata homogeneaque Vita, ac Anima sensitiva; quæ in singulis quasdam determinationes, seu Proprietates, quas per Semina sibi præparaverat, suscipit, & mox postea induit. Ut enim Flamma Candelæ non extenditur extra, vel supra suam Sphæram; nec per-

rit, quamdiu degit intra istam Sphæram, licet inde exortæ Fuligines evolent extra Sphæram, Flammæ expertes: Ita similiter Spiritus influi, licet participatione Vitæ illustrati diffentur, peregre vadant, & ideo materialiter in condominuantur; Imò & sic Luminis vitalis Vivacitas flaccescat; nihil tamen de Animæ sensitivæ Essentia perit. Quia Vita non acquiritur per Partes & Gradus, neque subsistit instar Accidentium; sed semper est Vita, licet in ista Luce, plus minusve Vivacitatis appareat. Non aliter enim, quam sicut Ignis, ubi aliquantillus est, non minus Ignis est, quam alter intensus, i. e. uterque est Ignis: sic etiam quidquid exhalat ex Corpore, Vitæ Participatione antea gaudens, Vitam tamen amittit, quam primum egreditur extra suos limites. Interim tamen reliqua Vita manet Vita, licet aliquantum debilior.

Tandem de Mente nostra, Regina, & Anima immortalis, ubi resideat, tenemus sic: Cum sciamus etiam Empsychosin fieri eo ipso instanti, quo Anima sensitiva adest; i. e. dum accenditur istud Lumen formale, animale, sensitivum: tunc credimus etiam adesse Mentem immortalem, eamque totam sedere immediate in Anima sensitiva, tanquam associata. Unde non credimus eam sedere in aliquo Corporis Angulo, v. g. Cerebro, Corde, aut Visceris alicujus Ergastulo, aut Spirituum Officina: sed existimamus, Mentem hanc esse per totam Animam sensitivam degentem, habitantem, hancque penetrare, neque ejus Sphæram excedere, quam diu vivitur: atque hactenus multis subiacere Circumstantiarum Importunitatibus. In Morte autem separatur Mens: quia ipsa Sensitiva, tanquam Lumen Candelæ, in nihilum abit. Sed de his fusius Sect. sequenti. Quæ omnia hucusque deducta prægustanda erant, ante Sensationis genuinæ, Doloris & aliarum Affectionum sensibilibium Explanationem. Quam nunc aggredimur.

## §. 3.

*Exponitur nostra Sententia, de Sensatione, Dolorē,  
Ira, & aliis Passionibus, quomodo fiant?*

In his Difficultatibus, nemo melius nobis Viam aperiet ad Punctum Veritatis, quam Dolor, utpote maximè sensibilis. Dolor enim est noxia, & tristis Sensatio, in Spiritu vitali concepta, per Vitam inserta Animæ sensitivæ. Et proximè loquendo: Sensus est Animæ sensitivæ Passio, in Spiritu Vitæ concepta. Nihil enim lætari, tristari, vel dolere potest, præter Animam ipsam. Adeoq; Sensus, cum sit Doloris vel Complacentiæ prima Conceptio, omninò fit in Anima primario. Ideoqve Sensus, præter illam Animæ Potestatem, concipiendi & judicandi passivè, de externis sibi irruentibus, nihil aliud nobis repræsentat, Quæ cum ex Anima pendeant, cujus tota Historia nobis cæca est: non fuit mirum hæctenus, non nisi oscitanter à Scholis actum esse de Anima & Sensatione vera. In Dolorē ergo Anima sensitiva ferè brutalis, tristatur, furit, irascitur, angitur, prurit vel timet primario. Et sicut est Radix fontalis omnium Actionum vitalium; sic & Musculos non tantum, sed etiam Partes quasvis, naturaliter movet, ac contrahit ad tonum suarum Passionum. Igitur Sensus est externorum sensibilium Actio: quæ dum concipiuntur in Anima, patitur ipsa quoque non minus quam sociæ Vita, Spiritus animalis, ac reliquum Satellitium. Mens autem immortalis Regia nihil quidquam horum, in sui Substantia, patitur; sed tantum in suo subjecto, sede, Hospitio, Anima scilicet sensitiva. Alias enim omnia Sublunaria sunt nimis invalida, ad afficiendum Ens illud immortale, deinceps Duratione æternum.

Sed parum adhuc est, quod Anima sensitiva patiatur à Sensibilibus; nisi ipsamet sibi sæpè hostilis fiat, dum impatiens exorbitat. Inchoat nempe agere, dum per sensibilia irritatur & patitur.

Tunc enim Spiritum vitalem, totūmqve Corpus concutit, ac demum vitalem Supellectilem prodiga dissipat, sibiqve Morbos parat, ac Necem accelerat. Adeoque à conceptis sensibilibus, semel stimulata (:prout est merus Actus & tota irrationalis, brutalis, irascibilis, concupiscens:) in Furias transilit, & symptomaticè, seu furiosè omnia concutit. Unde illud Adagium: Nemo magis læditur, quam à se ipso. Sensibilia ergo Lætionum ac Morborum sunt Occasiones: Anima verò sensitiva, easdem Occasiones præsentiens, nec ferre volens, suos variè concitat Ministros, impressisque Ideis à Scopo alienat. Hinc postea varia Morborum Semina ac Proles. Adeoque Anima tolerat, & patitur præfata ab Objecto sensibili; unde per Sensationum stimulos agitata, agit patiturqve demum, quatenus prodiga, furens suam dissipat Oeconomiam. Dumqve sentit svavia, plausibilia, juvantia, sibiqve grata, non est in hac sui Sensatione differens à Judicio suo, quo alias sentit noxia, corrosiva, pungentia, lacerantia, confundentia, quod est non nisi per Accidens, planè ipsi Vitæ externum.

Inde facilè dignoscitur, quod Sensus ac Sensatio fiat per Judicium Animæ sensitivæ, delatum super conceptum sensibile, alterantis primum per se, juxta conceptam Sensationem, deinde portat ulterius ad aliud Judicium Phantasiæ, à sensitivo Judicio semotum, non secus, ac Sensus & Phantasia dissident Facultatibus, non autem Subjecto.

Itaqve Passiones, Affectiones materiales omnes omnino, immediatè tribuimus Animæ sensitivæ, suisqve Satellitibus Spiritibus; non autem ipsorum Organis. Unde sunt quædam v. g. titillantia, quæ pruritu Risum & subsultum concitant in aliquibus, quæ in aliis nec minimum horum commovent. Non rarò enim Anima intus obtenebratur, naturali Sensatione, & contristatur, vix agnito Objecto: imo alibi delirat. Alibi fit Anima Sensitiva insensitiva, ut v. g. in caducis Morbis, pro ali-  
qve

quo tempore, in Paralyfi sæpe etiam ad Vitam totam, saltem in læsis Organis, etiam adhuc viventibus. In multis autem absque Sensu & Ratione, licet Spiritus animalis adhuc emanent, ac in habitum diffusi moveant, & interim etiam noxias Impressiones alioquin hauriant. Sic suus est Vitæ, & sensitivæ Animæ illius Torpor, Amentia ac Molestia intus, licet nihil extra quætiat aut aggravet. Imo & in Somno sua est stulta Libido, Fames, Sitis, Metus, Agonia, miraque Somniorum irrationabilium dissoluta Libertas. Quin etiam ipsa amica statim mutantur in mixta, neutra vel hostilia: quatenus Archeus, nunquam ferians aut otiosus, è suavibus amara, vel exedentia facit. Anima enim, ut diximus, concipit Res sensibiles, medio sui Satellitii & Clientum suorum, quibus ipsamet præsens assistit, & per Applicationem sibi Iram concitat, Tristitiam, Amorem, Metum &c. quarum nempe Idearum Characteres format sigillariter in suo Archeo, per quem singula commutat, juxta Imaginem sibi seminaliter propositam. Hi Characteres, Animæ sensitivæ Irroratione, Vitæ ac Sensus participes, vestiunt primo Corpus seminale, ex Archeo, unde tandem promptissimæ Vires ad agendum subnascuntur. Et in his fit aliquando adeo prompta & pertinax Affectionis Perseverantia, ut speculanti Specimen Admirationis exhibeat, præsertim, si Vitæ, aut spiritualis Seminis attributa quis examinet profundius. Quam citissimè enim videmus, Pueros, Mulieres, improvidos, irasci, flere, aut ridere? quia illorum Animæ sensitivæ recenter, ac immediatè velut Rebus sensibilibus quasi adhærent. Igitur naturale est, quod Spiritus sensitivus, sponte & facilè in tales Exundationes feratur. Nam Anima illa, facilè à suo sensuali Judicio decepta, labitur in Passiones spontaneas Spirituum materialium. Sicut vel à Pueris istæ Passiones inoleverunt: ita dein iracunda, furiosa, & tota Symptomata, Anima ista adolescit, quæ alias longè tutius, sub Mansuetudine cuncta perageret, quam quod præ Furiis, in Morbos & propriam subinde

subinde Necem aspiret. Quod frequentissimum est ac manifestum, in uterinis Exorbitationibus, aut Symptomatibus quorundam Vulnerum, aliorumque Morborum, prout docet Experientia quotidiana.

Ira igitur Furorque hoc loco non sunt Hominis; sed Animæ illius Sensitivæ, in Vitam delatæ, naturalis Sensationis Thymoses patrantis, quæque proinde non raro in tantum Culmen ascendit, ut Escharam urat, Partemque, instar Ignis, Sphacelo sideret. Dolor ergo est indubium Sensus Tactus Pathema, in quo Anima sensitiva exprimit Objecti displicentiam, juxta Injuriam conceptæ Differentias partibus illatæ.

Porro an istud Doloris Pathema sit judicialis Potestatis Functio, unde Anima, proprio Etymo, sensitiva nuncupatur: non secus ac Facultas motiva, solo Animæ nutu movet, absque Excitatore externo, aut peregrino: An vero Dolor sit Pathema productum immediatè à Causa dolente sensibili, Scholæ litigant. Nos absque Dubio sic sentimus. Siquidem cum Doloris Sensus sit Judicium Animæ, per Sensationem, in Facultate sensitiva expressum, quo Anima plangit de Objecto sensibili nocuo & dolente: idcirco utrobique concurrunt ambo simul connexa, & utrumque etiam, suo se habet modo ad Dolorem. Nimirum Causa sensibilis Injuria est motiva Doloris; ipsa verò Anima sensitiva Judicium fert de Objecto dolorifico, cum quadam Pathematis Excandescencia & Impatientia. Quod in Vulneratione, Contusione, Tensione, Ambustione, & Frigore, quatenus Causis externis manifestum est & obvium.

Dum autem jam, vel à præfata externorum Impressionem, vel propria intus Exorbitatione, motrices Causæ Dolorum applicatæ sunt, fitque inde Spiritus sensitivus totus acer, rodens, mordax, degener, formatque Cruorem sibi parem: tunc scilicet Anima sensitiva, non tantum simplex Judicium fert de Dolore, dolendo; sed insuper ipsa in se tota conturbata, de se novum parit

rit Productum dolori ficum, non aliter, ac si illud ex *Causa externa* occasionali prodiret. Et licet hæc in *Pathemate* majori, ac graviore *Sensatione* plerumque concurrant; propriè tamen loquendo, *Dolor* magis intimè respicit *Censuram*, ab *Anima sensitiva* patiente latam: sive, propinquius se reflectit *Dolor* ad *Proprietatem Animæ*, quam ad *Causam dolentem*. Multi enim graviter sæpe vulnerantur, citra manifestum *Dolorem*: prout & *Furiosus*, *Dolores* vix ostendit se sentire ex *Causis* noxiis externis. Quædam etiam *Torturæ Dolores* sæpe eludunt, & inuncta etiam *Dolores* fallunt, licet *Partes* interim ab *Injuria* vapulent. Adeoque *Sensus* magis intimè & propriè respicit *Censuram Potestatis Animæ sensitivæ*, quam *Injuriam Causæ doloriferæ*. Plura de his vide apud *Helmont. de Lithiasi*, *Cap. IX. toto*.

## §. 4.

*Corollaria ex Dictis de Sensatione & Motu.*

1. *Cerebrum* non sentit per se, vix in se. 2. *Spiritus animalis*, quamdiu intra *sinus Cerebri* formatur, aut vagatur, non sentit, neque *Cerebrum* inde fit *Sensus particeps*. 3. *Spiritus ille* non recipit *Sensum à Cerebro*, cum *Sensu* careat ipsum *Cerebrum*, & per consequens, nec suscipit *Spiritus iste* ultimam suæ *Perfectionis & Sensationis Manum* in *sinibus Cerebri*. 4. *Medulla spinalis*, interno sui *Nucleo*, est continuata *Cerebri Substantia*, vestitur *Membrana*, *Meningibus* contigua. 5. *Omnis Nervus* intus ideo est *medullaris*; extra vero tegitur suâ *Membranâ*. 6. *Creditur spinalis Medulla* per medium sui, quoad vivitur, pervia, qua *Spiritus motivus* dispensatur, & æquabiliter, per longum illius *Medullæ*, ac *Nervorum*, extenditur. Illud verò suum *vitale Lumen*, diradians, defert *Voluntatis Imperium* ac *Nutum* ad *Musculos*, tanquam illius *Motus executivum Organum*. 7. *Mandatum illud Animæ* est instantaneum

stantaneum: non quidem, quod ad singula Motuum momenta (:v.g. in Cytharædo Digitis citissimè ludente:) Spiritus illi decurrant, Mandati Animæ Characteribus insigniti. Nam licet Motus tales contingant, ministris Spiritibus, tamen nimis tarda essent horum Obsequia, si ita successivè per Partes deambulare deberent. Igitur solo Luminis Animæ Radio, in instanti, mandatum seu nutus Animæ defertur: perinde sicut Objecta Visus, in Momento, etiam eminus, longissimè percipiuntur. 8. Cum Cerebro nullus, vel saltem surdus sit Sensus; acutissimus verò sit in Meningibus: sequitur inde, quod Lumen Sensus non defluat per Substantiam medullarem, ac centram Nervi, ejusque Tubum; Sed Anima sensitiva diradiat Sensem, ac præcipuè à Meningibus, per Membranas, quæ sunt Nervorum tegmina, communicatur ille Sensus Partibus Nervo contiguis, & annexis Clientibus. 9. Ergo Substantia duplici, & duplici nutu sensitivè formatur Lumen, diradians ad satellites Sensus & Motus. Hinc fit, quod sæpe Sensus lædatur, Motu permanente, sospite, vel contra ob diversitatem participati Luminis, ab Anima per diversa Organa delati. Igitur sit DEUS in æternum Benedictus, qui tam nobiles Facultates locavit in Membris Cerebri, Stomachi & Uteri, Vitam, Animam, totumque Regimen Hominis in se continentibus. 10. In ipso ergo Archeo Duumviratus, si Idea sigillaris mali alicujus, v.g. Apoplexiæ Paralysis, Epilepsiæ, Comatis, Vertiginis, Deliquii, & similibus Morborum, Capiti alias adscribi solitorum, si, inquam, talis Veneni idea sigillaris, ibi in Duumviratus Archeo formata est, promptissima diradiatur Apoplexia &c. Nam tunc totus Archeus in Visceribus mox velut cadaverizatur. Idem sit proportionaliter cum Epilepsia, & aliis malis enumeratis. Vid. Loc. cit. plura.

## SECTIO X.

*De Vita, quæ Nexus & Comes est Animæ sensitivæ, an consistat in Calore naturali & Humido radicali?*

Sicut ex quacunq; Planta, Fructu, ex Granis, Floribus, Cerevisia, Vino, per indita Fermenta solet fieri Aqua Vitæ, quæ est Liquor quidam volatilis, oleosus quidem (: quatenus totus inflammatur:) totusqve pariter falsus, in quantum acer, mordicat, imo & paululum in Ore detentus comburit, & vesicat Gingivarum Epidermida: sic pariter in Viventibus, nimirum Homine, ex Cibis quotidie fabricatur similis Aqua Vitæ varia, scilicet crassior primo, ut Chylus, deinde Cruor, tandem, Spiritus vitalis, animalis, naturalis: qui Spiritus postea illuminatus radio Vitæ, potest vocari Vita. Unde Spiritus vitalis sic definiri potest, quod sit Sanguis per Vim Fermenti, & motus Cordis, resolutus in Auram falsam & illuminatam vitaliter. Hoc Lumen vitale in nobis est calidum; in Piscibus verò frigidum actualiter, sic ut nunquam, quamdiu vivit & subsistit Piscis, possit ad Caloris Potentiam aspirare. Sicut Luna, cujus Lumen etiam est frigidum, ut alibi vidimus supra. Igitur Calor non est primum & proprium Vitæ Fundamentum, nec consumptivus est Humidi radicalis, ut patet in Piscibus, qui omni Calore destituuntur, & tamen bene vivunt. Vide Helmont. de his fusius in Suppl. §.7. per totum. Unde falsum apparet illud universale Axioma, quod Vita consistat essentialiter in Calido, seu Calore naturali innato, quotidie depascente Humidum radicale, eoqve consumpto, Vitam extingvi. Nam Pisces, Calore privati, Mortem tamen non subeunt ideo. Nec Religiosi Discalceati milleni in Germania frigida, maxima Anni Parte, à Pedibus usque in Ventrem frigent ordinariè, & sæpe non sentiunt se Pedes habere, & tamen vivunt etiam in illis Membris, nec ideo facti sunt Pisces, Calore non egentes. Quod alias esset necessarium, si Calor es-

set Fundamentum primarium, non autem solum adjacens, & concomitans Vitæ. Ad minimum in his Religiosis & centenis Pauperibus, Militibus, saltem prævalet Frigidum Calido; adeoque Calor ibidem non potest depasci, & grassari in Humidum radicale.

Deinde si vera esset hæc universalis Sententia, Humidum istud radicale (:in quo tamen designando quid sit proprie? quale? nondum convenerunt ejus Assertores:) deberet esse oleosum, pingve, conflagrabile. Nam Assertores totam hanc Doctrinam fundant tantum in Lampade ardente, tanquam à Similidum scilicet vident Flammam Lampadis Oleo nutriri, ejusque Olei defectu, & Flammam ipsam deficere; continuari verò & foveri Oleo affuso. Igitur, si tale pariter Oleum est Humidum radicale, beatiore erunt Ventres pingves, item frigidiores, Discalceati, Pauperes, nudi; quia minus sui Humidi sic amitterent, & diutius suum Oleum in Lampade retinerent necessario. In tali etiam Casu, à pari deberet Ellychnium esse in Corde, ne alias ficta hæc & halitiosa Humidi Pingvedo, (:utpote quæ in Corde tota spiritualis esset:) Ignem concipiat instar Aquæ Vitæ, parvo momento, parvoque compendio, tota simul conflagret, omnia Vicina comburat, sicut Vinum adustum, sicque esse desineret. Ubi ergo? & quale est illud Ellychnium in Corde? Si non datur, cur non simul & semel totum illud Oleum Humidi radicalis accenditur, comburitur, sicut Vinum crematum? aut quomodo sine Ellychnio quadrabit Lampadis Doctrina exemplaris ad Vitam nostram?

Si igitur ita est, & tota Vita sit Ignis quidam depopulans Humidum radicale, pingve, oleosum; indeque vivamus; Væ macris Hominibus, illi soli macri erunt Vitæ brevioris; Pingves vero Ventres erunt longæviores: quod tamen Experientia falsum sæpè demonstrat, & quidem ut plurimum. De Macilentorum felicitate, & Pingvium è contra miserabilitate, Vide Jacobi

cobi Baldi, Jesuitæ, Poema, cui Agathyrus Titulus. Et unde quæso istud Humidum est in nobis? Haud dubiè ex Alimento materialiter, & à vitali Archeo efficienter? Certè sic nunquam extingvetur hæc Lampas, si Caloris conflagentis Potestas (: ut volunt:) sit talis, quæ conficiat illud Oleum è Pane & Potu, nihilque Residentiæ maneat in Lychnis à Pingvedine, quod Lychnium obstipare & suffocare possit. Vide plura apud Helmont. in Suppl. §. 6. per totum. E contrario vero constat, quod Humidam in Homine sit spermaticum, mucilaginosum, prout fatetur ipse Aristoteles; non autem est oleosum, conflabile. vid. loc. cit.

Sic etiam supra demonstratum est, non dari Elementum Ignis, nec Ignem intrare Rerum Mixtionem; Ignis ergo, si quis esset in nobis, primario consisteret in Spiritu vitali, cui tamen semper satis Humidi suppetit ex Cruore; adeoque Calor est potius Vitæ Effectus, quam ipsa Vita, aut Vitæ Causa. Alias certè in contraria Sententia, Infantes & Pueri deberent esse omnium calidissimi, & Calor in ipsis paulatim deberet deficere usque ad Senium aut Mortem; quod tamen manifestè falsum esse patet: quia Vir triginta Annorum, multo calidior est quovis Puer. Et tamen interim Humidum & Oleum radicale, per illos 30. Annos, graviter deberet esse immutatum, & deterioratum, per Alimentorum Suppletiones alienas. Sicut in ipsorum Exemplo ordinario, si per Annos 30. in dolium Vini optimi, quotidie, ablato Vino meliori, subinfunderem æquivalentem Aquam, tandem esset mera Aqua, & vix aliquid Vini amplius.

Sic etiam constat Experientia, multos mori Juvenes, & alios, nondum assumpto Humido radicali, nec ex penuria Caloris. Ergo Vita non potest consistere in Calido Humido radicali depascente; sed potius debet Vita consistere in Lumine, quodam vitali, quæcunque demum illud sit Lumen, calidum aut frigidum. Non enim omnia Lumina sunt calida, ut patet in Lu-

mine Lunæ, Piscis. Fictum ergo est, quidquid de Calore depa-  
 scente est fabulatum. Similiter in Homine non datur aliud  
 Humidum, nisi seminale primigenium, nostri constitutum,  
 & Humidum alimentarium. Horum omnium fusio-rem Ex-  
 plicationem vid. loc. cit. Hucusque perlustravimus Animæ  
 nostræ Aulam, Residentiam, modum Gubernationis, Actiones  
 & Excellentias admirandas, extaticas, magneticas Sen-  
 sationes &c. Restat nunc, ut paucis etiam contemplemur  
 ipsam ejus Naturam & Majestatem Regiam. Quæ cum quid-  
 ditativè definiri à Mortalibus non possit, in his Mundi & Cor-  
 poris Tenebris, ut supra vidimus, conabimur saltem pauca ejus  
 Lineamenta, quantum Corruptio permittit, describere, pro  
 Captus nostri facilitate.

## SECTIO XI.

### *Animæ Regiæ Descriptio aliqualis Physica.*

Cum Animæ nostræ, præcipuè immortalis, Essentia, Quiditas  
 & Natura Physica sit planè spiritualis, & respiciens sui Ini-  
 tium immediatum & supernaturale, solum DEUM; hinc ejus  
 Physicam Explicationem aliter instituere non possumus, quam  
 per Similitudines proportionatas, & maximè per Exercitia  
 ejusdem Animæ: ut sic Arbor à Fructibus & Operationibus pro-  
 datur, cujus sit Indolis. Quod expediemus Paragraphis paucis.

#### §. I.

### *Quid sit Anima Humana?*

Ex hætenus dictis patet, quod Anima sensitiva, caduca,  
 mortalis, sit mera Lux, data à Patre Luminum, nec alio Verbo,  
 vel modo explicabilis. Cum in toto Universo nihil habeat si-  
 bi simile, quam Lumen Candelæ: quæ quia urit, analogicâ tan-  
 tum, & valde dispari Similitudine, & velut per exteriorem Sili-  
 quam,

quam, comparari potest huic cœlesti Igniculo. Itaque Anima illa sensitiva, licet in Loco localiter sit præsens & hospitetur; non tamen comprehenditur à Loco aliter, quam sicut est Flamma Candelæ, in Exhalatione accensa; estque Lux in illa Flamma, sicut Vita in præfata Anima sensitiva. Lumina tamen Animarum vitalia, non sunt adurentia, sed totidem Diversitatibus separata, quot sunt Animarum Differentiæ. Calor ergo Animantium non est Lux illa fontalis Animæ Luminis; sed tantum Vitæ vitalis Lux calefaciens, consequenter est productum & Effectus Vitæ; non autem ipsa Vita, ut supra diximus. Ideoque & Lucis solaris æmula est, prout è contra Lumen vitale in Pisce actu friget, quia est de Natura Lunæ frigidæ. Hæc autem vitalia Animarum Lumina, sunt de Patria Mundi intelligibilis; non verò de Patria Mundi hujus visibilis & sensibilis.

In hac Anima sensitiva, tanquam in Luce spirituali, à Patre Luminum facta, immergitur quasi, & jungitur Mens nostra immortalis, & quidem per Manum Creatoris utriusque Mundo præsentis; aut per Angelum aliquem connectitur hæc viva DEI Imago, Regia, Animæ sensitivæ per Vinculum Vitæ, i. e. per Vinculum Luminis vitalis, quæ præfatae Lucis est Proprietas inseparabilis, & illâ extinctâ Vinculum hoc cessat, & Mens nostra evolat in aliam Patriam.

Patet secundo: Quod Anima sensitiva in Brutis, non sit Substantia formalis, ut supra de Formis Rerum vidimus; sed tantum Forma substantialis vitalis, quæ in nihilum abit; non secus ac Lumen Candelæ. Et hæc in Brutis subsistit in se, absolutè, determinata in Speciem brutalem: In Homine vero hæc Anima sensitiva non est determinatæ Speciei Brutalis; sed tantum Lumen vitale, & non ipsa Vita, prout est in Bestiis: quia ipsi Animæ sensitivæ humanæ, Vita radicaliter inspiratur à Mente immortalis, quam obvolvitur in se, & ei velut mutuò datur à Mente hæc Vita, non aliter, quam Luna suum Lumen suscipit à Sole. Et licet

hæc Hominis sensitiva Sagacitas longè superet Animas Brutorum; nihil tamen agit absque Mente Domina. A qua enim Vitam sumit, ab eadem etiam necessario mutuare debet vim cogitandi, cui tam intimè est alligata, quod Mens prorsus penetret Animam sensitivam. Cogitat quidem nostra Sensitiva vi propria; illustratur tamen nihilominus à Mente Domina: & propterea tota Cogitatio sensitivæ nostræ est totius Hominis. Nam id perinde accidit, prout in Luna & Sole: ubi Luna habet quidem suum proprium Lumen; sed Solis reflexo Lumine splendet magis, suumque in Luna Lumen quasi perit. Porro quantum Cogitationes à Contagio sensibilibus magis recedunt, ad Discursus ab his abstractos; tanto plus de Vita Mentis, quam de propria Vitalitate sensitivæ participant. Sensitiva enim Cogitatio omnis, de Necessitate, Sensuum ministerio addicta est, neque eam excedit, quomodocunque se ab eis splendide abstrahat. Quidquid enim Sensibus percipi potest, id nondum attingit ad fundum solius Mentis.

Hæc igitur Varietas cogitandi in Sensitiva, Judiciorum nostrorum tantam parit Latitudinem ac Varietatem. Denique prout in Luna, Solis Lumen, suum amittit Calorem manifeste, ac sibi peregrinum Frigus Lunæ induit: Sic etiam in vitali nostra Sensitiva, radius Mentis, licet in se sit nuditer intellectualis, transmigrat tamen quasi in Dominium sensitivæ; adeoque ibi invenit Legem terrenam, Legi Mentis oppositam. Igitur sedulo laborare deberemus, ut quantum fert Natura nostra corrupta, abstrahamus nos ab omni eo, quod Sensibus concipi potest. De his plura videantur apud Theologos Mysticos, & Ascetas, præcipuè apud Dionysium, & alios. Sed maximè per Orationem, Silentium, Solitudinem, Mortificationem Corporis, pervenitur facilius ad aliqualem Mentis nostræ excellentissimæ Cognitionem; non vero per hæc sensibilia, miserabilia. Nam revera omnis Doctrina, quæ ex præexistenti Sensuum Cognitione

gnitione hauritur, procedit ab Anima nostra sensitiva, carnali, terrena, corrupta : Mens vero optat tantum illuminari à sui Initio, quod est supra Naturam, i. e. DEO, non autem à Sensuum Observatione. Ad hanc Felicitatem spectat Status ille beatus intelligendi in Adamo, ante susceptam Sensuum Doctrinam. Noverat enim Adam Essentias & Nomina Animantium; quia Mens in Divina sui Imagine, hæc intus contemplabatur, dum volebat, ipsoque Aspectu eadem memorabat. Sed post Peccatum Mens obvoluta est Animæ sensitivæ; ita ut hæc sensitiva quasi Vicariatum Mentis in se susceperit. Vix autem abinde Mens quasi soporata expergiscitur : saltem non apertius aut vivacius, quam dum Orationi & Contemplationi mentali incumbit; sive id fiat, quia forsan interim Mens à se Fræna & Vincula Sensitivæ disjicit; sive demum, quod DEUS in solo Spiritu adorari vult, & suas Delicias vocat esse, colloqui cum Filiis Hominum.

Mens ergo est connexa cum Anima sensitiva mortali, stat huic Jure Hospitii alligata; adeo, quod licet Mens ex se sit impassibilis: quia tamen quasi conjugali Unitatis Vinculo & Toro sunt combinatæ; sic ut Anima mortalis fruatur sola Mentis immortalis Vitâ, necesse est penitus, quod quoties Anima sensitiva mortalis, patitur aliquid à Rebus caducis, noxiis, aut sibi hostilibus, id ipsum Conjugii paritate, Unitate conjugali, & sociali Hospitalitatis Jure, ipsa quoque Mens, licet in se immortalis, per Consequentiam quoque patiatur. Non quidem quod ideo caduca, Vim sortirentur supra Ens immortale, sibi prorsus super eminent, & alieni fori Civem; sed voluit DEUS sic Mentem pati, quatenus Hospitii incommoditatibus impedita, suæ Amplitudinis Libertate orbaretur, & auscultaret angustiis & Anxietatibus sui Domicilii. Nam Vita Mentis immortalis, communicatur, ut diximus, Animæ caducæ, Sedi suæ & Hospitio. Hæc tamen Vitæ Connexio fit in caduco, seu in  
Lumine

Lumine Animæ sensitivæ caduco: sicut alias esse Recipiens per modum & capacitatem Recipientis recipitur. Unde & à caducis conculcari potest; ita ut Vita penitus exsuffletur. Et tunc Mens suo privata Hospitio, non quidem extinguitur, vel annihilatur, sed recedere cogitur, propter disligationem & Annihilationem Syndesmi. Quidquid ergo Mens subter Vitam pati videtur (:v. g. Amentias, Deliria, Furores:) sospes quidem ipsa manet, at non libere exercet tunc sua Munia, quia Sensatio est in medio Vinculi. Delaremus hoc Exemplo proportionato.

## §. 2.

*Declaratur Exemplo apposito Nexus Animæ immortalis cum mortali.*

Consideremus pro Simili, Lumen Solis constans, maritatum Splendori alicujus Nitedulæ; ita ut ex utroque Splendore micare videatur unicum quid. Pari modo Connexionis in nobis Lumina Animæ Mentis & sensitivæ consideremus, non esse quidem lucentia Lumina, sed viventia & planè vitalia: quorum unum scilicet est cœleste & constans, id est immortale; alterum vero terrenum & vermiculare. Deinde fingamus Nitedulæ Lumen maculatum; seu tinctum quomodocunque; sive id Nitedulæ contingat proprio Errore; sive demum, quod Cortex illi tinctus ostendatur: tunc saltem Lumen solare, quod perpetuo sibi constat, & manet immaculatum in se, jam quasi tincto Lumini Nitedulæ nupisset (: sic fingamus:) translucens per Nitedulæ Lumen, assumit quasi ejusdem nitedularis Luminis tabem & Tincturam, ac velut cum illo patitur Maculam illam. Non quidem, quod Sol ipse patiatur; sed ipsius tantum Lumen, quod vitales Actiones edit, juxta deturpatos Nitedulæ Colores. Tandemque extincto Nitedulæ Lumine, solare Lumen perdit Conjugem, & abit in primum sui Fontem, ut de præstitis

Officiis

Officiis det Rationem. Sic a pari Mens tolerat invita omnes infanias Sensitivæ, quas Carnis sordes illi obtendunt; clarumque Intellectus ac Mentis jubar, quod nequit penetrare Sordes illas, sic pessumdatur, quamvis in sui Radice sit planè impassibile, ut Lumen Solis in Lumine Nitedulæ.

Quod nunc de Vita diximus; id ipsum est interpretandum de aliis Mentis Functionibus. Interim certum est, & manifestum, quod Anima sensitiva, sicut Mentis Reginae est Sedes: ita & ejusdem est immediata pedisequa. Et cum eidem sit quasi delatum Regimen Hominis, post Lapsum Adami deinceps; ideo in se transumit indebitè, per indebitam Adsvetudinem, omnem quasi Mentis Reginae energiam. Non aliter, quam aliquis avetus sinistra Manu scindere Panem, vix potest dein dextra eundem scindere. Unde Mens immortalis ordinario aveta consentit facilè, quæcunque, compatrici Vitæ Radio, patrat Anima sensitiva brutalis ferè, amplitudine suæ Libertatis, & Licentia Consuetudinis. Igitur in omnibus, & per omnia hujus Peregrinationis nostræ terrenæ Itinera, indigemus Auxiliis Divinæ Gratiae, pro quibus est quotidie sapius laborandum & orandum: ne inducamur in Hospitii nostri sensitivi Tentationes.

## §. 3.

*Conclusiones quædam Recapitulativa, ad meliorem  
Anima Cognitionem perducentes.*

I. Videtur certum ex Fide: imo clarus Fidei Articulus est, nobis esse Mentem immortalem, quæ ideo excedit quascunque Naturæ Potestates. Quæ Adamo à DEO immediatè fuit inspirata, & hodie etiamnum Fatui humano, ab eodem DEO inspiratur: in qua Regnum DEI Sedem suam ex Beneplacito suo stabilivit, & illuminat hæctenus omnem Hominem venientem in hunc Mundum, suisque Charismatibus locupletat, ac sui præsentia Dæmonem excludit: pro quo etiam Homine ejus-

que Mente, mori fuit dignatus; non autem pro Angelo lapso,  
Hæc certa de Fide.

2. Certum videtur ex ipsa Naturæ Cognitione, Bruta habere Animas, plus minusve prudentes, sagaces: omnes tamen caducas, & in nihilum properantes; easque perire non aliter ac Flatum, & ut Lumen Candelæ extinguitur, ac in nihilum abit: adeoque Brutorum Animas, ob id non esse proprii Nominis Substantias spirituales; sed Lumina tantum viventia vitalia Animatorum, quæ tamen à solo DEO creantur & dispensantur, juxta exigentiam seminalium Dispositionum.

3. Certum videtur, quod omnis Anima caduca sensitiva à Seminibus occasionaliter & dispositivè tantum emanet: ideoque nihil Similitudinis, aut Unitatis sortiatur cum Mente nostra humana immortalis. Nam licet ambæ à DEO creentur, non aliter tamen ab invicem distinguuntur, quam sicut Ens caducum, ab Ente immortalis: vel sicut Lumen per Exsufflationem perituro à Substantia æterna, quæ est Deitatis lucens Imago & Simulacrum.

4. Certum videtur, quod in Semine humano subsint dispositiones & Species, ad ejusmodi Animam caducam: non minus quam in Semine canino, ad viventem Catulum. Hinc plerique Doctores nunc, si non simul, saltem successivè admittunt in Homine diversas Animas, vegetativam, sensitivam, & tandem omnium perfectivam, Animam immortalem.

5. Certum videtur, Animam sensitivam quasi brutalem, corruptam istam saltem, in nobis subortam esse à Peccato Adami, & permanere deinceps in nobis naturaliter, per successivam Sexuum Copulam: item nec Mentem immortalem à Natura, ab Homine, vel aliis Mediis quibuscunque fieri potest: tum quia est Substantia permanens æterna, ideoque ab Ente perituro fieri non potest: tum quod Mens ideo ex nihilo fieri debeat,

debeat, sicut omnes aliæ Substantiæ absque Auxilio Naturæ cooperantis. Hæc videntur esse etiam certa de Fide.

6. Certum videtur, quod à Transgressione illa Adæ, Mens nobilissima sit alligata, & involuta Animæ sensitivæ: quia in Corpore Morti obnoxio, nihil Menti est propinquius, magisque affine, in quo sedeat. Quodque ideo in lucido illo, vitalique Initio, tanquam in Diversorio sit immersa, divinitusque annexa usque in Vitæ Finem. Inde enim tot Amentias videmus, Fallacias, Errores, Defectus, Hominumque Perfidias, imo & omnes Insanias, quæ omnem penitus Mentis Usus denegant, ejusque absentiam potius, quam præsentiam suspicari faciunt: quod fieri non posset, si Mens nostra humana, non esset nimium immersa Animæ sensitivæ, sic à caducis Rebus turbatæ.

7. Certum videtur Animam sensitivam deinceps à Lapsu, ita Mentem obtenebrare suo Hospitio, eamque cooperire, quasi desidem, & velut soporatum detinere: ut non tantum regat Actiones corporales omnes; sed ita plerumque ipsam etiam Mentis Præsentiam obfuscet, ut ferè nihil possit expeditè in hac Vita agere, quasi non amplius esset sui Juris. Hinc est illa Lex in Membris nostris, repugnans Legi Mentis nostræ. Nam utcumque hæc Mens nostra vitalem Radium de se spiret, (nunquam enim feriatur, lassatur, aut dormit:) in sui vicariam sensitivam; nihilominus tamen videtur suis Facultatibus adeo serva Animæ suæ caducæ, vicariæ, ut quasi impotens appareat suo intellectu liberè frui, sed ferè concedere in plerisque in lubitum insanum suæ Sensitivæ. Unde videmus Serpentes & simplicia quædam, imo & domestica nobis Excrementa, alterare sæpe totum Mentis Usus: Potestates nostras, earumque Functiones prorsus prostratas, conculcatas, & amentes evadere, imo fieri Bestiis subinde multo miseriores, nos in tanta Majestate, sub Imagine Divinitatis. Videtur autem nobis, non esse conveniens Æquitati aut Possibilitati; quod Ens aliquod

virulentum, infimum, caducum, & longè impar Menti nostræ pretiosissimæ, conculcare possit Imaginem hanc DEI excellentissimam: ut omne Jus & Prærogativam pro lubitu v. g. rabientis Canis, hæc Regina amittat: & quod infima Rei Potestas, Hominibus alias à DEO substratæ, debeat esse, aut prævalere super Excellentiam Entis, deinceps Duratione infiniti. Videtur enim, quod Mens immortalis debeat esse potius impassibilis à Rebus se inferioribus, caducis, minimis &c. Sed hæc omnia, fiunt non in ipsa Mente immortalis, impassibili, revera ab his infimis, sed in Vinculo, Nexu, Combinatione, Necessitudine, quæ intercedit inter Sensitivam & Animam immortalem: per quod Vinculum, eheu! nimium alligata est & immerfa Mens Animæ sensitivæ: quo Vinculo deletò & extincto, Mens libera avolat ad suum Centrum, Creatorem, tota, integra. Ut jam supra declaravimus.

8. Certum videtur Naturam humanam, quasi Thaumaturgam, & mirandorum Patricem esse. Præter supra dicta enim de ejus Potentia extatica, magica, magnetica, hic etiam consideres in hunc Finem, Vim illam Animæ sensitivæ Fæminarum prægnantium, quomodo scilicet Ope radii mentalis, (nam sicut Anima humana est DEI Imago: ita etiam aliquid ex nihilo, soloque nutu aliquando creare satagit:) quomodo, inquam, solo Appetitu creet diversa Monstra. Similiter refert Helmont. quod Mulier quædam, dum Bruxellis in foro videret aliquem Capite plecti, mox peperit Fætum decollatum, cujus Caput juxta Truncum reperiatur. Aliàs etiam videntes Mulieres, Brachii, aut Manus Amputationem, pepererunt exinde Fætus sine Brachio, Manu. Similia contingunt ferè quotidiè.

In his est indubium, quod talis Cogitatio Fæminæ, sit aut appetitiva, ut in Ceraso; aut formidans, ut indecollato; nondum vero discursiva, multoque minus nuditer soli Menti subdita. Deinde Cerasum sic productum, videtur verum, non à Cerasi sola

sola Macula: cum singulis Annis, suis Temporibus, Colorem mutat, cum aliis ordinariis, quibus Arbores suos Fructus colorant. Inde enim Actio Gravidæ fit manifestior, & se extra censum solum Maculæ extricat; saltem in his Anima sensitiva actualiter & verè sic operatur in Homine Radio Mentis illustrata: ideoque illud in Brutis non est obvium. Quod si non pluries accideret, facilè à Criticis in Suspicionem pacti cum Dæmone impliciti conjiceretur. Nam quia Anima sensitiva hæc non operatur sola; sed Radio Mentis DEI Imaginis illustrata: ideo est quædam Creationis Similitudo, quæ ab Imagine viva sui Creatoris editur: neque similiter Bruta hunc ideo Effectum æmulantur.

Sola nimirum Passionis Conceptione, Cerasum ex nihilo creatur in Fætu, eà Parte, quæ Prægnans foris ad movet Manum, ideo quia Manus solita est deferre Animæ imperia. Et creatur simul totum Ens seminale Cerasi, extra Lignum suum, & quidem perfectum: non autem sensim per Ætates crescens, sicut alias in Arbore; sed immediate statim totum simul fabricatur Cerasum, Mus, aut similia in Utero. Quæ vis fabricans requirit Visum tantum, & insuper aliquam Animi Perturbationem, ut designetur Vis conceptus Animæ, non autem discursuum Opus. Non tamen sic est vera Creatio: quia non fit ex nihilo nova Materia. Sed est Creatio transmutativa unius in aliud, ac pene instantanea: quæque dum jam in Conceptu est creata Ente ideali, & vestita in Spiritu vitali Matris, mox per Manum designatur Locus, quorsum deferri & depingi debeat. Cujus Manus Defectu perit haustum Cerasi, Muris &c. Sigillum, & Creatio illa annihilatur. Et hoc fit in Rebus appetitivis. In gestis verò formidabilibus, ideoque tanto potentioribus, non requiritur Directio Manus maternæ. Amputatur scilicet Manus, vel Brachium Fætus, licet Manus Matris quieta permanserit, nec reperiuntur hæc Membra abscissa inter involuera, sicut alias

Caput in præfato Exemplo, Prout etiam non requiritur, dum Fætus transmutatur in Monstrum, quia sunt Passiones potentissimæ circa Bestias formidabiles. In aliis vero Brutis non formidabilibus, requiritur Manus, Loci designatrix, pro Fætu, ut totus immutetur.

Igitur in formidabilibus diversa est Ratio: eo quod in uno ostenditur Actus solus, i. e. in formidabilibus: in alio vero i. e. Appetitivis, Ens Creatum. Imo in illo Actu prætendit solam Ablationem: in isto Animam æmulari cupit aliquid creando. Denique in hujusmodi Contingentiis est istud universale, quod Mater efficiens non intendat pro suo Fætu id facere: adeoque non in se; sed in suo Fætu has imagines affigit, pro lubitu Manus pictoris, & non pro velle Mulieris concipientis appetibile, vel horrible; sed præcedit Conceptus aliquis plausibilis vel timorofus, cum Appetitu vel Aversione, & statim inde sequitur Appetitus Conceptuum cum Desiderio vel pavore, hæc miranda patrans & efficiente. Quæ hoc Loco sic dilatavimus, ut Divinæ Imaginis Potestas similitudinariæ Creationis, nos deducat in Similitudinem creandi Amorem divinum in Mente nostra. Ut ipsa nempe proprio Motu, nec solo sui Radio in Animam sensitivam caducam ejaculato, aut disperso (:prout in Gravidis fieri jam retulimus:) sed proprio Actu, auxiliante Gratia Divina, proprio Desiderio, Amore, Fide, Spe & cæteris mediis, feratur intus totaliter, & immutetur & transmutetur in DEI Amorem. Quod si tam stupenda Opera patret Anima nostra Virtute sola naturali, quid non efficiet, si huic Auxiliatrix accesserit Virtus etiam supernaturalis, i. e. Divina Gratia, & alia DEI Dona infusa? Per hæc rectè redditur ferè omnipotens, juxta illud D. Pauli: Omnia possum in eo, qui me confortat, id est Auxilio Gratia suæ subsidiario. Hinc videmus illa Sanctarum Animarum Miracula potentissima, quod Mortuos resuscitent, Lingvis loquantur novis, cæcis Visum, claudis Gressum, infirmis

